Digitized by Google

BIBLIOTECA
S. A. R.
DUCHESSA HÉLÈNE D'AOSTA
CAPODIMONTE



Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

SACRI REGII CONSILII DECISIONES

Ann. 1774. 1775. 1776.

TOM. I.

Digitized by Google

R E R V M
IN SVPREMIS NEAPOLIS TRIBVNALIBVS
J V D I C A T A R V M
ABSOLVTISSIMÆ COLLECTIONIS


Summa cura & ſtudio nunc primum concinnatæ

TOMVS PRIMVS

C O M P L E C T E N S

SACRI REGII CONSILII
SELECTIORES DECISIONES

Ann. 1774. 1775. 1776.



BIBLIOTECA NAZIONALE "VITTORIO EMANUELE III" NAPOLI

N E A P O L I
EX REGIA TYPOGRAPHIA
A N N O MDCCLXXXVII.

Digitized by Google

Digitized by Google

FERDINANDO
SICILIARVM, ET HIERVSALEM
REGI
PRINCIPI OPTIMO
P. F. A.

Q*Uod felix ſemper, fauſtumque mibi præcinueram*, Princeps Augustissime, *quod ſcilicet glorioſiſſimi Nominis* Tui *uſura ingentem meis ope-*

 ribus

Digitized by Google

ribus, qualiacumque ea forent, favorem, & benivolentiam comparatura fuisset, id quidem ex voto accidisse maxima voluptate jam sentio. Ecquis enim satis compertum non habet vix in nupera Fridericiani Codicis editione nomen TUUM *fuisse prælectum, cum mei illius laboris rationem omnes omnino maximis sunt laudibus prosequuti. Cum enim laborem illum Clementiæ, & Sapientiæ* TUÆ *usque adeo probatum deprehendissent, ut tanti honoris, dignitatisque munere decorare dignatus sis, nemo tam audax profecto fuit, qui & illum magni facere, & quasi pedibus in Principis sententiam ire detrectaverit. Quæ cum ita sint, mirabiturne quis, atque temeritatis me nota inuret, si vel leve hoc aliud, Decisionum nempe* Συλλογῆς, *ad* TUÆ *Clementiæ Solium accedens iterum præsentissimam Nominis* TUI *tutelam præfidenti animo imploret? In mea enim commoda proculdubio peccarem, si postquam tum ratio, tum experientia docuit Nominis* TUI *prodigio ima summis, levia maximis æquari, meis operibus tam præclaram sortem minime conciliarem. At enimvero suppudebat initio tantum Regem ad levissimi laboris patrocinium compel-*

pellare, *&* *timor incesserat*, *ne merito mihi objiceretur*, *quod præcelsa Numina sæpius e supernis sedibus evocando illorum Majestatem parvipendere viderer*. *Sed tandem spectatissimæ Magnanimitatis* TUÆ *satis explorata commendatio pudorem omnem*, *timoremque pectore expunxit*, *ut jam pari humanitate* Συλλογὴν *hanc recipias*, *foveasque confidam*. *Ceterum hujusmodi spem non temere prorsus fuisse susceptam secum ipse recogitat animus*. *Succurrit enim opus hoc eodem*, *atque adeo potiore jure quam Frederici Codicem*, TIBI *deberi*. *Nam præterquam quod vel* TUO *imperio*, TUISQUE *auspiciis ejus editio firmabatur*, *sapientissimorum Magistratuum scita*, *&* *consulta complectitur*, *quæ tanquam ex ipso ore* TUO *prolata oracula veneramur*. *Quæ quidem nisi clementissime*, *&* *æquo animo accipias*, TUOQUE *nomine exornari patiaris*, *ecquid aliud erit*, *quod tantum decus*, *atque tam sublimem spem non temere possit anhelare?* TUÆ *igitur Sapientiæ atque Æquitati hanc* Συλλογὴν *dicans obsequentibus precibus obtestor*, *ut per* TE *major in dies splendor ingenuarum artium*, *&* *Jurisprudentiæ rationibus accedat*, *&* *gloriosum hoc in*

Literarum Rempublicam studium D. O. M. perpetuo fortunet.

Neapoli ex Reg. Typ. Kal. Martiis anni 1787.

NUMINI, MAJESTATIQUE TUÆ

Devotiſſimus, ac addictiſſimus Famulus
Cajetanus Carcani R. Typ. Præf.

Digitized by Google

P R Æ F A T I O.

QUOD diu polliciti fueramus, Selectiorem, inquam, in Supremis Neapolis Tribunalibus rerum judicatarum Collectionem, en tibi damus, amice LECTOR, non quaſi perfectiſſimum ἀποτέλεσμα imponentes, ſed exemplum ſecuti Clariſſimorum Virorum, qui auſpicium hac in re fecerunt, Paponii, Roberti, & ex noſtratibus de Marinis, de Afflictis, de Franchis, aliorumque, qui hac in re veluti quidam *Loci communes* habentur.

Immorari heic in pertexendis hujus noſtri laboris laudibus ſupervacaneum omnino fore ducimus; quantumque inde utilitatis legum Studioſi ſint pertracturi oſtendere conſulto abſtinemus; Nam ſi tanta ambitione peregrini mores, legesque longe petuntur; quamplurimique expetuntur Rebuffi, Tiraquelli, Molinæi, Choppini, Roberti, Loiſelii, aliorumque reſponſa; quanta majore aviditate hæc Fori Neapolitani ψηφίσματα, quæ maxime ab exteris doctiſſimis viris facta, & Supremis Europæ Tribunalibus ſummo in honore habita ſemper fuere, excipienda putabimus?

Præterimus etiam aliam hujuſce noſtri laboris utilitatem; eſt enim & is non modicus fructus, quod non privatum jus litigatorum jurgiis diſcingendis eo contineatur; verum inſuper jus publicum, quis ſcilicet ſtatus Eccleſiarum, quæ ſingulorum Magiſtratuum munia, quæ Suprema per totum Regnum Tribunalia; quæ ſubalterna; quæ regalia; quæ tributorum ratio; quo ritu, & per quos lites agantur; quæ actionum formulæ; qui judices competentes; quæ tempora rebus agendis; & qui juriſdictionis Eccleſiaſticæ modus.

Illud tantum heic nobis cordi fixum hæſit, dum animo concepimus res haſce judicatas ſeligendo colligere, ac typis edere, ut providentiſſimi Regis FERDINANDI, quem optimo publico natum merito gratulamur, curas & mentem urgeremus, cum anno MDCCLXXIV. nunquam ſatis laudatam pro merito Conſtitutionem

Digitized by Google

nem tulerit, quæ omnes cujuſcumque Fori deciſiones rationibus fulciri, eaſque typis mandari ſancivit, quo ſuum iis robur, & vis ſtaret.

Sapientiſſimus enim FERDINANDUS, rem publicam Bernardo TANUSIO gerente (quem non omnem mortuum extento in ævo fama vivere non vetabit) quo paci, ſecuritati, ornatui, utilitati publicæ, ac auctoritati conſuleret, majorum ſuorum veſtigiis inſiſtens, cavit I. Ut nulla prorſus fieret deciſio, in qua ſive cauſa princeps, ſive incidentes res ſpectentur, rationis momentum non explicetur, quo veluti baſi, ac fundamento innitatur. II. Ut deciſiones ipſæ non a ſola Doctorum auctoritate, ſed ab expreſſis Regni, & Civitatum ſanctionibus vim omnem, ac robur mutuentur: Quin ſi pro re, de qua agitur, nulla expreſſa ſuppetat Conſtitutio, & ad interpetrationes neceſſario ſit deveniendum, ſtatuit ut priores duæ argumenti propoſitiones expreſſis, & litterariis legibus firmarentur. Quod ſi cauſæ ipſius ratio nova prorſus ſit, vel perplexa, ut neque lege, neque legis argumento decerni poſſit, ad regium omnino referatur arbitrium.

In hac ſane Conſtitutione recolenda ſatis mirari nequeo alacrem illam contentionem, ſummumque ſtudium, quo ſapientiſſimus REX noſter Maximi Imperatoris FRIDERICI II. progenitoris ſui Auguſtiſſimi nomen, & gloriam æmulatur. Hic enim illius ævi intermortuam pæne politiam ad priſtinam dignitatem revocans, & neglecta veteri Longobardorum judicandi ratione, ſecuritatem ſui imperii ſtabiliens, ac firmans, ſtatuit judicem quemque ſuæ deciſionis rationem debere proferre.

Atque heic nemo me arguet, ſi integram illius ævi deciſionem referam, quam maxima animi voluptate ad rem obtulit amiciſſimus *J.U.D. Joſeph Archangelus Grieco*. Exinde enim cuiquam noſcere datur non ſolum quidquid tum per Regem ſapientiſſimum dictante Tanuſio factum fuerit, & juſtum & bene perpenſum fuiſſe, ſed totum quantum eſt, apte reſpondiſſe remotiſſimæ hujus Regni politiæ, una cum ipſo regno natæ, ac deinceps a ſapientiſſimo Imperatore firmatæ. Patet enim ex hac ad exemplum exſcripta charta, cujus authographum adſervat laudatus Grieco, Magiſtratum unanimi conſenſu Judicum, quos penes tunc temporis erat rerum civilium dijudicandarum ſumma, perdiligenter exponere deciſionis, quam Regio juſſu fecerat, rationem pro cauſa, in qua *de læſione ultra dimidium juſti pretii* agebatur, &

per-

perſpicuitate ſumma tum facti, tum judicii, tum ſententiæ ἀμοιβὴν exhibere. Ea vero ita ſe habet:

✠ *In nomine Domini Dei eterni & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti. Anno ab Incarnatione ejuſdem milleſimo ducenteſimo quadrageſimo quarto imperante Domino noſtro Friderico Dei gratia invictiſſimo Romanorum Imperatore ſemper Auguſte Jeruſalem & Sicilie magnifice Rege. Imperii eius anno viceſimo quarto. Regni Ieruſalem nonodecimo. Regni verò Sicilie quadrageſimo ſexto. Die Veneris viceſime nono menſis Iulii ſecunde Indictionis feliciter Amen. Nos Iohannes Murinellus Compalacius Neapolis preſenti ſcripto duximus declarandum quod a Domino noſtro Sereniſſimo Imperatore ſacras recepimus licteras in hac forma. Fridericus Dei gratia Romanorum Imperator ſemper Auguſtus Ieruſalem & Sicilie Rex, Compalacio Neapolis fideli ſuo gratiam ſuam & bonam voluntatem. Querelam Iacobi Mallabacce & Paſce uxoris ſue noſtrorum fidelium recepimus continentem. quod dudum neceſſitate compulſi vendiderunt quondam Paulo de Sancta Agatha quamdam domum in Civitate Neapolis in loco Fiſtule. in qua vendicione ultra dimidium juſti precii aſſerunt ſe fore deceptos. & ipſam domum in ipſorum grave prejudicium. heredes dicti Pauli detinent ſicut dicunt. Verum quia deceptis & non decepteribus jura ſubveniunt. fidelitati tue mandamus. quatenus partibus convocatis audias cauſas. & ſecundum juſticiam terminetur. Datum Neapoli tertio Madii quintedecime Indictionis. Quibus ſacris licteris cum omni reverencia & devocione receptis Paſcam & Dilicieſam heredes Pauli de Sancta Agatha citari fecimus legitime & perhentorie. ut venirent audituri ſacras Imperiales licteras ſuperius exemplatas. Que quidem mulieres conſtituerunt procuratorem Iohannem Buccaconcium in queſtione infraſcripta. & ſupradicti Iacobus Mallabacca & Domina Paſca uxor eius conſtituerunt procuratorem Iohannem Rucellam in queſtione predicta. Quibus in noſtra preſencia conſtitutis & Dominorum Marini Bulcani. Iohannis Capici Tomarelli. Nicolay Falconerii. Thomaſii Sparelli. & Matthei Imperatoris olim Iudicum Civitatis Neapolis. predictus Iohannes Rucella procurator predictorum Iacobi & Paſce uxoris ſue contra Iohannem Buccaconcium procuratorem predictarum Paſce & Dilicioſe porrexit libellum continentie talis. Proponit Iohannes Rucella procuratorio nomine pro parte Iacobi Mallabacce & Paſce uxoris ſue quod conſtitit. conſtitutus cum auctoritate ipſius Iacobi viri & mundualdi ſui. contra Iohannem Buccaconcium procuratorem Dilicioſe & Paſce quod conſtitit. heredum quondam Pauli*

de

Digitized by Google

de Sancta Agatha . conſtitutum cum auctoritate Iacobi de Durazano tutoris & curatoris earum . que tenent & poſſident domum inferius deſignatam . Quam dictus Iacobus Mallabacca cum eadem uxore ſua vendiderunt predicto quondam Paulo de Sancta Agatha anteceſſore earum pro unciis auri quatuor & tarenis auri ſeptem & medium . In qua vendicione dictus Iacobus & uxor ſua ſunt decepti ultra dimidium juſti precii . Unde petit pro parte dicti Iacobi & uxoris ſue quod ipſi heredes reſtituant dictam domum ipſi Iacobo & uxori ſue . receptis predictis quatuor unciis auri & tarenis aurj ſeptem & medium vel ſuppleant eis juſtum precium videlicet alias quatuor uncias auri & tarenos auri quatuor minus quartam ultra ipſas uncias quatuor & tarenos auri ſeptem & medium . ſalvo jure &c. Domus vero ſita eſt in loco Fiſtule cujus fines hii ſunt . ab una parte eſt domus Neapolitane . & ab alia parte eſt domus Finagrane . & ab alia parte eſt ortus Sancti Archangeli ad Baianam . Ad que dictus Iohannes Buccaconcius precurator predictarum Paſce & Diliciofe quod conſtitit litem conteſtando reſpondit ignorans omnia & ſingula poſita in libello . Salvis omnibus racionibus & exceptionibus ſuis . Lite itaque coram nobis & dictis Iudicibus legitime conteſtata utrique parti terminum perhentorium prefiximus ad eorum intencionem fundandam . Infra quem utraque pars teſtes produxit ad eorum intencionem fundandam . Tandem cum nos ſupradictus Compalacius Neapolis Curiam regeremus in Eccleſia Sancti Pauli maioris de Neapoli . Aſſidentibus nobis Dominis Mattheo Buccaplanula . Bartholomeo Carazulo . Bartholomeo Macedono . Rogerio Maregano . & Mattheo Runcella Iudicibus Civitatis predicte . predicti procuratores inſtanter a nobis procedi poſtularunt in queſtione predicta . Nos vero petitiones ipſorum utpote juſtas admittentes teſtes utriuſque partis in judicio fecimus publicari . Quibus in judicio publicatis & rubricis aſſumtis cum eſſet in predicta queſtione diucius diſputatum . ab utraque parte abrenunciatum & in cauſa concluſum . Quia predictus Ioannes Rucella procurator predictorum Iacobi & Paſce uxoris ſue nichil de ſua intencione probavit . habito conſilio diligenti . & cum predictis Iudicibus nobis aſſidentibus in Eccleſia ſupradicta deliberatione perpenſa . dictum Iohannem Buccaconcium procuratorem predictarum Paſce & Diliciofe & ipſas Paſcam & Diliciofam a predicta impeticione predicti Ioannis Rucelle procuratoris predictorum Iacobi & uxoris ſue . & ipſius Iacobi & Paſce uxoris ſue duximus ſentencialiter abſolvendos . eiſdem ſuper queſtione predicta perpetuum ſilentium imponentes . Ut autem de preſenti ſcripto dubitari non poſſit

ipſum

Digitized by Google

ipſum per manus Bartholomei Aurificis publici Notarii Neapolis fieri fecimus ſigillo noſtro munitum . & ſubſcriptionibus predictorum Iudicum & ſigno ejuſdem Notarii ſubſignatum . Quod ſcripſi ego predictus Bartholomeus Aurifex publicus Notarius Neapolis qui predictis interfui & meo ſigno ſignavi. = Adeſt ſignum Notarii = ✠ = Locus & veſtigia ſigilli cerei olim membranæ adfixi, vetuſtatiſque vitio defixi & deperditi.

✠ *Ego qui ſupra Matheus Buccapianula Iudex Neapolis ſubſcripſi.*
✠ *Ego qui ſupra Bartholomeus Carazulus Iudex Neapolis ſubſcripſi.*
✠ *Ego qui ſuper Bartholomeus Macidonus Iudex Neapolis ſubſcripſi.*
✠ *Ego qui ſuper Rogerius Maroganus Iudex Neapolis ſubſcripſi.*
✠ *Ego Matheus Runcella Iudex Neapolis ſubſcripſi.*

Hæc cum ita ſe haberent, ea ſpe adductus fui ut crederem ſi veluti disjecta hæc membra in unum corpus compingerem, apud noſtrates, ac exteros quoſcumque in deliciis maxime hunc noſtrum laborem ceu promptuarium aliquod materiarum, ac deciſionum in praxi uſitatiſſimum, futurum. Et re quidem vera maxima afficiebar moleſtia doctiſſimas deliteſcere deciſiones, & oblivioni, pulverique mandari, quin bonorum virorum præconiis fraudari earum auctores, qui ſummis ad cælum laudibus, eorum conſilis nunc palam factis, nunquam non efferentur. Quod ſi qui forte ſint (& erunt profecto qui cuncta faſtidiunt ſuperbo dente) cui noſtrum minus arrideat opus, eos rogatos enixe volumus, ut pauliſper judicium de re tota teneant, donec experiundo edoceantur, nihil hac re, ubi continentem judiciorum feriem ad manus habere, & perpendere neceſſitas ſuadeat; utilius, nihil opportunius eorum commodis fuiſſe excogitatum.

Jamvero quæ ſit noſtri operis ratio, teneto. Bina ſingulis annis hujus Συλλογῆς volumina prodibunt; quorum alterum S R. C. ſententias, alterum tum Civilis, tum Criminalis Fori, tum aliorum Tribunalium deciſiones complectetur. In unum vero volumen ab aliarum ordine ſemotas amandabimus Sententias illas, quæ pertinent ad vindicationem juris Regii Patronatus, quotquot ad hoc uſque tempus prolatæ occurrent: ceteras enim quæ in poſterum publici juris fient, cum ad juſtam molem excreverint, in volumine altero concludentur. Interea quod ad totam Συλλογὴν ſpectat, ut retro annorum deficientia ſpatia ſuppleantur, initium dabit annus 1774; tum ſingula volumina duorum, vel trium anno-

annorum deciſiones pro earundem numero continebunt. Quam vero in priorum dumtaxat voluminum fronte ad adoleſcentium eruditionem de cujuſque Tribunalis natura & ortu perbrevem *διαγραφὴν* præponere ſtatuimus, libenter omiſimus; occupatam enim ab aliis provinciam iterum tractare actum agere viſum eſt. Ad calcem vero locupletiſſimum Indicem quaſi rerum, & vocabulorum *ἀπογραφὴν* apponemus; ac ut vis cujuſque Deciſionis rectius intelligatur facti ipſius, ſi abſit, *διήγησις* diverſis characteribus præmittetur.

Digitized by Google

SELECTIORES S. R. C. DECISIONES.

In cauſa Ill. Ducis Civitellæ D. Dominici della Poſta cum Monte inſtituto per qu. Ill. Baroniſſam D. Joannam della Poſta. Die 2. menſis Decembris 1774.

ANNO 1729. die 3. Decembris Baroniſſa D. Joanna della Poſta in ejus teſtamento plures inſtituit heredes particulares, & erigendo quemdam Montem pro dotibus puellarum, illum inſtituit heredem univerſalem; quamplurima ordinavit, & inter alia declaravit anno 1697 remanſiſſe penes ipſam 2500 nummos aureos, vulgo *zecchini*, ex pecunia olim ejus viri: Ac proinde voluit, quod in inſtrumento tranſactionis habitæ anno 1705 cum ejus filiis & heredibus qu. D. Dominici della Poſta ejus viri, *non trovandoſi* (liceat uti ejus propriis verbis) *bonificata detta ſomma da me a detti miei figli nel ſuddetto iſtrumento del* 1705., *in tale caſo, ſeguita la mia morte, ordino e comando, che ſoddisfaceſſero detti* 2500 *zecchini Veneziani al Duca Scipione, unico erede e ſuperſtite del qu. D. Domenico mio marito, coll' intereſſe al* 5. *per* 100. *fol.* 13. *& a t. proc. S.C.*

Declaratio debiti facta in teſtamento, cum aliunde veritas non conſtet, vim habet legati; quare revocato teſtamento, irrita cenſetur: eo tamen caſu a rigore Juris recedit Magiſtratus, atque Prudentis viri arbitrio utitur.

Anno 1745 ſub die 1. Decembris eadem Baroniſſa caſſans omnia alia teſtamenta inſtituit heredem Montem ſub nomine familiæ *della Poſta*, in beneficium tam maſculorum, quam puellarum, juxta leges in eodem teſtamento præſcriptas. Multa alia ordinavit, & nullum verbum habuit dictorum 2500 vulgo *zecchini fol.* 41. *ad* 51. *proc. S.C.*

Prædictum teſtamentum anni 1729 non ſolum fuit revocatum in dicto teſtamento anni 1745, ſed etiam ablatum fuit a manu Notarii, & inventum inter alias ſcri-

 ptu-

Digitized by Google

pturas ejuſdem teſtatricis, clauſum & ſigillatum, prout fuit a Notario reſtitutum, & fuit deſcriptum in variis adnotationibus: Et notatione dignum eſt, quod in dicto ultimo ejus teſtamento dicta Baroniſſa præcepit ſolvendos ſuæ hereditati ab ejus filio qu. D. Scipione ducatos 12000 debitos ex cauſa alimentorum non ſolutorum, *fol. 47. a t. proc. S.C.*

Poſt plures annos dictus Ill. Dux cum inveniſſet dictum teſtamentum anni 1729., & auctoritate privata illud aperuiſſet, petiit in S.C. cogi Curatorem dicti Montis ad ſibi ſolvendum nummos 2500 vulgo *zecchini* una cum intereſſe. Sub die 16. Martii 1773., dato termino ordinario per S. C. *fol.* 68. *proc. S. C.* fuit cauſa compromiſſa Capiti Aulæ D. Dominico Salomonio tamquam arbitratori &c. vigore Regalis Reſcripti diei 1. Maji 1773. *fol.* 1. *proc. Compromiſſi*, & ab eodem dato termino, & compilato, Curator Montis fuit condemnatus ad ſolvendum in beneficium dicti Ill. Ducis pro omnibus ab eo prætenſis ducatos 12000 liberos & expeditos, & pro reliquis Curator fuit abſolutus *fol.* 130. *ad* 131. *proc. Comprom.* Laudum prædictum decreto S.R C. diei 18. Januarii currentis anni fuit moderatum, & reductum ad ducatos 6500 ſolvendos ex fructibus dicti Montis *fol.* 214. *proc. Comprom.* Adverſus dictum decretum dictus Ill. Dux produxit reclamationem cum clauſula executo decreto *fol.* 215. *ad* 218. *proc. Comprom.*, & pendente diſcuſſione dictæ reclamationis, exegit a Monte prædictos ducatos 6500.

Ex his factis poſtulabatur a dicto Ill. Duce executio dictæ declarationis 2500 vulgo *zecchini*, una cum intereſſe, contentæ in dicto teſtamento revocato, unde diſputatum fuit quid juris, & quid coram Arbitro, & Arbitratore.

Quoad primum, omne legatum eſt revocabile. *Leg.* 13. *&* 17. *cum concordantib. ff. de adim. leg. Inſtit. in princ. de*

de adempt. leg., ſed dicta declaratio debiti facta in teſtamento, quando aliunde veritas non conſtat, vim habet legati. *L. Lucius* 90. *§. quisquis ff. de leg.* 2. *L. Lucius* 91. *§. Sempronio de leg.* 3. *L. Aurelius §. fin. ff. de lib. leg.*, ergo dicta declaratio contenta in dicto teſtamento anni 1729. jure revocari poterat, prout fuit revocata.

Quoad ſecundum, Ill. Dux utebatur argumento *textus in L. cum quis §. Codicillis ff. de leg.* 3, ſicuti in hoc textu confeſſio debiti cum juramento facta in teſtamento vim habet veritatis, ita confeſſio facta a dicta Baroniſſa pro exoneratione conſcientiæ, unde inſiſtebat pro integra ſorte, & pro omnibus interuſuriis, in omnibus aſcendentibus ad ducatos 30000 & ultra. Sed a Curatore Montis in dubium revocabatur dictum argumentum, quia in dicto *§. Codicillis* nullum verbum eſt teſtamenti revocati, unde ſtandum diſpoſitioni legum ſuperius allegatarum: Super hoc dubio Dominus Salomonius ut Arbitrator receſſit a rigore Juris, & utens arbitrio prudentis viri, de quo mentio fit in *L.* 78. *& ſeq. ff. pro ſocio*, noluit in totum abſolvere, vel condemnare, ſed tantum condemnare Curatorem in ducatis 12000, quod arbitrium S.C. reduxit ad ducatos 6500.

Et proinde attenta diſpoſitione dictarum legum, & viſis ſcripturis ſupra citatis, & ſupplicat. *fol.* 215.

Per S.R.C. declaratum eſt *Bene fuiſſe proviſum per idem S.C. in decreto interpoſito ſub die* 18. *Januarii currentis anni* 1774. *fol.* 214.

Capobianco a Secr. Baſilius Baſile Act. Mag. Perrone Scriba.

Verba fecit de his in S. R. C. Dom. Miles J.U.D. D. Dominicus Avena R. Conſil. & cauſæ Commiſſ. interveniente R. Conſil. D. Antonio Carpentiero Adjuncto.

Digitized by Google

In cauſa inter magn. Xaverium Pico actorem, & magn. Leonardum Lazzari reum conventum. Die 2. menſis Decembris 1774.

In conductione feudorum nulla datur Civibus ejuſdem feudi prælatio.

ILl. Dux S. Petri ad Galatinam utilis Dominus Feudi Burbanei in Provincia Hydruntina inſtrumento ſub die 15. Junii 1774. locavit hoc cum omnibus pertinentiis, & juriſdictionibus, ſalvo Regio aſſenſu, quatenus opus, magn. Leonardo Lazzari, civi Terræ Nuciliæ, pacta annua mercede ducatorum 1970; trimeſtralibus ſolutionibus, & cum anticipatione trimeſtris, ſpatio novem annorum, ut vulgo dicitur, *ſei di fermo, e tre di riſpetto*, præter aliam annuam penſionem ducatorum 170 pro locatione ruris, aliorumque ſtabilium, in ipſo feudo exiſtentium, & cum nonnullis aliis pactis in eodem inſtrumento adjectis *fol.* 17. *ad* 25. Magn. Xaverius Pico civis ejuſdem feudi locati, ſingulari nomine petiit ſupplicatione præferri in locatione eadem mercede, iiſdemque ceteris pactis, & cautelis, virtute tam Legum communium, quam Regni; Imo aſſeruit velle uti prælatione ad tuendam ſuæ patriæ, ſuorumque civium libertatem *fol.* 1. Magn. Lazzari conductor memoriali excepit, actorem eſſe egenum rerum cunctarum, ſine juris auctoritate petere, ac rem ſimulate agere; ideoque a judicio repellendum, cum potiſſimum & ipſe conductor in poſſeſſionem majoris partis feudi locati, jam ſoluta trimeſtris anticipatione, reperiretur *fol.* 31. *&* 27. Inſtitit utilis Dominus, ac petiit manutentionem ejuſdem conductoris, tam pro fide ſervanda, quam ne ſibi damna inferantur ab Actore, actuali Syndico ejuſdem Terræ, pauperrimo, ingenioque facili, res novas molituro adverſus ejus jura feudalia *fol.* 29. Denique ipſe actor ſummatim inſtantia reſpondit, ſubjicere ſe omnibus cautelis pro anticipatione trimeſtris, atque etiam ad exhibitionem chirographi

phi publici mercatoris pro ſecuritate penſionis ad omnem ordinem S.R.C. *fol.* 33.

S.R.C. declaravit: *Non eſſe locum petitæ prælationi a magn. Xaverio Pico cive feudi Burbanei, ac proinde magn. Leonardus Lazzari Terræ Nuciliæ manuteneatur, & quatenus opus, immittatur in poſſeſſionem feudi Burbanei per eum conducti, juxta ſeriem, & formam contractus, & in omnibus ſervata forma ipſius.* Nullibi de hujuſmodi novo prælationis genere cautum videtur, cum ad certas prælationis ſpecies, dominii, ſanguinis, vicinitatis, minime id ſit relatum, *ad L. fin. C. de Jure Emphyt.*, *& ad cap. 1. feud. §. Titius, tit. ſi de feudo defuncti &c.*, *& cap. 1. §. ſed etiam res, tit. Per quos fiat inveſt.*, & in vulgata Conſtit. *Sancimus, de jure protomiſ.* Plane prætextu remiſſioris æquitatis, laquei bonis privatorum non ſunt injiciendi, ſuadente potius æquitate, ut quiſque ſit rei ſuæ moderator, *L. in re mandata Cod. mandati &c.*

Verba fecit de his in S.R.C. D. Stephanus Patritius R. C. & cauſ. Comm.

In cauſa D Felicis, & D. Xaverii Arcudi cum D. Agnete Labelli, Rev. Capitulo Terræ Mallearum, & aliis intereſſe habentibus. Die 9. menſis Decembris 1774.

D. Angelus Volante inſtrumento donationis irrevocabilis inter vivos ſub die 12. Maji 1742. donavit omnia ſua bona in uſufructu in beneficium D. Annæ Arcudi ejus fratriæ, durante tamen vita ipſius donatariæ, & poſt mortem ejuſdem in proprietate in beneficium filiorum & heredum D. Joſephi Arcudi ejuſdem donatariæ fratris *fol.* 4. *& ſeq.*, tradiditque eidem D. Annæ donatariæ, dum in vivis adhuc erat ipſe donator poſſeſſionem bonorum, inter quæ fuerunt præſertim deſcripta duo prædia vulgo nuncupata *la Lama*, & *li Vignali*,

Donatarius univerſalis ſtat loco heredis; unde contra factum donantis venire non poteſt.

gnali, *fol.* 396. *a t. in fin. & 397. a t.*; atque decretum manutentionis ad inſtantiam præfatæ D. Annæ interpoſitum fuit per tunc Dom. cauſæ Commiſſarium, in omnibus ſervata forma præcitatæ poſſeſſionis *fol.* 400. *a t.* Mortuo donatore, deducta eſt hereditas in S.R.C. ad inſtantiam nonnullorum intereſſe habentium *fol.* 2., & adnotata ſunt prædicta bona donata *fol.* 60. *& ſeq.* Heic nonnulli ex intereſſe habentibus, cum fratribus de Arcudi, Joſephi filiis, tanquam vocatis in proprietate tranſactionem inierunt *fol.* 76., & nullitatem deduxerunt alienationum territoriorum in fraudem factarum per D. Annam uſufructuariam, & proinde petita fuit reivindicatio eorumdem *fol.* 12.; terminus impartitus eſt ſuper hoc judicio, & mandatum injunctum eidem D. Annæ de non alienando bona ei in uſufructu donata, & in actu poſſeſſionis, & adnotationis contenta *fol.* 73. *a t.*; Quo compilato, cum teſtium depoſitionibus ſuper judicio reivindicationis inſtituto, ut ſupra, contra tertios poſſeſſores, videlicet contra Rev. Capitulum Terræ Mallearum ſuper prædio nuncupato *la Lama*, & adverſus Rev. Archidiaconum D. Franciſcum de Veris ſuper alio prædio nuncupato *li Vignali*, auditis ipſis Reis conventis; decretum *ſpectaviſſe*, *& ſpectare*, ſtatim ſecuto obitu D. Annæ Arcudi uſufructuariæ, per M.C.V. interpoſitum eſt in beneficium D. Felicis, & D. Xaverii Arcudi filiorum D. Joſephi, virtute præcitatæ donationis in proprietate vocatorum *fol.* 488. Qui quidem fratres de Arcudi petierunt etiam immiſſionem tam in proprietate, quam in uſufructu, jure conſolidationis, omnium bonorum donatorum, & in actu poſſeſſionis traditæ eidem D. Annæ deſcriptorum *fol.* 502. Super his Dominus cauſæ Commiſſarius ordinavit, *quod inſeratur actus poſſeſſionis prædictæ cum deſcriptione bonorum fol.* 502. *a t.* Heic D. Agnes Lubelli donataria univerſalis qu. D. Annæ Arcudi, contrarii imperii inſtantia petiit revo-

Digitized by Google

revocari decretum prædictum *fol.* 503. *&* 505. Verum S. R. C. die 30. Januarii elapſi anni 1773. illud confirmavit, exceptis poſſeſſionibus nuncupatis *la Lama*, & *li Vignali*, pro quibus fuit reſervata proviſio facienda per S. C. ſtante termino jam compilato *fol.* 510.; & expeditæ ſunt proviſiones pro executione decreti prædicti ſuper petitam immiſſionem *fol.* 511. Hæc omnia præ oculis habens S. R. C., & etiam ſententiam latam ſub die 25 Septembris elapſi anni 1773. ſuper judicio principali reivindicationis, vigore cujus adverſus tertios poſſeſſores fuit demandata relaxatio prædiorum *la Lama*, & *li Vignali* in beneficium Actorum de Arcudi, una cum fructibus a die obitus D. Annæ Arcudi donatariæ in uſufructu tantum, pro quorum liquidatione fuit impartitus terminus ordinarius, cum reſervatione jurium in beneficium reorum conventorum pro evictione promiſſa a venditrice *fol.* 515., necnon nullitates abſque depoſito pro parte D. Agnetis Lubelli donatariæ univerſalis qu. D. Annæ Arcudi productas adverſus ſententiam *fol.* 519., & ſupplicationem porrectam pro parte Rev. Capituli Mallearum, cum decretatione, quod *tempore diſcuſſionis nullitatum proponat etiam contenta fol.* 522.

Referente Ill. March. D. Joſepho Mauri R. C. & cauſæ Commiſſ.

Decrevit, *quod rejiciantur nullitates prædictæ fol.* 519. *etiam attento tenore ipſarum.*

Non obſtat *textus in l.* 6. *§.* 1. *ff. de offic. Præſid.* in ſecunda nullitate adductus, quo cavetur, quod ſententia ſit, oportet, rerum probatarum fidei uniformis; nam etſi Rei conventi per aliquos teſtes, irrito conatu, nituntur probare, territoria prædicta minime fuiſſe in bonis, & de bonis qu. D. Angeli Volante primi donatoris, & quod ideo ſententia non ſit fidei rerum probatarum uniformis; attamen ex revolutione chartarum, & ex publicis ſcripturis contrarium evincitur; prædia nempe

nempe in actis deducta ſemper fuiſſe in bonis, & de bonis prædicti qu. D. Angeli Volante donantis. Et hoc clare liquet nedum ex teſtium depoſitionibus in termino probatorio per Actores productis ſuper V. & VI. articulo *fol.* 319. *at. ad* 334.; verum etiam ex partitis cataſti *fol.* 119. *& at.*, 120. *at. lit. A*, in quibus apparent deſcripta in faciem ejuſdem D. Angeli prædia deſignata. Inſuper hoc etiam evincitur ex actu adnotationis eorundem bonorum factæ ordine S.C. *fol.* 291.; & tandem ex actu poſſeſſionis traditæ, ac poſtmodum ex actu manutentionis obtentæ per eandem qu. D. Annam donatariam, ex quo luculenter apparent in faciem præfati D. Angeli donantis prædia controverſa nominatim fuiſſe deſcripta *fol.* 396. *at.* Si ergo D. Anna Arcudi uſufructuaria agnovit territoria nuncupata *la Lama*, & *li Vignali* fuiſſe in bonis D. Angeli donantis, & in actu poſſeſſionis, adnotationis, & manutentionis nunquam conqueſta fuit; imo cum eadem qualitate poſſeſſionem adepta eſt, & manutentionem obtinuit *fol.* 400. *at.*, & ex eis bonis, cum eodem titulo, durante ejus vita, uſumfructum percepit, uſquedum ea prædia, diſpoſitione donantis, & jure adverſantibus, non diſtraxit, & in tertios poſſeſſores, mediante contractu venditionis non tranſtulit; minime poteſt hodie D. Agnes Lubelli donataria univerſalis, quæ ſtat loco heredis *anomali*, ſive *contractualis* prædictæ qu. D. Annæ, venire contra factum ejuſdem, cum explorati juris ſit, quod heres teneatur ſtare facto defuncti *l. Heredem ff. de reg. jur.*, *l. Si tertius §. 7. ff. de aqua pluv. arc.*, *l. Heres ff. de uſucap.*, *l. Cum a matre C. de reivindic.*, *& Nov.* 48. *de jurejur. a moriente præſtito*; nam defuncti factum, factum heredis eſſe intelligitur; Et rationem addit Ulpianus in *l.* 143. *ff. de reg. jur.* his verbis: *Ex qua perſona quis lucrum capit, ejus factum præſtare debet*. Unde D. Agnes Lubelli cum ſit dona-

Digitized by Google

donataria univerſalis, ac per conſequens heres dictæ qu. D. Annæ, & tenetur præſtare factum ejus, a qua *lucrativam habuit cauſam*, nec plus juris habere poteſt, quam ipſa ſua Principalis habebat.

Quo vero ad Rev. Capitulum Mallearum, ſatis ſuperque in præcitata ſententia ejus indemnitati fuit proviſum, reſervando in ejus beneficium jura pro prætenſa *evictione* petita contra ſuos auctores laudatos, ſuper quo judicio terminus nondum fuit compilatus. JOSEPH MAURI.

Daniele pro Villacci min.

In cauſa Antonii, & Bernardini Menichino, cum D. Soſſio, & D. Vincentio Cimino. Die 9. Decembris 1774.

Omnibus, quibus fideicommiſſum relictum eſt, ad diſtractionem conſentientibus, nulla ſupereſt fideicommiſſi petitio.

ANtonius & Bernardinus Menichino heredes qu. Cajetani Menichino, vindicare prætenderunt a D. Soſſio & D. Vincentio Cimino medietatem territorii in actis deducti, olim aſſignati qu. Joſepho Menichino eorum patruo, pro portione hereditaria bonorum qu. Nicolai Menichino, ſtante reciproca ſubſtitutione ordinata a dicto Nicolao Menichino in ejus teſtamento de anno 1695. inter qq. Gregorium, Joſephum, & Cajetanum Menichino ejus filios, ac ſtante obitu dicti qu. Joſephi ſine liberis, ſuperſtitibus dictis Gregorio, & Cajetano ejus fratribus, *fol.* 1. *&* 90., expeditoque præambulo dicti qu. Cajetani in beneficium eorumdem Actorum Antonii & Bernardini Menichino *fol.* 112., M.C. die 19. Junii 1759. declaravit, ſtante morte ſecuta Joſephi Menichino abſque filiis, bona ſtabilia, & annuos redditus, quæ remanſerunt in ejus hereditate, & ei obvenerunt a dicto qu. Nicolao, ſpectaviſſe, & ſpectare pro medietate in beneficium Antonii & Bernardini Menichino ejus nepotum ex perſona qu. Cajetani germani fratris, ſalva proviſione facienda ſuper reliqua

 me-

Digitized by Google

medietate, comparentibus heredibus qu. Antonii Menichino alterius germani fratris *fol.* 4. Verum inſtrumento diei 5. Decembris 1701. tam Gregorius, quam Cajetanus Menichino conſenſum præſtiterunt venditioni territorii in actis deducti, pro cauſis in eodem inſtrumento contentis *fol.* 50. 65. & 66. *a t.* in actis interpoſitionis decreti petiti per Joſephum Menichino; & omnibus actis. Quare S.R.C. decrevit *abſolvendos D. Soſſium, & D. Vincentium Cimino ab impetitis per Antonium, & Bernardinum Menichino, ex perſona dicti qu. Cajetani Menichino, ſtante conſenſu præſtito alienationi præfati territorii a dictis Gregorio, & Cajetano Menichino*: omnibus enim, quibus fideicommiſſum relictum eſt, ad diſtractionem conſentientibus, nulla ſupereſt fideicommiſſi petitio, *ex l.* 123. *Nihil* §. 1. *ff. de legat.* 1. DOMINICUS POTENZA.

Michael Priſcolus Act. Mag. Joſeph Caccia Scriba.

In cauſa D. Ferdinandi, & D. Joannis de Franciſcis cum D. Alexandro de Franciſcis. Die 10. *menſis Decembris* 1774.

Voluntas conſervandi bona in familia, adhibito reali præcepto de non alienando, fideicommiſſi perpetuitatem inducit.

FErdinandus de Franciſcis anno 1626 filios heredes ſcripſit, adjecitque, ut nulla ex cauſa bona per ipſum poſſeſſa in Pago Civitatis Caſertæ, dicto *Tuori*, alienarentur; inter quæ aderant fundi nuncupati *il Vitajo, e la Montagna, ma che quelli ſempre abbiano, e debbano ſtare nella Caſa delli de Franciſcis, e ſuccedere, cioè l'uno debba ſuccedere all' altro* omni futuro tempore, ipſiſque de Familia de Franciſcis deficientibus, cavit bona ipſa eſſe unienda Patronatui ſuæ Familiæ: Paternum hoc judicium fuit in eadem ſcriptura teſtamenti nedum approbatum, verum etiam jurejurando firmatum per Cæſarem, & Petrum ejuſdem Ferdinandi fratres *fol.* 73. Alter vero Ferdinandus de Franciſcis nepos jam

jam dicti teſtatoris poſt conjugium cum Camilla Colonna, a qua dotes ducatorum 1800 acceperat *fol.* 117., ad ſecundas convolavit nuptias, pluribuſque ex utroque matrimonio ſuſceptis liberis, moriens anno 1697. vel novercalibus deliniamentis, ſuaſionibuſque corruptus, vel qua alia de cauſa, modum patrimonii ſui ampliare cogitavit: quod quidem propoſitum cum aſſequi neutiquam poſſe dignoſceret, niſi diminuendo avito fideicommiſſo, cauſatus eſt detractiones quamplurimas ad ſe ſuper iiſdem avitis bonis pertinere; aſſirmavit præterea quædam alia bona fuiſſe per eum mutuato nomine D. Petri Antonii Colonna patrui defunctæ uxoris quæſita *fol.* 8. Rebus ita compoſitis ad dividenda bona inter ejus filios Joſeph, Petrum Antonium, Caſimirum, & Franciſcum ex primo matrimonio; Alexandrum, & Michaelem ex ſecundo natos devenit, & quæ obnoxia avito fideicommiſſo erant, pene omnia ad filios ſecundi matrimonii tranſtulit, filios autem primi conjugii heredes ſcripſit in illis bonis, quæ extradotalia defunctæ uxoris erant, vel ſimulato nomine D. Petri Antonii Colonna per eum quæſita fuiſſe aſſeruit. Cavit præterea, ut alteri ex ejus filiis ſine filiis decedenti ſuperſtites pro æquis portionibus ſuccederent, ut bona perpetuo in Familia conſervarentur, & ſubjecta vinculo fideicommiſſi permanerent. Dotes inſuper cuilibet ex quatuor filiis fœminis conſtituit in ducatis 600; ipſis vero innuptis decedentibus facultatem tribuit diſponendi de ducatis 100, reliquum vero fideicommiſſi commodo cederet. Ad hujuſmodi autem dotes exſolvendas addixit fundos *il Vitajo*, *e la Montagna*, quorum ut curam ageret fidei commiſit D. Joſephi alterius ejus filii, ut ex fructibus eorum filias aleret, detractiſque aliquibus præſtationibus annuatim contribuendis ceteris ejus filiis, quod ſupererat traddiſſet cui ex ejus filiis ſecundi matrimonii nuptias primus

mus contraheret, perceptione interim reſtantium fructuum eidem D. Joſepho data. Secuto Ferdinandi obitu, filii aditionem paternæ hereditatis per præambulum profeſſi ſunt. Manentibus ſororibus de Franciſcis innuptis, fundorum *il Vitajo*, *e la Montagna* poſſeſſionem prædictus D. Joſeph continuavit, quo defuncto, Petrus Antonius, & Franciſcus ſuperſtites fratres, abſente tamen altero fratre Caſimiro, conventione inita, ratam habuerunt illorum poſſeſſionem apud D. Alexandrum. Caſimirus autem portionem fundorum petiit, & a qu. Regio Conſiliario Boſco decretum reportavit, ut dividerentur in tres partes, una nempe D. Alexandro cederet, alteræ vero duæ Caſimiro, & Franciſco *fol.* 34. *a t.*
Hinc eductæ in judicii aciem complures actiones inter contendentes fratres Caſimirum, & Alexandrum, quas proſequi ſummo ſtudio eorum filiis placuit. Caſimirus etenim judicium patris circa fundos *il Vitajo*, *e la Montagna* detrectavit, illorumque partem ex fideicommiſſo Ferdinandi primi ejus proavi ad ſe ipſum portionem poſtulavit *fol.* 122., eoque defuncto, per ejus filios fuit cumulata actio pro conſecutione dotium Camillæ Colonna eorum aviæ, & pro revindicandis bonis extradotalibus ejuſdem *fol.* 124.: reſtitutionem pariter petierunt fructuum per Alexandrum perceptorum e dictis fundis a die obitus D. Joſephi uſque ad diviſionem ſecutam vigore decreti Regii Conſiliarii Boſco.
Alexander vero urgebat pro revocatione decreti Regii Conſiliarii Boſco, putans fundos *il Vitajo*, *e la Montagna* ex diſpoſitione paterna ad ſeipſum ſolummodo pertinere *fol.* 116., & poſtmodum ejus filius excepit extinctionem fideicommiſſi Ferdinandi primi *fol.* 277., atque ad calculum hereditatis paternæ eſſe revocandas detractiones legitimæ, & portionum Cæſaris, & Petri fratrum ejuſdem Ferdinandi primi. Satisfactionem pariter petiit ducatorum 600 ex cauſa dotium per ipſum ſolu-

ſolutarum Catharinæ communi ſorori *fol.66.*, & legati ducatorum 100 per ejus patrem relicti Proſperæ Tripani ſuæ uxori; item & meliorationes in ſumma ducatorum 1000 per Petrum Antonium alterum communem fratrem factas in domo avito fideicommiſſo obnoxia poſtulavit.

S. C. in anno 1762. ſententiam tulit, qua ſuper contentis in teſtamentis Ferdinandi primi, & ſecundi terminum aſſignavit, æſtimatione interim injuncta bonorum Ferdinandi ſenioris; declaravit pariter deberi in beneficium Ferdinandi de Franciſcis filii Caſimiri tres ex quatuor portionibus dotium qu. Camillæ Colonna, una cum fructibus liquidandis, adjecitque, quod ſententia non exequeretur, niſi viſo exitu appretii ordinati, quo viſo, providebitur etiam ſuper prætenſis circa bona extradotalia Camillæ Colonna., quæ apparent acquiſita per qu. D. Petrum Antonium *fol.* 171.

In rem judicatam tranſacta hujuſmodi ſententia, fuit terminus jam abſolutus, & bonorum valor ex judicio peritorum patefactus, ex quo compertum eſt, portionem bonorum avitorum per filios Alexandri poſſeſſam ſuperare in ducatis pluſquam 1500 alteram portionem poſſeſſam per filios Caſimiri. In tot, tantiſque controverſiarum capitibus decidendis S. C. perpendit illarum fontes promanare ex teſtamentis Ferdinandi primi, & alterius Ferdinandi nepotis; quotieſcumque enim locus eſſet extinctioni fideicommiſſi per Ferdinandum primum inſtituti, diſpoſitio facta per Ferdinandum nepotem executioni eſſet demandanda, & controverſiis magna ex parte finis imponeretur: propterea cenſuit omnium primum agi oportere de firmitate, atque duratione fideicommiſſi ejuſdem Ferdinandi primi, ſuper quo, licet deſcendentes ab Alexandro innixi ſuper diſpoſitione *textus l. 36. §. pater ff. de legatis* 3. illius exiſtentiam contenderent, nihilominus S. C. animadvertit

vertit Juriſconſultum in illo caſu contra fideicommiſſum reſpondiſſe, quia verba teſtatoris perpetuitatem non continebant, ſed nudum tantum præceptum filiis injunctum conſervandi bona ſucceſſioni ſuæ; eo vel maxime quia teſtator filios ſibi invicem cavere ſtatuit, ita, ut ejus voluntas dici poterat adimpleta quotieſcumque filii ipſis viventibus ad alienationem non deveniſſent. In teſtamento autem D. Ferdinandi de Franciſcis manifeſtiſſime comprehendebatur voluntas conſervandi bona in ejus Domo per reale præceptum de illa non alienando. Imo teſtator, ut plenius voluntatem ſuam panderet, ſubdit modum, quo executioni ejus diſpoſitio eſſet demandanda, per fideicommiſſariam nempe ſubſtitutionem perpetuo duraturam inter ejus deſcendentes, qui propterea jure proprio ad fideicommiſſum vocati cenſebantur, non vero miniſterio eorum patris ad illud ſuccedebant; itaut in facultate ejus non erat pro lubitu meliorem præ ceteris reddere conditionem alicujus ex ejus filiis.

Pro dirimenda autem hujuſmodi controverſia cenſuit S. C. conſentaneam adamuſſim eſſe diſpoſitionem *textus l. 32. §. in fideicommiſſo ff. de legatis* 2., qua cavetur in fideicommiſſo familiæ relicto omnes eſſe vocatos, & alteram diſpoſitionem *l. 2. §. hæc verba ff. de legatis* 3., *& l. 69. §. ſi omiſſa, & §. item Marcus ff. de legatis* 2. Portiones quoque Petri, & Cæſaris in fideicommiſſo Ferdinandi primi fuiſſe comprehenſas, S. C. dijudicavit, cum ipſi teſtamento fratris præſentes adſtitiſſent, ejuſque judicium ſolemni ſacramento firmaverint; quinimo alter ex eis Cæſar teſtamento anni 1643. fideicommiſſum fratris ratum habuit, ut *fol. 85. a t.*

Sicut autem jure inſpecto expeditiſſimam S. C. controverſiam agnovit; ita contra in ambiguo verſatum eſt pro exequenda diviſione bonorum fideicommiſſo Ferdinandi primi ſuppoſitorum inter filios Alexandri, & filios Caſimiri

ſimiri, ex eo, quia Caſimirus judicium patris Ferdinandi ſecundi ſubierat per aditionem portionis ab eo relictæ, quæ porro circumſtantia obicem afferebat ei, ejuſque filiis, quin jus eſſet ceteras actiones in judicium deductas experiundi.

Verum quia de viribus, & efficacia hujus aditionis per Advocatos Collitigantium nil fuerat hucuſque adductum, cenſuit propterea S. C., executionem ſententiæ eſſe reponendam ad tempus diſcuſſionis hujuſmodi exceptionis, juxta præſcriptionem *l. in hac actione §. ibidem ff. ad exhibendum*. Interim vero demandavit executionem ſententiæ anni 1762. reſpectu dotium Camillæ Colonna in quantitate 1500 ducatorum pro tribus ex quatuor portionibus in beneficium deſcendentium a Caſimiro, & pro reliqua portione in beneficium filiorum Alexandri. Hiſce propemodum rationibus S. C. ſequentem protulit ſententiam.

Referente R. Conſil. D. Joſepho Criſconio cauſ. Comm.

Fideicommiſſum ordinatum a qu. Ferdinando de Franciſcis ſeniore in teſtamento per eum condito anno 1626. manu Notarii Cæſaris Jaquinto fol. 71. extitiſſe, atque extare ſuper bonis contentis in fol. 74. etiam ſtante conſenſu præſtito per Cæſarem, & D. Petrum de Franciſcis ejus fratres dicto fol. 74. Salva proviſione facienda ſuper executione præſentis ſententiæ, diſcuſſa plenius exceptione acceptationis, ſive aditionis teſtamenti qu. Ferdinandi junioris facta per ejus filios, qua pendente fiat relatio per Scribam cauſæ ad inſtructionem S. C. omnium bonorum in actis deductorum, & eorum provenientiæ ad finem providendi ſuper aliis hinc inde deductis; & interim exequatur ſententia S. C. de anno 1763. fol. 171. reſpectu dotium qu. Camillæ Colonna in ſumma ducatorum 1500, & reſpectu intereſſe eorundem procedatur ad compilationem termini impartiti vigore citatæ ſententiæ.

In

In cauſa inter Univerſitatem, & Cives Terræ S. Pauli, ac Ill. Principem S. Angeli D. Placidum Imperiali ex una, & Rev. Menſam Epiſcopalem Civitatis S. Severi ex altera. Die 10. menſis Decembris 1774.

Decimæ, quæ a dominio pendent, temporales cenſeri debent; quæ vero dominium excludunt, ſpirituales.

D. Nicolaus Fragianni Spectabilis Regiæ Jurisdictionis Delegatus die 28. Novembris 1759. viſis actis, ac Regiis Reſcriptis, mandavit, quod partes adeant S.R.C. pro deciſione qualitatis decimarum, ſint ne temporales, an ſpirituales; qua deciſione facta, providebitur ſuper petitione Univerſitatis, & Civium Terræ S. Pauli *fol. 52. a t. proc. curr.* Univerſitas, & Cives hujus Terræ, enunciantes decretum prædictum, petierunt a S.R.C. decerni, cujus qualitatis, & naturæ ſint decimæ, quæ a Rev. Menſa Epiſcopali Civitatis S. Severi exiguntur in medietate modii pro qualibet verſura, quæ ſeritur in Territorio Terræ prædictæ; itaut ſi temporales ſint; & tunc per idem S. R. C. decernendum fore, Cives ipſos ab illarum præſtatione eſſe abſolvendos; eo quia omnia Territoria, quæ in ejus diſtrictu ſunt, ſunt feudalia, pro quibus cenſum, ſive decimas ſolvunt utili Domino ejuſdem Terræ, ac Territoriorum prædictorum: Si vero ſpirituales ſint; & tunc pariter decernendum, eoſdem Cives vel non eſſe moleſtandos, cum non Rev. Menſæ Epiſcopali, ſed Eccleſiæ Parochiali ejuſdem Terræ, ejuſque Archipresbytero Curato rectius debeantur; vel ſaltem cauſam Regiæ Juriſdictionis Delegato eſſe remittendam, ut pro executione Regalium Reſcriptorum S.R.M. judicium det de uſu, in quo ſint impendendæ *fol. 2. & 3.* Terminus ordinarius impartitus fuit *fol. 4.* Cives querebantur pro alterius decimæ exactione a Rev. Epiſcopo prætenſæ, atque de maxima indigentia unicæ Eccleſiæ Parochialis ejuſdem Terræ, nedum pro reparatione ejuſdem, quin etiam pro parvo numero Presbyterorum eidem inſervientium, & pro

& pro ſacrorum ſupellectilium deficientia *fol.* 19. *ad* 51. Univerſitas vero prætendebat ex teſtium depoſitionibus extendi territorium ejuſdem Terræ in modiis ſexaginta mille, qualitatem, ac naturam feudalem eſſe, & ſubjectionem habere ex cauſa decimæ, ſeu terragii ab illud colentibus quolibet anno præſtandi utili domino ejuſdem. Idque probabat ex appretio ejuſdem Terræ a Regio Tabulario Vinaccia anno 1735. ordine S. R. C., & cum interventu qu. Regii Conſiliarii Crivelli confecto, ex quo patet integrum territorium ejuſdem Terræ eſſe feudale, ipſique feudo pro cenſibus, atque decimis tributarium, & quadam ejus parte Regiæ Dohanæ Menæpecudum Apuliæ obnoxium *fol.* 166. *ad* 168., cui acceſſit Regius Aſſenſus Sereniſs. Regis Ferdinandi ab Aragonia anni 1478. ſuper venditione Terræ prædictæ, cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis, & cum Bajulatione, ejuſque integro Statu in beneficium Boardi Carafa *fol.* 173. *ad* 188. Rurſus vero Menſa Epiſcopalis ex teſtium depoſitionibus, ex auditu aſſerentium, prætendebat, dotem, ſeu manſum Epiſcoporum, qui antiquitus in urbe jam diruta, nuncupata *Civitate*, ſedebant, poſitum tantum fuiſſe in redditibus feudi, ut vocant *S. Leucii*, & in decimis, quæ exigebantur a Bajulatu, dicto *de Civitate*, ad præſens Territorium *S. Pauli* conſtituente, quæque, everſa illa urbe, atque translata Sede Epiſcopali in Civitatem S. Severi, ad ejuſdem Menſam addicta fuere: Et affirmantium, eamdem fuiſſe, atque eſſe in antiquiſſima immemorabili poſſeſſione decimas prædictas exigendi; proque illis ſolviſſe, & ſolvere cenſum annuorum ducatorum vigintiduorum Univerſitati prædictæ ex cauſa Cataſti, ut etiam ex fide Cataſti, *fol.* 75. Ac denique Archipresbytero Curato Terræ prædictæ, utpote de jure patronatus utilis domini ejuſdem, ab eodem utili domino fuiſſe conſtitutam congruam in annuis ducatis 100, & modiis 20 frumenti ſingulis an-

nis præſtandis; quod etiam inſtrumento diei 29. menſis Decembris 1641. inter Archipresbyterum Curatum, utilemque dominum tunc temporis feudi prædicti conventum fuiſſe dignoſcitur, ſalvis ſemper, atque integris manentibus decimarum reditibus eidem Rev. Menſæ Epiſcopali *fol. 62. ad 76.*, quodque etiam ex fide Archivarii Regiæ Cameræ olim D. Antonii Chiariti colligitur *fol. 88.*, ac Regiis Reſcriptis Sereniſs. Regis Caroli II. Andegavenſis ex Regiſtro anni 1300, 1301, & 1302 a Menſa Epiſcopali exhibitis, ad preces Epiſcopi tunc *Civitatenſis*, mandantis, quod ſi notorium foret, eumdem Epiſcopum, ejuſdemque anteceſſores, ab antiquis temporibus, uti aſſerebatur, conſueviſſe recipere decimam jurium, redituum, & proventuum Bajulationis Urbis prædictæ, illam pro tempore præterito, quo eam ſe non recepiſſe dicebat, Bajuli, & univerſi homines ejuſdem Terræ integram exhibendam curarent: Et deinceps imperantis, *intentionis ſuæ non fuiſſe, ob conceſſionem factam militi, ac familiari ſuo Raynaldo de Depnomartino jurium Bajulationis prædictæ, derogari ſolutioni decimæ Epiſcopo præſtandæ*: Ratione quippe addita, *quod ex divina inſtitutione in ſignum univerſalis dominii ejus, qui dat omnibus omnia, noſcantur decimæ conſtitutæ, quæ quidem merito ceteris debitis præferuntur, fol. 63. & a t.*; tum ex fide Archivarii Regiæ Syclæ qu. D. Antonii Vincenti, teſtantis ex Regiſtro Caroli I. Regis apparere, quod decimæ Bajulationis, quæ Epiſcopo *Civitatenſi* debebantur, poſitæ erant in frumento, vino, hordeo, oleo, dohana, paſſagiis, & omnibus juribus ad eamdem Bajulationem ſpectantibus *fol. 64.*; necnon ex bulla SS. Pontificis Gregorii XIII. diei 9. menſis Martii 1590. pro tranſlatione Sedis Epiſcopalis jam dirutæ, atque everſæ urbis Civitatenſis ad illam S. Severi, ac pro conceſſione in ejus beneficium bonorum omnium, jurium, atque decimarum ad

Digitized by Google

ad *Menſam Civitatenſem* pertinentium *fol. 68. ad 70.*; ac randem ex ſtatuto, uti vocant, *Communitatum Eccleſiaſticarum*, ab eadem Menſa Epiſcopali exhibito, cujus verba hæc ſunt: *Li Figliani della Parrocchial Chieſa di S. Gio: Battiſta della Terra di S. Paolo pagano le decime prediali di grano, ed orzo tantum; E queſte ſi eſigono ab antiquo dalla Menſa Veſcovile, ſenza dividerle coll' Arciprete, e Coadjutore; atteſo queſti hanno li loro emolumenti dall' Univerſità fol. 71.* Altera vero ſupplicatione eadem Univerſitas, & Cives petierunt decernendam eſſe omnimodam abolitionem decimarum prædictarum, tam reſpectu Epiſcopi, quam Parochi *fol. 156.*

His omnibus conſideratis, S. R. C. mandavit: *Decimas, quas Rev. Epiſcopus S. Severi exigit ab hominibus Terræ S. Pauli, colentibus territoria in ejuſdem diſtrictu, & pertinentiis poſita, fuiſſe, atque eſſe ſpirituales, ſive Eccleſiaſticas.* Siquidem ex ſcripturis nomine ejuſdem Rev. Epiſcopi exhibitis (quibus etiam propterea eidem adverſari non licet, *§. 1. n. 23. Conſtit. anni* 1738.), ex Regiis reſcriptis, ſcilicet Sereniſs. Regis Caroli II. Andegavenſis, ipſoque ſtatuto, ut loquuntur, *Communitatum Eccleſiaſticarum*, ſpirituales, atque Eccleſiaſticas eſſe ſatis liquet: præterquam quod, cum ex appretio ejuſdem Terræ integrum territorium eſſe feudale, atque in utili dominio Baronis ejuſdem; ipſique tributarium eſſe appareat, abſonum juri foret, decimas, quæ ab eodem Rev. Epiſcopo percipiuntur, eſſe quoque temporales; a dominio ſcilicet dependentes: Jura ſiquidem non ſinunt ejuſdem rei duos eſſe in ſolidum dominos, vel poſſeſſores. *L. 5. §. ult. commodati. L. 3. §. Pater de Caſtrenſi peculio. L. 3. §. 5. de adquir. vel amitt. poſſeſſ.* Quod vero attinet ſive ad petitam abolitionem, ſive rectiorem uſum decimarum prædictarum, pro executione Regiorum reſcriptorum *fol. 211. ad 215.*

ac

ac pro obſervantia ſuperius citati decreti Spectabilis Regiæ Juriſdictionis Delegati *fol. 52. a t.*, *Partes adeant eumdem Spectabilem Delegatum, etiam ſecundum petita ab Univerſitate, & Civibus S. Pauli in eorum ſupplicationibus fol. 2. & 3.*

Michael Priſcolus Act. Mag. Paſchalis Scafuta Scriba.

Verba fecit de his in S. R. C. R. Conſ. D. Horatius Guidotti.

In cauſa vertente inter magn. D. Auroram Perrone ex una, & magn. D. Carminum Perrone ex altera. Die 12. menſis Decembris 1774.

Filia, quæ annum vigeſimum quintum expleverit, etſi viro indigno nubat, non poteſt a patre exheredari; unde merito paragium petit.

D. Dominicus Perrone Terræ Selliæ ſub die 10. Martii 1763., ſupplicatione expoſuit, D. Auroram ejus filiam ad nuptias convolaſſe cum viro non condigno, ipſo D. Dominico contradicente, & petiiſſe ſuper ejus bonis dotem de paragio; eo tunc quod nihil jure deducere valuiſſet, inſtitiſſe ideo cauſam committi *fol. 1.* Conjuges vero D. Joſeph Accattatis, & dicta D. Aurora altera ſupplicatione die 29. Martii 1770. morte ſecuta præfati D. Dominici, petierunt contra D. Carminum Perrone fratrem dictæ D. Auroræ, tanquam heredem & poſſeſſorem bonorum hereditariorum communium parentum, taxandum eſſe in beneficium ipſius D. Auroræ ſuper bonis dicti D. Dominici paragium, & omne id., quod de jure ad eamdem pertinebat ſuper bonis D. Eliſabeth Rodio communis matris *fol. 21. & 22.*, dictus vero D. Carminus deduxit occupationem bonorum paternorum, peractam a dicta D. Aurora *fol. 124. a t* Termino ordinario impartito ſub die 3. menſis Septembris 1770. *fol. 41. a t.*, eoque compilato cum examine teſtium ab utraque Parte productorum *fol. 69. & ſeq. & fol. 124. & ſeq.*, & inſpecta fide Baptiſmatis dictæ D. Auroræ, ex qua habetur, eamdem tempore celebrati matrimonii cum D. Joanne Petrucci ejus primo viro, expleviſſe an-

Digitized by Google

annum trigeſimum primum ; etenim nata fuit die 10, Januarii 1732. *fol.* 107., & matrimonium prædictum ſequutum fuit menſe Aprilis anni 1763. *fol.* 33. *&* 34. & omnibus actis aliis viſis.

Referente R.C. D. Caſimiro Gamboa S.R.C. talis ſequentem ſententiam:

Damn. ri D.Carminum Perrone ad ſolvendum in beneficium D.Auroræ Perrone, & D.Joſephi Accattatis conjugum paragium dictæ D.Auroræ debitum tam ſuper bonis paternis, quam ſuper bonis maternis, pro quantitate declaranda, una cum fructibus, ſive intereſſe, ad rationem ducatorum quatuor pro centenario, abſque onere Catasti, pro qua declaratione fiat relatio per Scribam cauſæ, partibus requiſitis, bonorum, & onerum remanſorum tam in hereditate paterna, quam in hereditate materna, ac etiam prætenſorum per dictum D. Carminum reſpectu bonorum occupatorum a dicta D. Aurora, & tempore declarationis prædictæ, providebitur quoad expenſas litis.

In jure enim exploratum eſt, filiam non poſſe a patre exhoredari, adhuc ſi nubat viro indigno, dummodo annum vigeſimum quintum expleverit; ſibi enim imputet pater, ſi tamdiu ad filiam nubendam diſtulerit, ut definitum eſt in *Auth. Ut etiam, de appellat. cogn. §. ſi vero uſque ad* 25. *Col:at.* 8. *Conſtit.* 12., & in *Auth. Sed ſi poſt* 25. *annos, Cod. de inoff. teſtam.*, & pro obſervantia etiam Regalis Diplomatis diei 10. menſis Aprilis 1771.; coque magis in præſenti cauſa, in qua matrimonia celebrata a dicta D. Aurora debent ſedulo exiſtimari condigna, ut ex probationibus in termino compilato confectis. Casimiaus Gamboa.

Bernardus Priſcolo Scriba.

In

In causa inter Rev. Canonicum D. Thomam la Mola, Vincentium Vitucci, D. Jacobum Conti, Auguſtinum Montedoro, Paulum la Monaca, Michaelem Mucci, & Ven. Cappellam SS. Sacramenti erectam in Eccleſia Parochiali S. Severini Civitatis S. Severi ex una, & Donatum Milone ex altera. Die 12. Decembris 1774.

Locatio triennalis excludit continuationem ex noviſſimis legibus, quæ *amortizationem* reſpiciunt; nec dicitur longiſſimi temporis, etſi viginti annorum ſpatio continuata fuerit.

CAnonicus D. Thomas la Mola, Vincentius Vitucci, D. Jacobus Conti, Auguſtinus Montedoro, Paulus la Monaca, & Michael Mucci Civitatis S. Severi petierunt eſſe manutenendos in poſſeſſione quarundam portionum territorii ſiti in pertinentiis dictæ Civitatis in loco vulgo dicto *giuſta l' Orto di Meo*, per eoſdem reſpective emptarum inſtrumentis menſis Martii 1771. prævio Epiſcopali aſſenſu, ad finem conſtruendi domus, a Ven. Cappella SS. Sacramenti erecta in Parochiali Eccleſia S. Severini ejuſdem Civitatis *fol.* 1. Donatus autem Milone petiit declarari nullas venditiones factas a dicta Ven. Cappella portionum territorii prædicti, ex eo quia ipſe Milone reperiebatur in affictu dicti integri territorii a tempore immemorabili, ideoque, tanquam conductor ad longum tempus, erat in dicta locatione ſervata forma Regalium ordinum manutenendus *fol.* 30. *ad* 34; inſtititque in Curia Civitatis S. Severi contra dictam Cappellam pro manutentione in affictu prædicto. Interea idem Donatus Milone obligatione penes acta Curiæ dictæ Civitatis, ſtipulata a Felice Milone ſub die 21. Octobris anni 1750., convenit cum Priore dictæ Cappellæ conducere territorium prædictum per annos tres pro convento annuo extaleo ducatorum novem *fol.* 101. Ac idem Donatus Milone die 13. Aprilis anni 1771. emit a dicta Ven. Cappella alteram portionem ipſiusmet territorii *fol.* 8. Decreto S.R.C. diei 12. Septembris anni 1772. fuit impartitus in dicta cauſa terminus ordinarius, audita etiam dicta Ven. Cappella; & interim mandatum, manutenendos eſſe præfatos emptores

res in dicta poſſeſſione, ſolutis meliorationibus factis per dictum Milone; pro cujus effectu fuit commiſſum appretium Curiæ locali, & Regiis Curiis vicinioribus in ſolidum *fol.* 39. Et factum eſt appretium dictarum meliorationum pro ſumma ducatorum 58, & aſſium 90. *fol.* 81. *&* 82.: quæ ſumma dicti pretii meliorationum per dictam Ven. Cappellam depoſita fuit penes acta Curiæ localis *fol.* 85. *&* 88. Hinc publicato termino prædicto abſque examine *fol.* 101.

Referente R. Conſ. D. Caſimiro Gamboa.

Declaratum eſt: *Ven. Cappellam, atque emptores prædictos abſolvendos eſſe ab impetitis a dicto Donato Milone:* Etenim præfatus de Milone fuit ſimplex conductor enunciati territorii per triennium, prout ex citata obligatione confecta die 21. Octobris anni 1750., & venditio prædicta fuit expleta menſe Martio 1771., unde oritur, quod attenta conductione ad triennium, abſque quod ſit lapſum longiſſimum tempus, inſpectis verbis Regalium ordinum diei 29. Februarii 1772., minime continuationem jure poſtulare poteſt; Eoque magis quia præfatus Milone ratas habuit venditiones factas a dicta Ven. Cappella inſtrumento diei 13. Aprilis anni 1771.; nam ipſemet Milone emit a dicta Cappella portionem ejuſdem territorii, quam ſane haud emiſſet, ſi totum territorium ipſi ad longum tempus locatum fuiſſet, & in eo manutenendus eſſet, ideoque facto ratas habuit venditiones prædictas, ut ſtatuit *Scævola in L. Paulus alias per Procuratorem ff. rem ratam haberi*. Casimirus Gamboa.

Felix Cuſtolus Act. Mag. Benedictus de Vivo Scriba.

In

In cauſa vertente inter Ill. Principiſſam Belmontis ex una, & Ill. Ducem Montisalti ex altera parte. Die 17. menſis Decembris 1774.

Qui aliena negotia gerit, auctor eſſe nequit obligationis contractæ nomine mandatoris in rem propriam.

Ex ſimplici nominis ceſſione non impeditur debitor ſolvere priori creditori, præterquam ſi ceſſio ei fuerit denunciata.

ILl. Principiſſa Belmontis petiit ſententiam dici ſuper validitate, vel invaliditate crediti eidem ceſſi ab Ill. Principe S. Pii D. Jo: Baptiſta del Pezzo contra Ill. Ducem Montiſalti, capitalis videlicet ducatorum 1000 cum tertiis ab anno 1586. ducatorum octo pro ſingulis centum, dependentium ex venditione eodem anno peracta a qu. Fabritio Falcone nomine Ill. Duciſſæ Montiſalti qu. D. Hortentio del Pezzo annuorum ducatorum 160 pro capitale ducatorum 2000. *fol.* 1. Anno 1571. inſtrumento dici 23. Januarii Ill. Dux Montisleonis D. Camillus Pignatelli donavit, & ceſſit D. Beatrici de Cardona in augmentum dotium D. Victoriæ de Alemagna ejus filiæ ducatos 1000 percipiendos ex annuis ducatis 400 eidem D. Camillo debitis ab Ill. D. Antonio de Aragona Duce Montiſalti, ſpecialiter vero ex tertiis decurrendis a die prima Septembris 1570. in poſterum *fol.* 127. *a t.*, quos ducatos 1000 a Duce Montisalti debitos ex ceſſione D. Camilli Pignatelli in capitulis matrimonialibus celebratis die 28. Januarii 1571. præfatæ D. Victoriæ de Alemagna cum D. Mutio de Venere, ſubſcriptis nedum a D. Camillo de Alemagna, D. Beatrice de Cardona, D. Jo: Baptiſta, & D. Mutio de Venere, ſed & ab Ill. Duce Montiſalti, D. Victoriæ Parentes nomine dotis eidem conſtituerunt, præter alios ducatos 1000 ab eodem Duce Montiſalti proprio nomine donatos *fol.* 76. Hos vero ducatos 1000 ceſſos a Duce Montisleonis inſtrumento de die 25. Septembris 1577. D. Beatrix de Cardona declaravit, ſe non exegiſſe ſtatutis temporibus a Duce Montiſalti, non ex hujus facto, ſed quo rem gratam faceret Duci Montiſalti, quamvis ceſſa die exactionis eorumdem, a dicto Duce ſatis fuiſſet factum Duci

Duci Montisleonis, qua de re hunc liberavit, adverſus illum vero pro exactione ducatorum mille cum uſuris jura reſervavit *fol.* 127. Anno 1586. D. Mutius de Venere, uti generalis Procurator tam D. Mariæ de Aragona Duciſſæ Montiſalti filiæ primogenitæ, & heredis præfati Ducis D. Antonii, quam Ill. Principis Paternionis ejus viri inſtrumento de die 18. Martii procuratorem ſubſtituit Fabritium Falcone ad vendendum nomine dictorum conjugum, & ſuper eorumdem bonis, annuos ducatos 160 D. Hortentio del Pezzo pro capitale ducatorum 2000 ſolvendorum alicui ex creditoribus dicti Ducis Montiſalti juxta ordinem dicto Procuratori ſubſtituto oretenus datum *fol.* 81. Qui Fabritius Falcone uti Procurator a D. Mutio de Venere ſubſtitutus pro ſolvendis ducatis 2000 eidem Mutio de Venere debitis ex cauſa dotium D. Victoriæ de Alemagna ejus uxoris, inſtrumento de eadem die 18. Martii 1586. vendidit D. Hortentio del Pezzo annuos ducatos 160. pro eodem capitale ducatorum 2000 ſuper bonis præfatæ Duciſſæ Montiſalti, ejuſque viri *fol.* 66. *a t.* Et D. Mutius de Venere alio inſtrumento de eadem die 18. Martii 1586. confeſſus fuit recepiſſe a D. Fabritio Falcone præfatos ducatos 2000, ceſſitque D. Hortentio del Pezzo omnia jura adverſus dictam Duciſſam Montiſalti, ejuſque virum *fol.* 68. *a t.* Heic autem eodem anno 1586. Ill. D. Hieronyma Colonna, uti Balia & Tutrix Ducis Montisleonis, inſtrumento diei 12. Junii facta retrovenditione Duci Montiſalti annuorum ducatorum 900 ab eo debitorum, declaravit ſibi deberi alios ducatos 968 pro complemento omnium tertiarum decurſarum tam ex dictis annuis ducatis 900, quam ex aliis ducatis 440. annuis a Duce Montiſalti ex alia cauſa debitis *fol.* 762. *Proc.* D. Camillo Pignatelli: inſtititque Dux Montisleonis contra Duciſſam Montiſalti pro exigendis nedum reliquis duc. 968 in præfato inſtrumento declaratis, ſed & tertiis

D ulte-

ulterius decurſis ex iiſdem annuis ducatis 440. uſque ad annum 1626. *fol.* 750. *& ſeq. ejuſd. Proc.*, ex quibus hodiernus Ill. Dux Montiſalti intendit ſe fore abſolvendum, nullumque, & inane declarandum prætenſorum creditum ducatorum 1000 cum tertiis decurſis, dependens a præfata ceſſione olim facta a Duce Montisleonis, cum appareat annuos ducatos 440. fuiſſe integre ſolutos uſque ad annum 1626. eidem Duci Montisleonis, & delegationem, qualem jura expoſtulant, in capitulis matrimonialibus D. Victoriæ de Alemagna omnino defeciſſe: eo magis cum venditio annuorum introituum facta in anno 1586. D. Hortentio del Pezzo proceſſerit ex fraude Mutii de Venere abutentis mandato Ill. Ducisſæ Montiſalti ad ſui commodum.

Referente R. Conſ. D. Dominico Potenza, fuit per idem S. R. C. lata ſequens definitiva ſententia:

Nulla habita ratione venditionis annuorum introituum factæ ſub die 18. *Martii* 1586. *per Fabritium Falcone in beneficium D. Hortentii del Pezzo ſuper bonis Ill. D. Mariæ de Aragona Duciſſæ Montiſalti pro ſatisfaciendis quantitatibus debitis Mutio de Venere, utpote geſtæ mandante eodem Mutio de Venere, uti Procuratore dictæ Ill. Duciſſæ, qui proinde auctor fuit præfatæ venditionis in rem ſuam: Deberi ab Ill. Duce Montiſalti, ſive ejus Balia, & Tutrice, Ill. Principiſſæ Belmontis tanquam ceſſionariæ Ill. Principis S. Pii D. Joannis Baptiſtæ del Pezzo, ducatos* 1000 *cum intereſſe pro quantitate, & tempore liquidandis, olim debitos ab Ill. Duce Montiſalti D. Antonio de Aragona Ill. Duci Montisleonis D. Camillo Pignatelli pro tertiis annuorum ducatorum* 400 *in actis deductorum, decurſis a die prima Septembris* 1570. *uſque ad menſem Februarii* 1573., *& ab eodem D. Camillo ceſſos, & donatos D. Beatrici de Cardona in augmentum dotium D. Victoriæ de Alemagna ejus*

ejus filiæ , eidemque D. Victoriæ in dotem conſtitutos in capitulis matrimonialibus initis cum Mutio de Venere ejus viro , vigore ſcilicet ceſſionis jurium a dicto Mutio factæ D. Hortentio del Pezzo . Pro liquidatione vero præfati intereſſe infra quatuor dies audiantur partes. Et pro expenſis judicii partes abſolvantur ad invicem. Abhorrent enim jura , quod quis aliena gerens negotia , auctor ſit obligationis contractæ nomine mandatoris in rem ſuam , *argumento leg.* 34. *ſi in emptione §. ult. ff. de contrah. empt.* , *leg.* 1. *§. fuit quæſitum ff. ad S. C. Trebell.* Semota vero venditione annuorum introituum taliter geſta , ſupereſt jurium ceſſio utiliter facta a Mutio de Venere proprio nomine D. Hortentio del Pezzo pro ducatis 1000 ceſſis a Duce Montisleonis : quos quidem viſum eſt deberi a Duce Montisalti cum intereſſe liquidando , cum nullibi appareat , in rationibus initis reliquorum a Duce Montisalti debitorum in anno 1586. calculatas fuiſſe tertias decurſas a menſe Septembris 1570. uſque ad menſem Februarii 1573. jam ceſſas a Duce Montisleonis , & non potius a calculo ſubductas , uti non jam ipſi Duci , ſed ejus ceſſionariæ debitas ; quod quidem verius videtur , perſpecta declaratione D. Beatricis de Cardona de anno 1577. Potiſſimum vero , quia Duci Montisalti liberum non erat ſolvere Duci Montisleonis ducatos 1000 jam alteri ceſſos , cum citra delegationem , ex ſimplici nominis ceſſione non impediatur quidem debitor ſolvere priori creditori , præterquam tamen ſi ceſſio fuerit ei denunciata , *ex l.* 3. *C. de novat. & delegat.* , vel niſi aliter de ceſſione certior fuerit factus , *ex l.* 4. *C. quæ res pign. oblig. poſſ.* , & ex ſubſcriptione Ducis Montisalti in capitulis matrimonialibus D. Victoriæ de Alemagna , in quibus ceſſio ſignificabatur cum ſua cauſa , indicato etiam ceſſionis inſtrumento , liquido arguatur nedum ejus ſcientia , ſed & approbatio ceſſionis , &

D 2 con-

conſenſus eidem præſtitus, quam proinde cogebatur exequi, *ex l. fidejuſſor 26. §. 1. ff. de pign. & hypoth. l. ſicut 8. §. 15. l. Titius 9. §. 1. ff. quib. mod. pign. vel hypoth. ſolv.* DOMINICUS POTENZA.

Joannes Rubinus Act. Mag. Vincentius Principatus Scriba.

In cauſa Ill. Marchionis D. Joannis Franciſci Rota, nomine trium coheredum Illuſtrium olim Principis, & Principiſſæ Hoſtiliani, D. Ignatii de Sarno, & D. Thomæ Scaja, cum Regio Conſiliario, prius Judice M.C.V. in Civilibus, D. Caſimiro Gamboa. Die 17. menſis Decembris 1774.

Judex male judicando, licet per imprudentiam, litem facit ſuam; & in quantum de ea æquum viſum fuerit religioni Judicantis, pœnam ſubſtinet.

REgiis Reſcriptis diei 25. menſis Novembris 1768., & 13. Auguſti 1769., ad preces D. Ignatii de Sarno, & D. Thomæ Scaja, conductorum ſive exactorum functionum fiſcalium, ac Marchionis D. Joannis Franciſci Rota, vices gerentis trium coheredum olim Principis Hoſtiliani D. Nicolai Guſman-Carafa, Sacro Conſilio demandatum fuit, ut eis jus diceret in cauſa cum Regio Conſiliario, tunc Judice M. C. V. in Civilibus, D. Caſimiro Gamboa. Petierunt quidem, ſarcienda eſſe damna ſibi ipſis illata ob decretum præambuli D. Mariæ Franciſcæ de Toledo y Velaſco, olim viduæ Principiſſæ Hoſtiliani, ex commentitio mandato anno 1767. ab eodem Judice inconſulto pronunciatum in beneficium hodierni Ill. Ducis Albæ & Marchionis Carpii D. Ferdinandi de Sylva Alvarez de Toledo: & ob ſubſequens etiam decretum, quo inconſultius mandatum fuit, deſcribendos eſſe præfato Duci, & pro eo jam vita functo, D. Joſepho Lecce, tunc ejus legitimo Procuratori, annuos ducatos 8000 functionum fiſcalium in hoc Regno, ad tres coheredes præfati Ill. Principis Hoſtiliani pertinentes *fol. 1. & 106. ad 107. vol. 1.*

Princeps Hoſtiliani D. Nicolaus Guſman-Carafa anno 1687. Matriti teſtamentum condidit, quo ſcripſit heredes, in feudalibus ſcilicet D. Nicolaum Guſman-Carafa ſuum ſobri-

ſobrinum; in burgenſaticis vero D. Mariam Franciſcam de Toledo y Velaſco ejus uxorem, cui tamen ſic præcepit: *Eſſendo queſta eredità, e lo dippiù, che le laſcio in queſto mio teſtamento, per Viduità; ed affinchè ſi mantenga in eſſa colla decenza, che ricerca tale ſtato, ed il ſuo ſangue .... e che miri con quella divozione, che io ho avuto al Convento delle Tereſiane, che ho fondato, e tutto lo dippiù lo converta per far bene per l' anima ſua e mia, ſenza che la detta mia eredità, nè lo dippiù, che le laſcio, lo disbrighi in altri fini: ed affinchè dopo de' ſuoi lunghi giorni, che Dio le darà, come deſidero, di tutto quello, che le ſarà reſtato, diſponga in beneficio di detto mio Convento, e dell' anima ſua e mia, e delli miei Cugini, ſtandoſi alla diſpoſizione della detta Signora Principeſſa mia moglie, nè dopo di eſſa poſſano pretendere altra coſa dippiù di quello S. E. li darà, nè impugnare la ſua diſpoſizione in maniera alcuna; E nella diſpoſizione, che detta Signora Principeſſa farà in beneficio dell' anima ſua e mia, ſi ſpiegherà ed attenderà alle opere pie, che io le ho inſinuato, e l' ho incaricato ad eſeguire, fol.* 18. *& 26. vol.* 2.

Mandato autem Regiæ Cameræ anno 1694. deſcriptio facta eſt annuorum ducatorum 8000 functionum fiſcalium in hoc Regno in beneficium viduæ Principiſſæ Hoſtiliani D. Mariæ Franciſcæ de Toledo y Velaſco, *fol.* 122. *ad* 127. *vol.* 1.

Anno 1710. D. Maria Franciſca de Toledo y Velaſco vidua Principiſſa Hoſtiliani, teſtamentum etiam Matriti condidit, quo, inter alia, ita declaravit: *Che per le mie ragioni dotali, ed un cenſo di mia dote, ho lite pendente colli beni della Teſtamentaria del Signor Principe di Stigliano, mio Signore e marito, qual credito importa molto; Voglio, che ſolamente ſi eſigano da' detti beni 906 mila Reali* (ſunt de nummis hujus Regni

gni ducati 54000 circiter), *e lo dippiù lo laſcio e perdono a detta Teſtamentaria. Però incarico che effettivamente ſi eſiga . . . . e tutto il dippiù che importa il credito domandato in detta lite, lo laſcio e perdono, come ho detto, fol.* 33. *vol.* 1.

Poſt hæc ita etiam declaravit : *Dichiaro, che l'Effetto principale della Teſtamentaria del Signor Principe di Stigliano, dal quale ſi può pagare queſto debito, e gli altri, che S. E. laſciò, è uno di ducati* 800. *di rendita in Napoli, che Sua Maeſtà conſegnò in parte di pagamento delle ragioni della Caſa* (in compenſationem ſcilicet Status Sabulonetæ), *il quale ſarà neceſſario, che ſi apprezzi, e ſi venda. E conſiderando lo conſiderabile del mio credito, e la qualità dell'effetto, almeno ſi ha da giudicare più della metà di quello in ſoddisfazione di detto mio credito; per qual motivo voglio, che dal detto mio credito, o effetto ſurrogato o che in ſuo luogo ſi ſurrogaſſe, ſi diano a D. Sabella Guſman Religioſa ec.* Et ſic deinceps quamplurima legata fieri juſſit ex ejus credito 906000 *Realium* ſatisfacienda, *fol.* 34. *& ſeq. vol.* 1.

Secuta deinceps Teſtatrix ipſa Principis Hoſtiliani viri ſui judicium ac voluntatem, ita declaravit & juſſit : *Dichiaro, che l' Ecc. Principe di Stigliano mi laſciò per erede ed eſecutrice teſtamentaria de' ſuoi beni, e per li molti debiti non ho avuto eredità, ed ho fatto tutto quello, che ho potuto conchiudere in ordine alla Teſtamentaria; ma non ſi è potuto fare la diſtribuzione degli effetti, nel qual caſo mi laſciò facoltà, acciò diſponeſſi a mio arbitrio di detti beni . . . . E così attendendo a tutto il riferito, voglio, che il reſiduo, che rimarrà dalli beni di detta Teſtamentaria* (hoc erat reliquum annuorum ducatorum 8000 functionum fiſcalium, ſatisfactis prius 906000 Realibus) *ſi diſtribuiſca in tre parti : Una in far bene per l'anima di detto Si-*

Signor Principe e mia : Un' altra per lo Convento di S. Tereſa di queſta Corte : e l' altra per li Creati, e famiglia, ch' è rimaſta di detto Signor Principe, di quelli che ſervivano in tempo che morì S. E. fol. 37. vol. 1.

Abſolvit poſtremo teſtamentum, inſtituendo ſibi heredes hiſce verbis : *Ed adempito il riferito, del rimanente, che reſterà de' miei beni, nomino per miei eredi univerſali gli Eccellentiſſimi Signori Duca d' Alba mio nipote, e Marcheſe del Carpio mio fratello, affinchè li godano colla benedizione di Dio e mia, incaricandoli . . . . che non entrino nelli beni ſino che gli eſecutori Teſtamentarii* (quos etiam in eodem teſtamento nominavit) *non abbiano adempito il teſtamento, fol.38.vol.1.*

Et deſcripti ſunt annui ducati 8000. Functionum fiſcalium in hoc Regno, ordine M. C. V. anno 1726. in beneficium Doctoris D. Michaelis de Curtis, uti Procuratoris Curatorum Teſtamentariorum præfatæ Principiſſæ Hoſtiliani, *fol. 44. ad vol. 1.*

Anno vero 1769. ſententia lata a Judice Regalis Domus in Civitate Matriti, a Supremo Conſilio Caſtellæ approbata, mandatum fuit, ſatisfactis jam oneribus, legatis, atque juribus dotalibus, debitis hereditati viduæ Principiſſæ Hoſtiliani D. Mariæ Franciſcæ Toledo y Velaſco, explicatiſque rationibus, reliquum hereditatis olim D. Nicolai Guſman Carafa, Principis Hoſtiliani (poſitum dumtaxat, ſecundum ſententiam prædictam, in reditibus annuorum ducatorum 8000 Functionum fiſcalium in hoc Regno) dividi in tres partes : Unam ſcilicet Cœnobio Monialium S. Thereſiæ ejuſdem Civitatis Matriti : Alteram ejuſdem Principis atque uxoris ſuæ animarum Curatori : Tertiam denique D. Michaeli Muſquiz, & D. Joſepho Clemente, partes familiæ ejuſdem Principis Hoſtiliani ſuſtinentibus, aſſignandam, *fol. 36. vol. 2.*

Anno

Anno 1767. die 24. Auguſti decretum præambuli ex teſtamento D. Mariæ Franciſcæ de Toledo y Velaſco viduæ Principiſſæ Hoſtiliani, a M.C.V. prolatum eſt, referente Judice tunc temporis ejuſdem M.C., nunc Regio Conſiliario D. Caſimiro Gamboa, in beneficium hodierni Ducis Albæ, & Marchionis Carpii D. Ferdinandi de Sylva Alvarez de Toledo, per medium D. Mariæ Thereſiæ Alvarez, quæ decreto præambuli ab eadem M.C.V. anno 1746. prolato fuit declarata filia atque heres ex teſtamento Ducis Albæ, & Marchionis Carpii D. Franciſci Alvarez de Toledo *fol.* 27. *vol.* 1., D Franciſci de Toledo Marchionis Carpii, ac Ducis Albæ D. Antonii Martini de Toledo *fol.* 43. *vol.* 1., qui decretis latis a M.C.V. die 14. Julii 1727., & die 31. Maji 1729. fuit heres Ill. D. Antonii Martini de Toledo Ducis Albæ, tam in bonis feudalibus, quam burgenſaticis *fol.* 26. *& a t. vol.* 1.

Prædictus hodiernus Dux Albæ, & Marchio Carpii D. Ferdinandus anno 1758. mandatum commiſit D. Joſepho Mariæ Lecce cum facultate petendi præambulum nedum Duciſſæ D. Mariæ Alvarez de Toledo ejus matris, verum etiam D. Franciſci Alvarez de Toledo ejus avi ex teſtamento, & in feudalibus: atque pariter cum ampliſſima poteſtate regendi, atque exigendi omnes & quoſcumque reditus in hoc Regno ad ipſum pertinentes, *fol.* 138. *ad* 142. *vol.* 1.

Qui quidem D. Joſeph Maria Lecce commentitio mandato (cujus fides confecta eſt a Notario Nicolao Rendina hujus Civitatis) ejuſdem hodierni Ducis Albæ D. Ferdinandi, petiit præſertim præambulum ex teſtamento qu. D. Mariæ Franciſcæ de Toledo y Velaſco viduæ Principiſſæ Hoſtiliani, per medium D. Mariæ Thereſiæ ejus matris, Marchionis Carpii D. Franciſci de Toledo ejus avi, & Ducis Albæ D. Antonii Martini Alvarez de Toledo ejus patrui majoris, etiam in feudalibus *fol.* 6. *vol.* 1.

Qui-

Quibus inſpectis, nimirum præambulo ab ipſomet lato, & calculo onerum, & legatorum in teſtamento prædictæ viduæ Principiſſæ Hoſtiliani contentorum, ac quantitatum ex fructibus annuorum ducatorum 8000 functionum fiſcalium, pro dictis legatis & oneribus forſan ſolutorum, confecto anno 1767. ab Actuario Chriſtophoro Cavallo *fol.* 48. *ad* 53. *vol.* 1., die 31. Auguſti ejuſdem anni 1767. decreto tunc Judicis M. C. V., nunc Regii Conſiliarii D. Caſimiri Gamboa, mandatum fuit: *Quantitates debitas, & debendas ex cauſa annuorum ducatorum* 8000 *dictarum Functionum fiſcalium, ſolvendas eſſe hodierno Duci Albæ, & Marchioni Carpii, & pro eo ejus legitimo Procuratori: facta per eumdem Ducem, ſive ejus Procuratorem obligatione per modum expromiſſionis pro adimplendis tam legatis perpetuis, quam aliis forſan non adhuc adimpletis: Non obſtante ordine M. C. anni* 1726. *de illis ſolvendis Procuratori Teſtamentariæ Principiſſæ Hoſtiliani, fol.* 54. *ad* 56. *vol.* 1.

Anno 1767. die 17. Auguſti D. Joſeph Maria Lecce, uti Procurator præfati Ill. Ducis Albæ mandato ſubſtitutionis, commiſit inſtrumento, ſive albarano diei 4. Septembris ejuſdem anni D. Ignatio de Sarno exactionem dictarum Functionum fiſcalium, pacta mercede ducatorum quinque pro quolibet centenario, pactaque etiam ſolutione ante tempus ducatorum 4000, ab eodem D. Ignatio explenda in menſe Novembris ejuſdem anni: & refectis eidem expenſis ex cauſa præambuli, atque deſcriptionis dictarum Functionum fiſcalium, *fol.* 141. *ad* 142. *vol.* 1.

Die vero 4. Novembris 1767. altero inſtrumento idem Lecce, ſuperiore conventione inita cum D. Ignatio de Sarno, in eodem inſtumento expreſſa non obſtante, promittens ratihabitionem infra quatuor menſes a præfato Duce Albæ exequendam, ſubſtituit in exactione dictarum Functionum fiſcalium D. Thomam Scaja pro

annis duodecim coacte, & pro aliis annis duodecim ad utriuſque partis libitum, conſtituta illi mercede ducatorum ſeptem pro ſingulis centum *fol.79.ad* 80. *vol.*2.

Ad quæ omnia attendens S. R. C., & etiam ad decreta lata a Regia Camera Summariæ, referente ejuſdem Cameræ Præſidente D. Januario de Ferdinando, alterum diei 22. menſis Januarii 1768., quo mandatum fuit: *ut nulla habita ratione inteſtationis annuorum ducatorum* 8000 *vigore decreti præambuli expediti per M. C. V. ſub die* 24. *Auguſti* 1767. *&c. deſcribantur pro tertia parte in faciem Regalis Conventus S. Thereſiæ Monialium Civitatis Matriti, pro alia tertia parte in faciem operum piorum pro ſuffragio animarum qu. Principis, & Principiſſæ Hoſtiliani, & pro reliqua tertia parte in faciem D. Michaelis Muſquiz viri & legitimi adminiſtratoris D. Ignatiæ Clemente, & D. Joſephi Clemente . . . juxta ſententiam latam in prædicta Civitate Matriti die* 13. *Auguſti* 1764., *confirmatam per Supremum Conſilium Caſtellæ die* 29. *Decembris ejuſdem anni &c., fol.* 92. *& a t. vol.* 1.

Alterum diei 5. Martii 1768. mandans, *quod Exactores ſolvant in beneficium Marchionis Rota, nomine ut ex actis, omnes pecuniarum quantitates anticipate exactas pro functionibus fiſcalibus: Et reſpectu aliarum quantitatum prætenſarum pro parte dicti Marchionis, in biduo audiantur partes: & prædictus Marchio interim dirigat greſſus ſuos contra U. J. D. D. Joſephum Lecce, & alios quos decet; Salvis juribus prædictis Exactoribus contra eumdem D. Joſephum Lecce, fol.* 88. *a t. &* 90. *vol.* 1.

Et ad ſchedam Menſæ argentariæ Sacri Montis Pietatis, ex qua apparet, D. Ignatium de Sarno die 3. Novembris 1767. ſolviſſe olim D. Joſepho Mariæ Lecce; uti vices gerenti Ducis Albæ D. Ferdinandi de Sylva, ducatos 126, & aſſes 84, ad complementum ducatorum

4000

4000, juxta conventum in albarano, ſeu inſtrumento diei 4. Septembris ejuſdem anni, *fol. 94. vol. 1.*

Tum ad calculos confectos ab Actuario Cavallo quantitatum exactarum tam a prædicto D. Ignatio, quam a D. Thoma Scaja, & ab ipſis ſolutarum D. Joſepho Mariæ Lecce, ex quibus colligitur, primum eſſe creditorem ducatorum 1532, & aſſium 89. abſque jure exactionis, *fol. 78. ad* 83. *&* 98. *ad* 99. *vol. 1.*

Nec non ad ſchedam Menſæ argentariæ Spiritus Sancti, ex qua conſtat, prædictum D. Thomam Scaja vi litterarum executorialium Regiæ Cameræ ſolviſſe Marchioni Rota ducatos 204, & aſſes 40. *fol. 96. ad 97. vol. 1.*

Et ad ſupplicem libellum, quo Marchio D. Franciſcus Joannes Rota, nomine trium coheredum olim Principis, & Principiſſæ Hoſtiliani, petiit adſtringi ac damnari tunc Judicem M. C., nunc Regium Conſiliarium D. Caſimirum Gamboa ad ſolvendum ducatos 2452, a prædictis Sarno, & Scaja virtute ejuſdem decretorum exactos, *fol.* 101. *ad* 103. *dict. vol. 1.*

Referente R. Conſ. D. Horatio Guidotti cauſæ Comm.

Decrevit, *quod Regius Conſiliarius D. Caſimirus Gamboa ſolvat Ill. Marchioni D. Joanni Franciſco Rota, nomine trium coheredum, ut ex actis, ducatos 2452, a D. Ignatio Sarno, & D. Thoma Scaja, ex annuis ducatis* 8000 *Functionum fiſcalium in hoc Regno ad tres coheredes prædictos ſpectantibus, exactos, & olim D. Joſepho Mariæ Lecce ſolutos, demto tamen jure exactionis, ab eodem Marchione Rota ex cauſa prædicta perſolvi conſueto: pro quo fiat calculus per Scribam cauſæ, partibus requiſitis; Salvis tamen juribus eidem Regio Conſiliario Gamboa contra quos decet.*

Idque nedum ob inordinatum ex commentitio mandato (ſceleris tamen puro atque inſcio Judice integerrimo) decretum præambuli ex teſtamento D. Mariæ Franciſcæ de Toledo y Velaſco viduæ Principiſſæ Hoſtiliani;

 anno

anno 1710. Matriti ſcripto, poſt ſpatium annorum quinquagintaſeptem, anno ſcilicet 1767., inauditis intereſſe habentibus in eodem teſtamento nuncupatis, executive pronunciatum, & in beneficium Ill. Ducis Albæ & Marchionis Carpii D. Ferdinandi de Silva, ex ejus Majorum, & matris præſertim D. Mariæ Thereſiæ Alvarez de Toledo medio; cujus tamen eumdem Ducem D. Ferdinandum tunc fuiſſe heredem tantum in feudalibus, ex præambulorum legitimis atteſtationibus ipſo Judici exhibitis, conſtabat; verum etiam ob inconſultiorem, ipſique teſtamento adverſantem deſcriptionem annuorum ducatorum 8000 functionum fiſcalium in creditum ejuſdem Ducis D. Ferdinandi, & pro eo ejus legitimo Procuratori; Siquidem ex eodem teſtamento, non ad liberam Teſtatricis hereditatem, ſed ad tres alios coheredes (quos illa, judicium & voluntatem Principis viri ſui ſecuta, & ad quem pertinebant, in eo ſcripſerat) prædictas Functiones fiſcales ſpectare liquebat. Judex enim, male judicando, licet per imprudentiam, litem facit ſuam, & in quantum de ea æquum religioni Judicantis viſum fuerit, pœnam ſuſtinet. *L. 6. de variis, & extraord. cognit. L. 15. de judic. L. 29. C. de pact. Inſtit. tit. de action. quæ ex malefic. vel quaſi naſcuntur.*

Inſuper decrevit, *ut pro deductis a D. Ignatio de Sarno, in biduo audiantur partes; Et interim idem Regius Conſiliarius Gamboa faciat depoſitum ducatorum* 1500, *& aſſium* 89.; *Salvis pariter eidem juribus contra quos decet*; Siquidem, licet eadem ratione, qua ſupra; & quia ipſius Judicis decreta prædicto D. Ignatio occaſionem damni præbuerunt, actione in factum Judex ipſe tenetur. *L. 40. §. 3. ad Leg. Aquil. L. 4. in fin. de vi bonor. raptor.* Attamen cum in actione ejuſdem D. Ignatii, ob contractum cum D. Joſepho Maria Lecce initum, adſit mixtio facti; & ob expenſas ab ipſomet Sarno

Digitized by Google

no in M.C.V. pro præambulo, atque fiſcalium deſcriptione obtinenda (Lecce tamen mandante) erogatas, dubitari contingat, an fidem ipſius, aut Judicis tantum, vel utriuſque ſit ſecutus; jure merito terminus cum depoſito eſt impartiendus. *Prag. 7. de ord. judic.*

Quod vero attinet ad D. Thomam Scaja, cum jam conſcius ipſe eſſet contractus initi die 27. menſis Auguſti, & die 4. Septembris 1767. inter D. Ignatium de Sarno, & D. Joſephum Mariam Lecce: & nihiloſecius ipſi placuit die 4. menſis Novembris ejuſdem anni alterum contractum perficere, vigintiquatuor annis perduraturum, pacta etiam immodica mercede ducatorum ſeptem pro ſingulis centum, quamvis de Functionibus fiſcalibus in Provincia Terræ Laboris ageretur, atque alia ei obligatio non inerat, præterquam exactum ſolvendi: Cumque pariter ſponte ſua, & abſque ulla in contractu exiſtente pactione, eidem Lecce ducatos 1800 perſolviſſet, de quibus neque legitima probatio ex actis apparet; *Idem terminus in præcedenti capite datus currat etiam pro ducatis* 739, *& aſſibus* 92, *ad complementum ducatorum* 833, *& aſſium* 25 *ab eodem Scaja prætenſorum: deletis ducatis* 93, *& aſſibus* 33 *pro dicto immoderato jure exactionis; facta tamen a præfato Regio Conſiliario Gamboa obligatione de ſtando juri: & judicatum ſolvendo: factoque pariter, ex præcitatis juribus, ab eodem depoſito ducatorum* 204, *& aſſium* 40 *tantum, Ill. Marchioni Rota ab ipſo Scaja ſolutorum vi litterarum executorialium a Regia Camera Summariæ expeditarum; Salvis etiam eidem Regio Conſiliario juribus contra quos decet.*

Et demum cum D. Joſeph Maria Lecce, morte præventus, flagitii ſui pœnas effugerit, cum effectu M.C.V. in Criminalibus pro executione Regii Reſcripti diei 25. *menſis Novembris* 1768. *ſummo jure agat, inſtante etiam prædicto Regio Conſiliario Gamboa (ſi ita ſibi pla-*

placuerit) contra Notarium Nicolaum Rendina , & Scribam Tomei; deque eo Scriba cauſæ certiorem faciat Dominum Fiſci Patronum ejuſdem M. C. V. in Criminalibus . HORATIUS GUIDOTTI .

In cauſa inter Aromatarios magn. Dominicum Muſella actorem, & magn. Michaelem Merola reum conventum. Die 19. menſis Decembris 1774.

Exceptionem Reo non probante, contra eum obtinet Actor.

DOminicus Muſella partita , ut loquuntur, libri menſæ aromatariæ , in quo adnotata ſunt aromata, credita Michaeli Merola pro pretio, ſubductis rationibus, ducatorum unius & ſeptuaginta, & aſſ. 60. *fol.* 2., petiit ſolutionem *fol.* 3. , teſtibus in termino ſummario pro actore iſtam rem comprobantibus *fol.* 15. *ad* 19. Rurſus reus Merola excepit, ſed non probavit, actionem fore exercendam contra eos, quibus ipſe, actore conſentiente , aromata ipſa credidit *fol.* 5. *a t.*

Referente D. Stephano Patritio R. Conſ. & cauſæ Commiſſ.

Per S. R. C. proviſum eſt , *quod magn. Michael Merola ſolvat magn. Dominico Muſella prædictam ſummam , & expenſas litis*. Fruſtra veremini, ne ab eo , qui lite pulſatur , probatio exigatur ; ita , reo exceptionem ſuam non probante, Actorem contra eum obtinere manifeſtum eſt. *L.* 8. *C. de probat. & L.* 4. *C. de edendo.*

Quaranta Act. Mag. Franciſcus Talamo Scriba.

In cauſa inter [illegible] Monaſterium S. Mariæ Sanitatis hujus Civitatis ex una, & magn. Marinum de Acerno ex altera. Die 19. Decembris 1774.

Enunciatio cenſus, ſive annui canonis, tribus inſtrumentis repetita; atque continuata ejuſdem canonis

DIe 28. Januarii 1756. Marinus de Acerno petiit , nedum non moleſtari pro ſolutione annui canonis prætenſa a Ven. Monaſterio S. Mariæ Sanitatis hujus Civitatis ſuper quadam domo cum viridario, ab eodem de Acer-

Acerno empta, & poſſeſſa in Suburbio Virginum in loco vulgo dicto *alle Fontanelle*, verum etiam cogi, & compelli Monaſterium prædictum ad reſtitutionem præteritorum canonum minus juſte exactorum, ex quo idem Monaſterium non exhibuit titulum, ſive inſtrumentum prætenſæ conceſſionis in emphyteuſim *fol.*1. *&* 10. Termino ordinario impartito *fol.*10. *a t.*, Ven. Monaſterium petiit ab actore ſolutionem duorum laudemiorum pro duabus alienationibus ejuſdem domus, & fieri ſequeſtrum enunciatorum bonorum etiam quoad fructus, cum reſervatione jurium pro exactione annui canonis, experiendorum coram Domino Delegato *fol.*12. Super his decretum eſt, quod terminus alias datus currat etiam ſuper contentis *fol.*12. *a t.*; termino compilato cum productorum teſtium depoſitionibus *fol.* 22. *ad* 28. Ven. Monaſterium oſtendit, quod inſtrumento de anno 1727. fratres de Punzo, cum proceſſiſſent ad diviſionem omnium bonorum hereditariorum qu. Auguſtini Punzo eorum patris, declararunt, eandem domum cum viridario obnoxiam annuo canoni perpetuo irredimibili in beneficium ejuſdem Monaſterii *fol.* 34. *ad* 35. *lit. A.*; & anno 1736. alio inſtrumento per fratres de Punzo eadem domus fuit vendita Benedicto Capuzzo, cum onere annui canonis debiti præfato Monaſterio *fol.* 35.; qui emptor de Capuzzo vendidit magn. Marino de Acerno domum, de qua agitur, cum viridario, immunem & liberam, cum eodem onere ſolummodo annui cenſus, & cum clauſula, ***dummodo debeatur*** *fol.*32. *a t. lit. A.* Quare M. C. ſub die 22. Februarii 1763. interpoſuit decretum: ***Dictum Ven. Monaſterium abſolvatur ab impetitis; & quod actor de Acerno continuare debeat ſolutionem annui canonis tertiatim*** *fol.* 57. Adverſus decretum prædictum ſupplicationem loco appellationis produxit idem de Acerno, ex quo abſolvi debuerat a præſtatione canonis, ob non exhibitionem tituli, vel ſal-

ſolutio, recte operantur, ut in poſterum ſolutio debeatur, etiamſi in judicio ordinario ad hanc rem compilato titulus exhibitus non fuerit.

Secundus emptor, etſi non immediatam, cauſam tamen proximam habet a primo venditore; unde tamquam ejus auctor exiſtimandus hic eſt.

ſaltem erat admittendus ad affrancationem ejuſdem, cum pluries ea fuiſſet Monaſterio oblata *fol.* 61. Et commiſſa cauſa eſt in S.R.C. cum decretatione: *Non impedita interim executione decreti M. C. fol.* 62. *a t.* Et termino impartito ad non poſita ponendum, & ad non probata probandum ſuper judicio appellationis *fol.* 60. *a t.*, Procurator Monaſterii reproduxit in vim probationis omnes publicas ſcripturas, & teſtium depoſitiones jam antea in primo termino editas *fol.* 70. S.R.C. viſis articulis, & teſtium depoſitionibus pro parte ſolummodo Appellantis de Acerno productis ſuper quadam prætenſa conventione inita inter partes reſpectu redimibilitatis ejuſdem cenſus *fol.* 77. *ad* 90., comparitione Monaſterii ſuper repulſa teſtium productorum per eundem de Acerno *fol.*96., apocha Banci Spiritus Sancti alicujus certæ quantitatis in faciem & creditum ejuſdem, cum atteſtatione Scribæ cauſæ in calce ipſius, quod exemplar apochæ prædictæ fuit conſignatum in manus D. Januarii Procuratoris Monaſterii prædicti *fol.*100.

Referente R. Conſil. D. Joſepho Mauri cauſa Comm.

Declaravit: *Male fuiſſe appellatum per magn. Marinum de Acerno; & bene judicatum per M.C.V. in ejus decreto diei* 22. *Februarii* 1763. *fol.*57. *Ac proinde illud executioni mandetur juxta ſui ſeriem, continentiam, & tenorem.*

In hoc judicio non mota, nec refricata fuit quæſtio aliqua de dominio, nec dominus directus inſtiterat pro devolutione domus in actis deductæ; quo caſu, quia agebatur de extinctione contractus emphyteuticarii, omnino titulus de jure erat exhibendus, ſed petiit ſolutionem canonum; & bina laudemia, ob duas alienationes ejuſdem domus domino directo debita; attamen in præcitato definitivo decreto M.C.V. fuit demandata ſolummodo continuatio ſolutionis canonum tertiatim, nec fuit interlocutum ſuper ſolutione laudemiorum. Unde in hac parte decretum prædictum potius favebat acto-

actori de Acerbo, quam reo convento. Hujuſmodi ſiquidem præſtatio canonum per M. C. ordinata minime de jure admittere poterat exceptionem exhibitionis tituli, cum hic non ambigebatur de dominio rei, nec, ut diximus, agebatur de devolutione domus emphyteuticariæ, nec de ſimplici aſſertione in unico forſan contractu venditionis a venditore facta, rem ſcilicet, quam vendidit onere cenſus in beneficium Titii eſſe affectam; quo caſu aliqui tenuerunt, talem aſſertionem nihil probare, nullamque parere actionem ad effectum, ut emptor ad cenſus ſolutionem conveniri poſſit; quia per hujuſmodi ſic peractam aſſertionem rerum dominia non transferuntur, *L. traditionibus C. de pactis*; & quia aſſertiones hæ, cum ſint enunciativæ, in abſentis favorem, ſive alterius, qui non contrahit, fidem non faciunt, *L. Publica §. fin. ff. depoſit. L. Optimam C. de contrah. & committ. ſtipul. & L. fin. ff. de interr. action.*, ſed tractatur de annuo canone ab omnibus emphyteutis, & etiam ab eodem actore uſque a die emptionis in beneficium domini directi ſemper ſoluto; quo caſu etiam illi Juriſconſulti, qui ſtant pro negante ſententia, dominum directum bonum jus fovere cenſuerunt: ubi venditorem cum tali aſſertione diſtrahentem, per longum tempus cenſum ſolvere conſueviſſe probaretur. In caſu, de quo agimus, eadem domus in tribus publicis inſtrumentis venditionis obnoxia oneri cenſus debiti in beneficium præfati Monaſterii, ſemper reperitur tranſmiſſa; Et tres Emphyteuticarii in illis publicis ſcripturis *fol.* 34. *a t. fol.* 35. *& a t. & fol.* 32. *a t.* agnoverunt cenſum domino directo debitum, & canones abſque aliqua exceptione ſponte perſolverunt, ut patet ex libris ejuſdem Monaſterii in archivo aſſervatis *fol.* 32. *ad* 35., & magis evincitur ex teſtium depoſitionibus in termino probatorio productis *a fol.* 21. *ad* 28. *ſuper* 1. 2. *&* 3. *artic.*

F Nec

Digitized by Google

Nec obſtat conventio, quæ aſſeritur inita inter partes ſuper prætenſa affrancatione cenſus per actorem allegata, & minime in termino probata; nam etſi per teſtes fuiſſet de ea atteſtatum, attamen aliqui non idonei videntur eſſe teſtes, inter quos D. Proſperus Buccino, qui fuerat Advocatus actoris in præſenti cauſa, cum in jure cautum ſit: *Ne patroni in cauſa, cui patrocinium præſtiterunt, teſtimonium dicant:* ſunt verba *L. 25. ff. de teſtib.* Alter erat ejuſdem actoris domeſticus & diſcipulus, qui etiam a jure repellendus erat a teſtificando *L. 6. ff. de teſtib. & L. 24. ff. eod.* Reliqui vero teſtes perperam ſcire poterant id, quod inter partes, & intra domeſticos parietes fuerat pertractatum, ut erant famuli, & domeſtici qu. Judicis poſtea Conſiliarii D. Jacobi Caſtelli, coram quo aſſerebatur inita conventio; nam omnes iſti *non videntur veriſimilia reſpondere, & Judex magis ſcire poteſt, hujuſmodi teſtibus quanta fides ſit habenda,* ut ait textus in *L. 3. ff. de teſtib.*, itaut jure merito fere omnes illi teſtes nominatim paſſi ſint repulſam *fol. 96.* Sed ubi adhuc concederetur, quod tractatus ſuper aſſerta conventione fuiſſet inchoatus, attamen idem poſtea non habuit effectum conſummatum, prout ipſimet teſtes clare fatentur. Aſſerunt nempe iſti, quod actor inſtabat pro redemptione cenſus, ex quo fuerat repertum quoddam inſtrumentum, a quo dignoſcebatur natura redimibilis ejuſdem cenſus, ſaltem in majori parte ipſius, & quod ideo reliqua pars etiam redimibilis cenſenda erat; pro quo effectu obtulit Rev. P. Alexio Stellato Syndico dicti Ven. Monaſterii ſolutionem certæ quantitatis capitalis, in apocha Banci Spiritus Sancti deſcriptæ in faciem & creditum dicti de Acerno, licet abſque girata, ut videre eſt *fol. 100.*; quæ apocha aſſeritur conſignata dicto P. Syndico, & quod poſt paucos dies fuit eidem de Acerno, abſque concluſione negotii, tandem reſtituta. Hujuſmodi con-

ven-

ventio verbis, aut ſcriptura minime dici poterat abſoluta & perfecta; præſertim ubi non mutuus partium conſenſus, imo diſſenſus alterius partis interceſſerat, *L. Contractus* 17. *Cod. de fid. inſtrum.*, *&* *L.* 1. *§.* 1. *ff. de pactis*. Eo fortius, quia inſtrumentum, quod dicebatur repertum, non probatur, quod fuiſſet exhibitum, niſi per illos teſtes omnino ad teſtificandum non idoneos, nec reperitur in actis præſentatum; itaut aſſerta conventio remanſit (ut teſtes ipſi fatentur) in terminis ſimplicis tractatus, nec habuit ſuum effectum conſummatum. At iſta ſpecies contractuum, cum ſit juris civilis, ex conventione legem accipere debet, *L. Contractus ff. de reg. jur.*, itaut ubi contractus deficit, vel iſte ſit imperfectus, nullam actionem, & nullum effectum producere poteſt; cum explorati juris ſit, omne id quod imperfectum eſt, pro nullo, inutili, & invalido haberi, *L.* 9. *L.* 35. *§.* 1. *ff. de contrah. empt.* *L.* 115. *ff. de verb. oblig.* *L.* 6. *§.* 3. *&* *L.* 14. *ff. de acceptilat.*

His poſitis, nulla major probatio pro dignoſcenda natura dicti cenſus haberi poteſt, quam illa, quæ reſultat a primo ex tribus præcitatis inſtrumentis ſtipulato in anno 1727., in quo continetur diviſio inter fratres de Punzo bonorum hereditariorum qu. Auguſtini eorum communis patris. In illo ſolemni actu ſtipulationis non eſt inficiandum, ædem illam cum viridario in actis deductam præſcriptis verbis fuiſſe deſcriptam obnoxiam cenſui perpetuo irredimibili *fol.* 35. *lit. A.* Et licet actor de Acerno non habuit cauſam immediatam ab ipſis de Punzo, attamen habuit cauſam proximam, quia emit eandem domum a Benedicto Capuzzo, qui emerat a fratribus de Punzo. Unde recte iſti venditores in jure cenſentur tamquam ejus auctores, *L.* 1. *&* *L.* 3. *ff. de peric. & commod. rei vend.* *L.* 16. *in fin. ff. eod.* *L.* 37. *de act. empt.* *L.* 4. *§.* 27. *&* 31. *ff. de doli mali excep.*

 &

Digitized by Google

& Inſtit. §. 3. *verſ. quidquid tit. de empt. & vend.* Et propterea ipſe de Acerno tenetur præſtare factum eorum, a quibus habuit cauſam, nec plus juris habere poteſt, quam ipſi ſui auctores habebant. JOSEPH MAURI.

Bonaventura Bonocore Act. Mag. Joachim de Magiſtris Scrib.

In cauſa D. Fabritii Vignaroli ceſſionarii Ill. Ducis Oratini D. Antonii Vitagliano Moccia cum Ill. Duce Quercusparvæ D. Raymundo Almirante. Die 23. menſis Decembris 1774.

Ceſſio paragii, quæ pecunia non eſt comparata, interdicta non eſt.

Cedendi jure non caret is, cui bona, urgentibus creditoribus, ſequeſtrata ſunt; dummodo bonis adminiſtrandis non ſit Curator datus.

Sententia lata in cauſa ſtatus jus facit quoad omnes, quorum intereſt.

D. Antonius Vitaliano Dux Oratini hereditario jure qu. D. Eleonoræ Almirante ejus aviæ actionem de dote conſtituenda ſuper bonis qu. D. Agnetis Campanile matris ejuſdem D. Eleonoræ contra Ducem Quercusparvæ inſtituit. Sententia S. C. de anno 1756. fuit declaratum, deberi paragium ſuper bonis qu. D. Agnetis pro quantitate tamen liquidanda *fol.* 23. Deinde vero idem D. Antonius anno 1769. hanc actionem dotis, Sententia S. C. firmatam, donationis titulo tranſtulit in D. Fabritium Vigliaroli *fol.* 40., qui ut quantitatem paragii elucidaret, exploratamque redderet, uſus eſt ſingulari probationis genere, deprompto ex rei alias in pari caſu judicatæ exemplo. Etenim anno 1739. petente D. Eliſabeth Almirante ſorore ejuſdem D. Eleonoræ conſimile paragium ſuper bonis pariter communis matris D. Agnetis Campanile, perpenſo per S. C. valore bonorum ejuſdem, cenſuit eſſe in ducatis quincentum triginta æſtimandum *fol.* 44. Huic adamuſſim tranſactioni adhæſit S. C. in æſtimatione paragii D. Eleonoræ Almirante, pro qua in anno 1769. ſententiam tulit, qua declaratum eſt, *paragium vigore ſententiæ S. C. debitum qu. D. Eleonoræ Almirante, ac pro ea Ill. Duci Oratini ejus nepoti & heredi, & per eum ceſſum ac donatum magn. D. Fabritio Vigliaroli liquidandum eſſe in ſumma ducatorum quincentum triginta, una cum intereſſe*

tereſſe pro nunc a die ſupradictæ latæ ſententiæ ad eamdem rationem, & in omnibus ſervata forma ſententiæ latæ per S.C. favore D. Iſabellæ Almirante ſororis prædictæ D. Eleonoræ. fol. 47.

Quam porro ſententiam Dux Quercusparvæ infirmare per nullitatum remedium quamplurimis ex cauſis efflagitavit, inter quas duæ potiſſimum ceſſionis futilitatem, & incapacitatem cedentis reſpiciebant *fol.* 58. & 62. Obtendebat etenim Dux Quercusparvæ nullius momenti habendam eſſe ceſſionem paragii per ipſum Vigliaroli reportatam a Duce Oratini, nedum quia legalibus ſanctionibus vetitam; verum etiam quia idem Dux Oratini urgentibus ejus creditoribus bona apud Judicem depoſuerat, ex quo rerum ſuarum dominio, atque adminiſtratione expers fuerat effectus.

Adhibita autem per S. C. accurata inveſtigatione hujus controverſiæ, cenſuit oppoſitas exceptiones nihil eſſe pendendas. Ceſſionem enim pecunia eſſe comparatam nequaquam apparebat, ſed concepta legebatur per ſpeciem donationis, quæ interdicto legis non erat obnoxia, ut apertiſſime cautum eſt in *L. per diverſas Cod. mandati*.

Neque cedens impos ſui exiſtimari poterat ex ſequeſtratione bonorum urgentibus creditoribus ſequuta, cum jure perſpecto ſequeſtrum neque dominium tollat, neque poſſeſſionem *L.* 39. *ff. de adquir. poſſeſſ.*, quod tamen locum ſibi vindicat, dummodo non fuerit per Judicem ex conſenſu majoris partis creditorum bonis adminiſtrandis Curator conſtitutus *L.* 2. *ff. de Curat. bonis dando*.

Conquerebatur prætèrea Dux Quercusparvæ, S. C. ad æſtimationem paragii in ducatis quincentum triginta deveniſſe, nulla per Actorem probatione exhibita ad inſtruendum Judicis animum ſuper valore hereditatis qu. D. Agnetis Campanile. Hæc licet vera eſſent, attamen juſti-

juſtitiam ſententiæ neutiquam infringere cenſuit S. C.; in æſtimatione enim paragii D. Eleonoræ, ſententiam ſuam ad normam alterius ſententiæ latæ pro altera ſorore Eliſabeth direxit, in qua æqua trutina examinatus fuit valor bonorum D. Agnetis. Quæ porro ſententia ſtatum efformabat pro ceteris ejuſdem filiis, ut pari ratione judicarentur. Explorati enim juris eſt, ut quæcumque ſententia lata in cauſa ſtatus, jus faciat quoad omnes, etiam non auditos. *L. 25. ff. de ſtatu hominum, L. 9. ff. de poſtulando, L. 65. §. cum Prætor ff. ad Trebell.*, potiſſimum ſi in judicio adſtiterit legitimus contradictor, *L. 1. §. denuntiari ff. de ventre inſpic.*, & ſicuti Leges in aliquo caſu providentes, ad ſimiles quoque producuntur, atque æqualem vim habent, *L. quod contra: ff. de reg. jur. L. ſi domus §. cum alicui ff. de legat. 1. L. 12. & 13. ff. de legib.*; Ita ſententia ſtatum controverſiæ firmando effectum ſuum porrigit ad omnes alias perſonas, quorum intereſt, *L. ſæpe ff. de re judic.*

Cetera autem nullitatum capita, utpote executionem ſententiæ reſpicientia, merita ejuſdem non inficere S. C. exiſtimavit, ac propterea ſequens protulit decretum:

Nullitates prædictas non obſtare, ac proinde depoſitum liberetur in beneficium Regii Fiſci.

Verba fecit de his in S. R. C. D. Joſephus Criſconio R. Conſ. & cauſ. Comm. U. J. D. Michael Priſcolus Scrib.

In cauſa inter Ill. Comitem D. Ludovicum Argoli, & D. Carolum, alioſque fratres de Tomei. Die 23. Decembris 1774.

Non poteſt conductor dominii quæſtionem offerre, niſi conductorum bonorum poſſeſſione prius relicta.

EX re judicata, proviſionibus deinde S. R. C. mandatum fuit Regiæ Provinciali Audientiæ, ut Comitem Ludovicum Argoli ex locato, adverſus magn. de Tomei conductores, immitteret in poſſeſſionem bonorum Cappellaniæ inſtitutæ a qu. Proſpero Argoli, qui uti

by Google

uti Fundator & Patronus anno 1677. fundi atque dotis nomine eidem Cappellaniæ ipſamet bona donavit, quæ ſibi ſingulatim data fuerant in ſolutum a majoribus de Tomei: cavitque primori quaſi inſtitutionis lege, ut illa quicumque Cappellanus extiterit quam diligenter pro futura eorundem bonorum cautela in ſollemni inventario deſcriberet. Dubitatur nunc ex parte reorum excipientium, utrum bona, quæ ex conducto reſtitui debent, ſint potius ea accipienda, quæ in Bulla, ut vocant, erectionis, an vero quæ in dationis in ſolutum, ſive fundationis inſtrumento ſcripta ſunt. Non eſt dubium, quin locator præſtet conductori frui licere, utque indemnis ei ſit conductio; conductor autem præſtet ea, quæ ex fide bona eum præſtare oportet ſecundum conductionis legem: & ſi in lege quid ſit prætermiſſum, id ex bono & æquo præſtare. Qui ex lege conductionis convenit, ne ignem haberet, ſcribit Ulpianus *L. 11. §. 1. ff. locati & conducti*, non debuit ignem habere, ne innocentem quidem. Conductor ergo præſtabit ea, quæ ex lege conductionis eſſe deprehendimus. Locatio etenim in hoc caſu, quæ facta prius in triennium anno 1738., poſtea tacita reconductione in plures annos, annua mercede conſtituta quatuor & viginti ſalmatarum tritici, concepta fuit hoc modo: *Omnia & quæcumque bona, atque eadem ipſa, quæ olim poſſidebat Cappellanus Johannes Paulus Tomei, deſcripta in inſtrumento fundationis, & dotationis ejuſdem Cappellaniæ fol.* 50. Legem ſiquidem conductionis maxime in re locata conſiſtere dicimus. Oportet ergo, ut conductor ea præſtet bona, quæ conduxit, ex lege conductionis: quæ vero bona in fundationis inſtrumento, eadem & in inventariis ſcripta ſunt ante locationem confectis, eo, quo modo Fundator præcepit *fol.* 273. 280. 295. *a t.* Bona igitur, quæ in Bulla erectionis continentur extra legem locati & conducti ſunt; præ-

præterquam quod illius exhibitum exemplum non authenticum eſt, neque a vitii ſuſpicione alienum *fol.*236. *ad* 239. *&* 313. Ita quod ad ceteras reorum exceptiones, videlicet ex dotis cauſa, vel permutationis, ut in relatis per Regiam Provincialem Audientiam *fol.*262. ante locationis tempus, forte ſibi competentes, placuit pariter, ut conductor de dominio contendat ordinario judicio: cum certum quidem ſit locatori locati agenti non poſſe offerri dominii quæſtionem: Si quis Conductoris titulo agrum, vel aliam quamcumque rem accepit, poſſeſſionem prius reſtituere debet, & tunc de proprietate litigare *L.* 25. *Cod. de locat.*, niſi vel dominii quæſtionem, ut quidam argumento legis putant, locator conſulto conteſtatus ſit, vel ſi ex novo & aperto jure poſt locationem ſuperveniente agat. Nemini enim licet mutare cauſam ſuæ poſſeſſionis, quod æquiſſimum eſt, nempe, ut quiſque agat, cauſa tamen prius poſſeſſionis reſtituta. Ita, explicando proviſionem in decreto Domini cauſæ Commiſſarii diei 30. Septembris 1772. *fol.*234., S. R. C. declarat, *Ill. Comitem D. Ludovicum Argoli eſſe cum effectu immittendum in poſſeſſionem bonorum Cappellaniæ, ut ex actis, deſcriptorum in inſtrumento dationis in ſolutum, & fundationis ejuſdem Cappellaniæ, & inventario facto ab olim Cappellano D. Johanne Paulo Tomei fol.* 295. *a t.*, *ſervata forma locationis fol.* 50., *ac proinde a magn. de Tomei conductoribus relinquenda eſſe ſupradicta bona vacua & expedita in beneficium ipſius Comitis Ludovici; & ſuper noviter deductis ex parte dictorum de Tomei terminum alias datum currere debere; facta interim per eundem Comitem obligatione de reſtituendo fructus., viſo exitu termini prædicti*.

Verba fecit de his in S.R.C. D. Stephanus Patritius R. C. & cauſ. Comm. Antonius Baſile Act. Mag. Vincentius Baſile Scriba.

In

In cauſa inter magn. D. Thereſiam Roſſi viduam qu. D. Joachimi Peronacci, contra Rev. Epiſcopum Civitatis Umbriatici; & inter eundem Rev. Epiſcopum, contra U. J. D. D. Gregorium Roſſi, ejuſdem D. Thereſiæ fratrem. Die 23. Decembris 1774.

D. Joachim Peronacci, & D. Thereſia Roſſi capitula matrimonialia die 18. Octobris 1738. celebrarunt, promiſſis dotium nomine ducatis 1000. *fol.* 8. Anno vero 1751. die 15. Novembris dictus D. Joachim donavit omnia ſua bona ejus filio Aloyſio, quem unum ex eo matrimonio ſuſceperat, & cui univerſa bona reliquit per fideicommiſſum, ſive primogenituram agnaticam, excluſis nominatim fœminis; & ſi idem Aloyſius filius in pupillari ætate, vel viginti annis minor, ſine filiis deficeret, vocavit Seminarium, vel Collegiatam Eccleſiam, conſtruendam ipſis bonis relictis. Hoc amplius voluit, ut deficiente linea & deſcendentia Aloyſii filii, ſibi, vel Rev. Epiſcopo ejus fratri jus eſſet mutandi, moderandi, delendi omnia, quæ inſtituerat *fol.* 19. Anno 1759. die 21. Novembris Epiſcopus donavit Aloyſio nepoti, qui tunc, patre jamdudum mortuo, humanis litteris Neapoli vacabat, ſub cura ejus avunculi D. Gregorii Roſſi, ornamenta quædam aurea, argentea, aliaque non modici pretii, ab eo *excamerata*, ut loquuntur, ante poſſeſſionem adeptæ dignitatis, cum effectu tamen poſt ejus obitum *fol.* 11. *ad* 13. Defuncto filio Aloyſio, anno 1766. die 2. Octobris eadem D. Thereſia alio inſtrumento donationis, ceſſionis, ſive renunciationis irrevocabiliter inter vivos ſupradicto Rev. Epiſcopo ejus leviro renunciavit hereditatem Aloyſii filii defuncti, dum vix attigiſſet majorem ætatem, ab inteſtato, & ſine filiis; explicuitque ita cauſam renunciationis: *quia omnia bona renunciata erant olim empta, etſi ipſius D. Joachimi nomine, pecunia tamen Epiſcopi,*

Mulier donans, licet geminata confeſſione donationem adprobaverit, non impeditur ordinario judicio cõtra donationem ipſam agere.

Mulieri donanti datur actio de dolo malo intra annum continuum, intra quadriennium metus cauſa, &, detracta infamia, actio perpetua in factum.

Qui ex alterius contractu agit, rem ratam habuiſſe dicitur.

 quam

quam cumulaverat ex redditibus beneficialibus, *atque emolumentis muneris Vicariatus in pleriſque Diœceſibus per eum exerciti*. Eodem inſtrumento Epiſcopus, veluti in remunerationem rerum ſibi donatarum, tam D.Thereſiæ nonnulla bona, quam U.J.D. D. Gregorio Roſſi donavit, pro mercede ejus forenſium laborum, ducatos 1000, ei ſolvendos ex capitalibus ducatorum 4000, emptis, ut aſſeritur in eodem inſtrumento, per eundem D. Gregorium pecunia ipſius Epiſcopi *fol.* 32. *ad* 35. Heic D. Franciſcus Antonius, & D. Gregorius fratres D. Thereſiæ die 3. Aprilis 1767. petierunt, nullam declarandam eſſe ſupraſcriptam donationem, ſive renunciationem hereditatis, tamquam factam a muliere, malitiis, atque machinationibus donatarii *fol.* 1. Quare Dominus cauſæ Commiſſarius die 4. Julii 1767. decrevit, *quod partibus auditis, fiat deſcriptio omnium bonorum, & capitalium donatorum in creditum Rev. Epiſcopi; demtis tamen ducatis* 1000. *donatis eidem D. Gregorio Roſſi, & in ipſius creditum pariter deſcribendis, ſecundum ſeriem donationis. Quod vero ad petitam nullitatem, comparente D.Thereſia, providebitur. fol.* 45. Et inſimul D. Gregorius petiit, citra præjudicium ſuorum jurium, fieri deſcriptionem ducatorum 1000. *fol.* 50. Verum die 26. Julii 1767. D. Thereſia ſolemniter declaravit, veram eſſe renunciationem, ipſamque confirmavit, uti rite & recte factam, atque allegata ab ejus fratribus prorſus commentitia eſſe, ait; cauſamque renunciationis explicuit hoc alio modo: *quia bona erant partim quæſita a majoribus, partim eorum pecunia. fol.* 52., inſtititque pro executione decreti diei 4. Julii 1767. *fol.* 55.; & ut ejus fratres, prava calliditate agentes, repellerentur a limine judicii *fol.* 56. *ad* 57. Et dum S.R.C., ſuper ſupplicatione D. Franciſci Antonii Roſſi de V. F. pro revocatione decreti, *quod comparente D.Thereſia, providebitur fol.* 56., die 13. Maji 1768.

1768. confirmaret decretum Domini cauſæ Commiſſarii diei 4. Julii 1767., ut omnia bona renunciata in Epiſcopi creditum deſcriberentur *fol.* 68., ipſamet D. Thereſia die 20. Novembris 1769. petiit, poſt biennium a die ejuſdem renunciationis, & reiteratæ approbationis, nullitatem renunciationis, tamquam ab ea factæ fallaciis, & circumventionibus *fol.* 94., ac decreto diei 6. Februarii 1772. datus fuit terminus ordinarius ad probandum petitam nullitatem *fol.* 111. Epiſcopus e contra petiit, ut idem decretum termini revocaretur; cum obſtent geminata ejuſdem renunciationis approbatio, & rei judicatæ auctoritas.

Interea Epiſcopus petiit, quod M. C. continuet in procedendo in cauſa contra D. Philippum Infante ad ſibi ſolvendum ex mutui cauſa ducatos 300. *fol.* 101. Super quibus cum Dominus cauſæ Commiſſarius die 9. Decembris 1772. ordinaret ut M. C. procederet, D. Thereſia petiit contrario imperio revocari, quia pendente judicio propoſitæ nullitatis contra inſtrumentum renunciationis, totum id, quod ad idem inſtrumentum pertinet, fieri debet in S. R. C., & interim nihil innovandum *fol.* 103.

Inſtitit denique idem Epiſcopus pro declaratione facienda per U. J. D. D. Gregorium Roſſi capitalium ab eodem emptorum pecunia Epiſcopi, & comprehenſorum in inſtrumento renunciationis factæ a D. Thereſia *fol.* 76. & decrevit Dominus cauſæ Commiſſarius die 10. Maji 1771., *quod magn. U. J. D. D. Gregorius Roſſi declaret implicationes per eum forſan factas quantitatum ſcriptarum in enunciato inſtrumento fol.* 78. Qui quidem de Roſſi inſtantia *contrarii imperii* dixit, aſſertionem factam a D. Thereſia ſibi, & non alteri nocere, neque prætextu declarationum licere actori educere a reo probationes *fol.* 80. Et cum Epiſcopus ſupplicaret, ut idem decretum confirmaretur pro eadem declaratione facienda;

da; nam D. Gregorius Roſſi acceptatione per ipſum facta alterius decreti, *quod omnia bona, & capitalia in creditum Epiſcopi deſcriberentur, juxta tenorem inſtrumenti renunciationis*; & deſcriptione in ejus creditum jam ſecuta capitalis ducatorum 1000 ſibi donatorum in eodem inſtrumento renunciationis, videtur id confiteri, quod eadem D. Thereſia confitetur, potiſſimum in civilibus, ubi confeſſio non ſcinditur *fol.* 89.; D. Gregorius capitulatim reſpondit, nempe, objecta ſibi non officere, cum ei fuerint ſoluti ducati 1000 pro mercede ejus forenſium laborum, qui non ex inſtrumento, ſed ex re ipſa ſunt *fol.* 92.

His omnibus viſis, ex facto quæritur, an a muliere donante poſſit inchoari ordinarium judicium adverſus donationem, quam geminata confeſſione approbaverat? Apertiſſimi juris eſt, mulieres non poſſe intercedere, & alienam ſuſcipere obligationem, adjuvarique Senatus auxilio, propter ſuam imbecillitatem; veruntamen ſi mulier interceſſionem geminatam approbaverit, cautionem ſcilicet conſcripſerit, vel pignus, aut interceſſorem præſtiterit poſt biennium a die prioris interceſſionis, non adjuvabitur. Si vero negotium ſuum gerat, puta, ſi alicui donaverit, non videtur intercedere, nec eſt ei Senatus auxilio. Inconditum quippe eſt, ſubvenire ſexui mulieris, quæ ſuo nomine periclitatur, *L.* 95. *§.* 5. *ff. de ſolut. L.* 2. *C. ad SConſ. Vell.* Mulier itaque donans, poteſt agere adverſus donationem de dolo malo intra annum continuum, ex eo tempore, quo dolus admiſſus eſt, vel metus cauſa intra quadriennium continuum, vel detracta infamia, perpetua actione in factum, ſimplici nempe atque modeſta facti narratione, non alio niſi ordinario judicio; cum inſtrumentum faciat, ut loquuntur, probationem probatam, *L. ult. C. de dolo malo, L. ult. C. de temp. in integr. reſt. L. ſi ſuperſtite C. de dolo malo, L.* 18. *C. de probat.* Nec in

in cauſa proprietatis obſtare dicimus rem judicatam in poſſeſſionis judicio interpoſitam : etenim exceptio rei judicatæ obſtat, quoties eadem quæſtio revocatur, *L.3. C. de except. rei judic.* Eadem ſane ratione conſtat, donatarium, prolato donationis inſtrumento, recte in M. C. agere, pendente nullitatis judicio: quoniam inſtrumenta, in plenario tamen judicio, poſita probationum colliſione, efficacioribus probationibus, non præſumptionibus evertuntur. Judicium vero ubi ſemel eſt acceptum, ibi & finem accipere debet.

Item quæritur, an actor poſſit, mox incœpta cauſa, a reo educere declarationem quantitatum in inſtrumento ſcriptarum, forte inter alios acto? Certe, ſi is, veluti in propoſita facti ſpecie, rem ſibi donatam ex eodem inſtrumento apud Judicem petierit, vel a decreto Judicis exequentis eandem donationem, non provocaverit, rem ratam habuiſſe videtur, ſaltem ut cogatur animi ſui ſenſa in judicio aperire, an ratum inſtrumentum, ex quo petiit, habuerit: etenim qui ex contractu alterius agit, rem ratam habuiſſe dicitur. Si ſervus alienus, ſcribit Paulus, pro Titio fidejuſſit, & ſolvit, liberatur Titius, ſi dominus mandati contra eum agere inſtituit; nam qui mandati agit, ratam habere ſolutionem videtur; *L. 66. ff. de fidejuſſ.*

Ita S.R.C. explicando proviſionem reſervatam, declarat, *quod terminus datus decreto 6. Februarii 1772. fol.*111. *ſuper petita nullitate inſtrumenti renunciationis hereditatis qu. D.Aloyſii Peronacii, facta a D.Thereſia Roſſi Rev. Epiſcopo Civitatis Umbriatici, currat etiam ab hodie ſuper omnibus hinc inde deductis. Similiter bene proviſum tam decreto* 9. *Decembris* 1771. *fol.*102., *quod M.C. continuet in procedendo; quam decreto* 10. *Maji* 1771. *fol.*78., *quod U.J.D. D.Gregorius Roſſi declaret implicationes, per eum forſan factas, quantitatum ſcriptarum in eodem inſtrumento renunciationis, oppoſitis*

tis per Rev. Epiſcopum, D. Gregorium Roſſi, & D. Tereſiam reſpective, non obſtantibus.

Capobianco a Secr. Priſcolus Act. Mag.

Verba fecit de his in S.R.C. D. Stephanus Patritius R. C. & cauſ. Comm.

In cauſa vertente inter magn. fratres de Vitale ex una, cum heredibus qu. D. Januarii Criſtiano, & magn. fratribus de Jorio ex altera. Die 9. menſis Januarii 1775.

Mulier, quæ in ætate decrepita donat, alimenta ſibi reſervans abſque reſtrictione, in fraudem Conſuetudinis donare videtur.

Bona, quæ a filio ad matrem pervenerunt, antiqua, & Conſuetudini ſubjecta exiſtimantur.

Tranſactio de bonis, ad quorum medietatem proximiores conjuncti vocantur, in fraudem facta non cenſetur.

SUprana Vitale ex primo matrimonio vidua qu. Angeli Pezzella, & mater qu. D. Stephani Pezzella, & ex ſecundo matrimonio vidua qu. Santuli Criſtiano, cum e vivis diſceſſiſſet dictus ejus unicus filius ſub die 5 Decembris 1757., publico præcedente inſtrumento, rogato ſub die 8. ejuſdem menſis Decembris, donavit irrevocabiliter inter vivos Rev. Sacerdoti D. Januario Criſtiano omnia ejus bona, etiam futura, & ſignanter omnia bona, quæ eidem obvenerunt ob mortem ejus filii D. Stephani, & medietatem ducatorum 100 ſuorum dotalium, ſibi reſervans facultatem diſponendi de ducatis 400, quos, caſu diſpoſitionis non faciendæ, reliquit eidem donatario, & facultatem habitandi domum eidem melius viſam, & præſtationem alimentorum durante ejus vita, & cum onere celebrationis Miſſarum numero 400. *fol. 35. ad 41.*

Die 17. Maji 1758. quum fratres de Jorio inſtituiſſent judicium ſuper hereditate dicti qu. D. Stephani Pezzella, prætendentes ad ſe ipſos dictam hereditatem ſpectare, uti fratres conſobrinos qu. D. Stephani; D. Januarius Criſtiano, uti donatarius Supranæ tranſactionem habuit cum fratribus de Jorio, qua ceſſit, præcedente pariter publico inſtrumento, in beneficium eorumdem fratrum de Jorio omnia dicta bona donata; ſolutis tamen D. Januario a fratribus de Jorio duca-

ducatis 2300, pro quibus dicti fratres de Jorio ſe obligaverunt de evictione: E contra vero D. Januarius expreſſe convenit de evictione non teneri, niſi in aliquibus caſibus *fol.* 10. *ad* 30. Defuncta in menſe Januarii 1762. dicta Suprana, fratres de Vitale, nepotes ex fratre ejuſdem Supranæ, obtinuerunt a M.C.V., decretum, quo fuit declaratum, medietatem bonorum antiquorum, quæ in beneficium ejuſdem Supranæ remanſerunt, ſpectare & ſpectaviſſe ad fratres de Vitale, & vocaverunt in judicium tam D. Januarium Criſtiano, quam fratres de Jorio pro obtinenda medietate horum bonorum antiquorum, quæ a dicto D. Januario obvenerunt *fol.* 7.; & compilato termino ordinario, & proſecuto judicio tantum contra D. Januarium Criſtiano, ſub die 5. Julii 1766. decreto definitivo M.C.V., ad relationem tunc Judicis D. Caſimiri Gamboa, fuit ordinatum, dictam donationem pro medietate bonorum antiquorum non valere, ac proinde fuerunt condemnati heredes qu. D. Januarii Criſtiano ad ſolvendum in beneficium fratrum de Vitale medietatem ducatorum 2300, una cum intereſſe liquidando *fol.*128. Producta appellatione in S.R.C. ſub die 31. Maji 1771., ad relationem Ill. Principis Dentice Regii Conſiliarii, & Commiſſarii, fuit prolata ſententia, *bene appellatum, & male judicatum*, *ac proinde donationem in actis deductam eſſe validam, etiam pro omnibus bonis Conſuetudini ſubjectis, & heredes D. Januarii Criſtiano non moleſtari fol.*178. Denuo propoſita cauſa in gradu reclamationis, in qua fuerunt vocati in judicio non ſolum heredes dicti qu. D. Januarii Criſtiano, verum etiam fratres de Jorio; & actores inſtiterunt pro nullitate hujus donationis, de jure communi, ex cauſa imbecillitatis mentis, & de jure conſuetudinario, quia dicta donatio facta erat in fraudem Conſuetudinum; de pluribus fuit diſceptatum. Primo dicebatur, hanc dona-

donationem, utpote factam a dicta Suprana ætatis ſuæ ann. 87. ob ejus imbecillitatem mentis, ut dicunt duo teſtes *fol. 95. ad 99. ſuper quinto artic.*, & quia factam poſt triduum mortis ejus filii, eſſe nullam, vel ſaltem ſuſpectam, & ex dolo extortam. De hac nullitate, & ſuſpicione minime curavit S. C. ob deficientiam probationum. Secundo fuit diſceptatum, an eſſet donatio in fraudem Conſuetudinum: Conſuetudines enim noſtræ permittunt civibus liberam poteſtatem in vita alienandi, ut vivendo libere fruantur bonis ſuis; ſed in morte reſtringunt civium libertatem, & de bonis, quibus fruuntur uſque ad tempus mortis, coguntur relinquere medietatem bonorum antiquorum filiis, vel aliis conjunctis: Suprana in ætate decrepita donans, & reſervans ſibi alimenta abſque reſtrictione, voluit libere uti uſque ad ultimum vitæ ſpiritum bonis ſuis, & conſequenter coacta erat a dictis Conſuetudinibus ad relinquendam medietatem bonorum antiquorum; ad quam evitandam donavit titulo donationis irrevocabilis inter vivos: Unde dicta donatio fuit in fraudem dictarum Conſuetudinum, juxta *text. in l. 29. ff. de leg.*; ubi dicitur *eſſe in fraudem legis, qui ſalvis verbis legis ſententiam ejus circumvenit*; Suprana donando inter vivos, fecit ſalva verba Conſuetudinum, ſed retinendo commoditatem ejus bonorum uſque ad mortem, ſententiam Conſuetudinis circumvenit, ac proinde dicta donatio eſt tamquam diſpoſitio cauſa mortis, & ſubjecta Conſuetudini. Tertio fuit diſputatum, an bona, quæ a filio pervenerunt ad matrem, ſint bona antiqua, & tempore mortis matris ſubjaceant Conſuetudini; & affirmative fuit reſolutum, quia dicta Conſ. *Si aliquis moriens* eſt clara, quia dicitur *de bonis autem Paternis, & Maternis ipſius defuncti, & aliis bonis ſibi a conſanguineis ex quocumque latere obvenientibus uſque ad medietatem*, tenetur liberis relinquere; Et ad ſen-

ſum

ſum dictæ Conſuetudinis intelligendæ ſunt Conſuetudines *Si qua moriens* : *Si quis*, *vel ſi qua* : *Et ſi teſtator* : Unde ad medietatem horum bonorum, quæ a D. Stephano pervenerunt ad dictam ejus matrem Supranam, dubium non erat, vocatos eſſe fratres de Vitale, uti conjunctos Supranæ, tam ex parte matris quam ex parte patris ejuſdem Supranæ; quia tam actores, quam Suprana deſcendunt ab iiſdem ſtipitibus. Quarto fuit diſceptatum, an ob tranſactionem factam ſub die 27. Maji 1758. inter dictum D. Januarium Criſtiano, & fratres de Jorio, bona, quæ hic ceſſit in beneficium fratrum de Jorio, ſubjacerent Conſuetudini. Fuit conſideratum, quod bona hæc tranſierunt in manus fratrum de Jorio titulo tranſactionis, & cum interventu, & conſenſu ejuſdem Supranæ ad extinguendam litem a fratribus de Jorio motam ſuper hereditate qu. D. Stephani; Titulus tranſactionis de fraude non eſt ſuſpectus (ſicuti eſt titulus donationis, retenta penes donantem commoditate bonorum donatorum), præcipue quum is, qui tranſigit, privans ſe fruitione bonorum in vim tranſactionis, illa tradit in manibus ſui contradictoris; Unde S.C. noluit condemnare fratres de Jorio, ſed habuit pro bonis, quæ obvenerunt ex hereditate filii ad dictam Supranam, & pro ea ad D. Januarium, tantum ducatos 2300, ſuper quibus judicavit dandam eſſe medietatem in beneficium fratrum de Vitale, una cum intereſſe ad rationem ducatorum quatuor pro quolibet centenario a die litis conteſtatæ in judicio reclamationis. Non dixit quoad intereſſe a die mortis dictæ Supranæ, quia conſideravit juſtam cauſam litigandi, quæ clare patet ex diſcordantibus decretis, & ſententiis. Et quia in inſtrumento ſub die 17. Maji 1758. fratres de Jorio ſe obligaverunt de evictione; Ideo exiſtimavit S.R.C. condemnare dictos fratres de Jorio ad reficien-

ciendum totum id, quod intereſt, in beneficium heredum qu. D. Januarii Criſtiano; Unde his ſtantibus:

Ad relationem D. Dominici Antonii Avena in gradu reclamationis S. R. C. decrevit:

Bene fuiſſe reclamatum, & male fuiſſe judicatum per S. R. C. in ſententia ſub die 31. *Maji* 1771. *fol.*178., *ac proinde S. R. C. declarat, dictam donationem reductam ad ſummam ducatorum* 2300 *virtute inſtrumenti dictæ tranſactionis, fuiſſe validam pro medietate tantum horum ducatorum* 2300 *ſolutorum in beneficium qu. D. Januarii Criſtiano; pro cujus effectu condemnentur heredes D. Januarii ad ſolvendam medietatem dictorum ducatorum* 2300 *in beneficium fratrum de Vitale, una cum intereſſe a die conteſtationis litis in judicio reclamationis, ad rationem ducatorum quatuor pro quolibet centenario; Verum fratres de Jorio conventi in præſenti judicio reclamationis, condemnentur ad reficiendum in beneficium dictorum heredum qu. D. Januarii Criſtiano totum id, quod intereſt, pro quo effectu præſens ſententia executioni mandetur ſuper bonis, quæ pervenerunt fratribus de Jorio vigore dictæ tranſactionis: Et reſpectu medietatis Conſuetudinariæ prætenſæ ſuper aliis bonis contentis in ſupradicta donatione, & poſſeſſis per dictos de Jorio vigore dictæ tranſactionis, iidem de Jorio abſolvantur.* DOMINICUS ANTONIUS DE AVENA.

Dominicus Salomonius, Joannes Pallante, Hippolytus Porcinari Adjuncti.
U.J.D. Marcus Antonius Quaranta Act.Mag. Celentano Scriba.

In

In cauſa Doctoris Phyſici D. Joſephi Colicchio adverſus Creditores hypothecarios Ill. Principis Iſchitellæ. Die 9. Januarii 1775.

DOctor Phyſicus D. Joſeph Colicchio cum curaſſet ultimam infirmitatem Ill. Principis Iſchitellæ, petiit decerni ſibi potioritatem crediti ducatorum 100 ſuper bonis illius adverſus hypothecarios alios creditores.

Funeris tantum impenſæ, non item infirmitatis, cetera credita præcedunt.

S. C. declarat non eſſe locum petitis; Cum impenſa tantum funeris omne creditum ſoleat præcedere, cum bona ſolvendo non ſint, nec uſquam hanc prælationem Jura decreverint ceteris expenſis ultimæ infirmitatis, imo potius in jure ſit cautum, actionem, quæ funeraria dicitur, quæque præcedit omne creditum, funeris cauſa tantum impenſam continere, non etiam ceterorum ſumptuum, *L. 14. & ſi quis §. hæc actio, & L. penult. ff. de religioſ. & ſumptib. funer.* DOMINICUS POTENZA.

Franciſcus de Laiſe Scriba.

In cauſa D. Franciſci Xaverii Celaya cum Ill. Duce Canuſii, & Ill. Comite D. Dino Monteculino, Die 9. Januarii 1775.

DIe 9. menſis Octobris anni 1669. Ill. Dux Canuſii D. Lælius Celaya ſenior majoratum inſtituit ducatorum 70000 pro D. Childebrando ejus nepote, filio primogenito legitimo & naturali qu. D. Thomæ Celaya filii primogeniti ipſius Ducis D. Lælii; & pro primogenitis deſcendentibus ab eodem D. Childebrando, & his deficientibus, pro D. Sancio, D. Ximene, & D. Julio Cæſare Celaya, ordine tamen ſucceſſivo, eorumque deſcendentibus maſculis primogenitis legitimis & naturalibus; his quoque omnibus deficientibus, pro Perideo filio naturali D. Tiberii Celaya fratris ſui, ejuſque filiis & deſcendentibus maſculis legitimis & naturalibus, qui

Sub nomine liberorum naturales filii non intelliguntur, ſive in teſtamentis, ſive in contractibus, quoties teſtatoris, vel contrahentium voluntas contraria oſtendi poſſit ex facti circumſtantiis.

H 2 pro-

proximiores eſſent ultimo decedenti cum Majoratu, ut in dicto inſtrumento *fol.* 130. *ad* 148. Die vero 29. Septembris anni 1753. Ill. Dux D. Alphonſus Celaya, ſalvo jure qu. D. Hieronymo ejus fratri ſuccedendi in fideicommiſſis qu. D. Alphonſi, & D. Lælii Celaya ſeniorum Ducum Canuſii, inſtrumento tranſactionis ſe obligavit ſolvere qu. D. Hieronymo quandocumque ducatos 10000, & pendente ſolutione, uſuras pendere, nempe pro ducatis 9000 ducatos quaternos pro centenis quibuſque; pro reliquis vero 1000 quaternos cum dimidio pro centenis, cum pacto expreſſo, quod decedente D. Hieronymo abſque filiis, aut deſcendentibus, diſponere poſſet ad arbitrium de tota ſumma ducatorum 10000; ſi vero cum filiis aut deſcendentibus, de ſolis ducatis 1000, cum reliqui ducati 9000 remanere deberent obnoxii ſubſtitutioni pro dictis filiis & deſcendentibus ordine ſucceſſivo, ut fructibus ducatorum 9000 iidem filii & deſcendentes ſe alere poſſent, ut habetur ex ſupradicto inſtrumento *fol.* 5. *ad* 129. *dict. proc.*

D. Franciſcus Xaverius Celaya filius naturalis qu. D. Hieronymi Celaya e Ducibus Canuſii petiit ad ſe ſpectaviſſe & ſpectare ſummam ducatorum 10000, una cum fructibus a die mortis D. Hieronymi, vi fideicommiſſi, quod eſt in inſtrumento tranſactionis die 29. menſis Septembris anni 1753. initæ inter D. Hieronymum, & Ill. Ducem Canuſii D. Alphonſum Celaya ejus fratrem; nulla tamen habita ratione teſtamenti qu. D. Hieronymi inſtituentis heredem univerſalem & particularem Ill. Comitem D. Dinum Montecatini ſororis filium *fol.* 1. *proc. curr.* Et inſuper non ſolum teſtium dictis probavit qu. D. Hieronymum non reliquiſſe filios legitimos & naturales, ſed tantum Franciſcum Xaverium Celaya filium naturalem *fol.* 208. *ad* 210.; verum etiam ſententia S. R. C. lata ad relationem Regii Conſiliarii D. Stephani Patritii die 20. menſis Novembris anni

anni 1770. Franciſcus Xaverius declaratus fuit filius naturalis D. Hieronymi *fol.*3. Heic Ill. Comes D. Dinus Montecatinus petiit ſe velle adire hereditatem D. Hieronymi Celaya, cum beneficio legis, & inventarii; poſtulavitque, ut expelleretur a limine judicii Franciſcus Xaverius Celaya, nec audiretur priuſquam perſonam legitimaret, ſervatis de jure ſervandis; & audito ipſo Ill. Comite, nulla habita ratione ſententiæ latæ pro Franciſco Xaverio Celaya *fol.* 194. S. R. C. die 16. menſis Februarii 1773. dedit Curatorem hereditati qu. D.Hieronymi, pendente expeditione præambuli ejuſdem, magn. U.J.D. D.Joſephum Nicolaum Quaglia *fol.* 217. Hic inſtitit expelli a limine judicii Franciſcum Xaverium Celaya, aut ſaltem legitimare ſuam perſonam, audito ipſo Curatore *fol.* 218. His ſtantibus, Dux Canuſii poſtulavit, ut nullum declaretur inſtrumentum tranſactionis die 29. Septembris 1753. initæ, ex eo quia Ill. Dux D. Alphonſus Celaya promiſit ſolutionem ducatorum 10000 D. Hieronymo, & ejus heredibus, ſuper bona feudalia, & burgenſatica fideicommiſſis antiquis pro primogenitis de familia Celaya ſubjecta; ac proinde abſolvatur a petitis tam a Franciſco Xaverio Celaya, quam ab Ill. Comite Montecatini *fol.* 220. *ad* 224. : Decretum interea præambuli ex teſtamento qu. D. Hieronymi Celaya per M. C. V. interpoſitum eſt die 4. menſis Julii anni 1774. pro Ill. Comite Montecatini, tam quod ad proprietatem, quam quod ad uſumfructum bonorum liberorum qu. D. Hieronymi, ob mortem D. Emanuelis d'Açugna olim uxoris & heredis uſufructuariæ: & terminus ordinarius datus ſuper oppoſitam teſtamenti nullitatem, ſalvis juribus tam Ill. Duci Canuſii, quam Franciſco Xaverio Celaya, ſi qua competunt, de ducatis decem millibus, pro quibus ordinatum fuit, ut partes adeant S. R. C. *fol.* 271. : Petiitque idem Ill. Comes Montecatini immitti in poſſeſſionem

ſionem bonorum hereditariorum qu. D. Hieronymi Celaya, ſervata forma decreti præambuli, & in creditum jam ſibi nunc deſcribantur ducati 10000, una cum fructibus, & liberentur item omnes fructus penes acta depoſiti *fol.*292. Viſis his omnibus:

Referente Domino R. Conſil. D. Hectore Capycilatro.

S. R. C. declarat: *Ill. Comitem D. Dinum Montecatini heredem ex teſtamento qu. D. Hieronymi Celaya avunculi ſui fore abſolvendum a petitis a Franciſco Xaverio Celaya filio naturali D. Hieronymi Celaya, quod ad ſummam ducatorum* 10000, *cum annuo reditu duc.* 400. *a qu. Ill. Duce Canuſii D. Alphonſo Celaya debitorum D. Hieronymo vi inſtrumenti tranſactionis diei* 29. *menſis Septembris anni* 1753. *fol* 5. Nam cum *L. Ex facto* 17. *§. Si quis rogatus ff. ad Sen. Conſ. Trebell.* quod ad filios naturales ſcripta ſit: *Voluntatis quæſtio videtur eſſe, de quibus liberis Teſtator ſenſerit, idque ex dignitate, & voluntate, & conditione ejus accipiendum erit*; neque in contractibus aliter ſe res habeat, *ex L. Quidquid adſtringendæ* 99. *ff. de verb. oblig.*; In facti ſpecie voluntas D. Hieronymi concurrit profecto ad excludendum Franciſcum Xaverium Celaya filium naturalem, cum & negaverit eum ſuum filium eſſe, ut colligitur ex ſerie Actorum a D. Hieronymo geſtorum tempore tranſactionis uſque ad diem obitus; & præcipue ex lite, quam per multos annos, non ſine impendio, ſuſtinuit in M. C. V. & in S. R. C. adverſum eundem; ut declararetur, ſuum filium naturalem non eſſe, & ex teſtamento, quo ne nominavit quidem Franciſcum Xaverium, inſtituto herede ſororis filio abſente: *Verum ducati octo cum dimidio in ſingulos menſes aſſignati Franciſco Xaverio pro ejus alimentis vi decreti S. R. C. diei* 9. *Decembris anni* 1772. *fol.* 8. *Proc. Franciſci Xaverii Celaya, cum Ill. Comite Montecatini, & Duce Canuſii, augeantur ad ducatos* 180 *annuos, ad rationem duca-*

Digitized by Google

ducatorum 15. *pro quolibet menſe a die litis conteſtatæ, ſalva proviſione facienda, viſo exitu termini alias impartiti ſuper majori, vel minori quantitate*: Cum naturales filios paſci boni viri arbitrio neceſſe ſit ex paterna ſubſtantia, *Auth. Licet Cod. de natur. lib. fol. mihi* 1152.; *Et alii ducati biſcentum viginti annui aſſignentur Ill. Comiti D. Dino Montecatini heredi teſtamentario D. Hieronymi*; cum ex præambulo appareat oſtendiſſe competenti Judici teſtamentum non cancellatum, neque abolitum, neque ex quacumque ſuæ formæ parte vitiatum, *ex L. 3. C. de Edicto Divi Hadriani toll. Super deductis vero ab Ill. Duce Canuſii, quoad prætenſam nullitatem prædicti inſtrumenti transactionis, infra quatuor dies audiantur partes, præſtita cautione a Comite Montecatini de reſtituendis ſummis exactis, viſo exitu termini prædicti*. Hector Capycius-Latro.

Matthias Pallante Scriba.

In cauſa Patrimonii D. Pelagii Sorrentino ſuper decreto Si expedit, *interpoſito pro convalidanda tranſactione inita inter ejus Creditores. Die* 10. *Januarii* 1775.

Conſenſus creditorum majoris ſummæ, & numeri legitime perficit cum Curatore bonorum ea omnia, quæ Patrimonio, & omnibus Creditoribus expediunt.

D. Philippus Sorrentino die 16. Julii 1764. teſtamentum condidit, quo fuerunt ſcripti heredes D. Dominicus Sorrentino, teſtatoris nepos ex fratre patruele, in bonorum proprietate, ac in uſufructu eorumdem bonorum Rev. Abbas D. Archangelus Sorrentino ipſius teſtatoris frater germanus, ſub modo eidem uſufructuario adjecto, ut ſervata ipſi ea fructuum parte, quam proprius uſus pro ſe exhibendo exigeret, reliquum erogaret in pias operas, ſibi oretenus demandatas, cum prohibitione, ne quid ipſius Congregationi Lateranenſi quæri poſſet *fol.* 9. & 12. *proc. hered. qu. D. Philippi Sorrentino*. Præambulum expeditum eſt die 25. Septembris

bris 1764. juxta conſenſum penes acta præſtitum per D. Pelagium Sorrentino, ſervata forma teſtamenti prædicti qu. D. Philippi quoad uſumfructum in perſonam dicti Rev. P. Abbatis D. Archangeli Sorrentino, & quoad proprietatem favore prædicti D. Dominici Sorrentino, cum clauſula, *dempta medietate bonorum antiquorum Neapolitanæ Conſuetudini ſubjectorum, & ſalvis juribus ipſi D. Pelagio ſuper hujus medietatis proprietate*. Hinc decretum interpoſitum eſt a M. C. die 28. Januarii 1765., licere præfato Rev. Abbati D. Archangelo exigere integros fructus bonorum hereditatis *fol.* 33. Verum deducto Patrimonio in S. R. C. a D. Pelagio, Curator ipſius Patrimonii inſtitit, nullam haberi rationem conſenſus per eumdem D. Pelagium præſtiti ſuper expeditione Præambuli, & reſpectiva immiſſione quoad integrum uſumfructum favore dicti Rev. Abbatis D. Archangeli, tamquam interpoſiti in fraudem Creditorum, ac proinde revocari ſupra enunciata decreta Præambuli, & immiſſionis per M.C. interpoſita, atque declarari per S. C. medietatem prædictorum bonorum antiquorum una cum fructibus deberi, & ſpectaviſſe, & ſpectare prædicto D. Pelagio defuncti D. Philippi fratri patrueli, ac proximiori ab inteſtato venienti *fol.* 39. *ejuſd. proc.* Et inſimul reclamavit tam præfatus D. Dominicus Sorrentino adverſus clauſulam decreti Præambuli M. C. reſervantem eidem M. C. judicium pertinentiæ medietatis bonorum antiquorum *fol.* 43.; quam conjunctim Rev. Abbas D. Archangelus, & D. Dominicus Sorrentino adverſus petita pro parte D. Pelagii, & peculiariter præfatus D. Dominicus gradatim, conditionaliter, & ſucceſſive inſtitit, quod, quatenus decerni poſſit eſſe locum medietati bonorum antiquorum in hereditate dicti qu. D. Philippi, ipſum eſſe admittendum, una cum D. Pelagio, tamquam nepotem ex fratre prædefuncto ipſius D. Pelagii, & nepotem patrue-

lem

Digitized by Google

lem dicti qu. D. Philippi, & hoc jure ſubingreſſionis, ſive repræſentationis ejus prædefuncti patris vigore Conſuetudinis Neapolitanæ *fol.* 71. Terminus impartitus eſt ſuper omnibus hinc inde deductis, & prætenſis *fol.* 85. S.C. die 9. menſis Maji 1771. declaravit: ***Bona, quæ remanſerunt in hereditate qu. D. Philippi Sorrentino, & ei obvenerunt ab agnatis, & ex linea paterna, etiam ex hereditate qu. D. Dominici Sorrentino, deberi quoad proprietatem pro nunc pro medietate in beneficium venientium ab inteſtato, ſcilicet pro medietate dictæ medietatis in beneficium D. Pelagii Sorrentino, pro alia vero medietate dictæ medietatis in beneficium D. Dominici Sorrentino junioris, firma remanente perceptione integri uſusfructus in beneficium Rev. Abbatis D. Archangeli Sorrentino, durante ejus vita tantum. Et, quod fiat appretium, ad finem providendi, reſpectu meliorationum prætenſarum per prædictum D. Dominicum Sorrentino in bonis hereditariis qu. D. Philippi; & quoad credita per eundem D. Dominicum deducta adverſus D. Pelagium, adire ipſum debere acta Patrimonii ipſius debitoris*** *fol.* 217. Patrimonii Curator reclamavit adverſus eas ſententiæ partes, quibus relicta erat Rev. Abbati D. Archangelo integra fructuum perceptio durante ejus vita, ac declaratum deberi medietatem medietatis bonorum antiquorum D. Dominico *fol.* 218.; nec non Rev. Abbas D. Archangelus, & D. Dominicus Sorrentino adverſus declarationem ſpectantiæ quartæ partis dictorum bonorum antiquorum favore dicti D. Pelagii *fol.* 220. Interea pro parte Ill. Montis Familiæ de Curte Guevara creditoris Patrimonii præfati D. Pelagii petita eſt reſtitutio in integrum adverſus prædictam ſententiam *fol.* 221.; & e contra D. Carmela, & D. Mariangela Sorrentino filiæ nuptæ ejuſdem D. Pelagii propoſuerunt perſonalem ipſarum actionem ſuper eadem medietate bonorum antiquorum *fol.* 228., & Ab-

bas D. Archangelus, & D. Dominicus Sorrentino inhæſerunt ſupraſcripto gravamini adverſus ſententiam, ac inſtiterunt pro integra excluſione prædicti D. Pelagii ab omni quota bonorum antiquorum *fol.* 235. Heic S.R.M. die 4. Decembris 1772. reſcripſit, quod in gradu reſtitutionis in integrum interveniret Promotor Fiſcalis Regiæ Coronæ pro tuendis juribus Fiſcalibus reſpectu uſusfructus prædictorum bonorum præfato Rev. Abbati relicti *fol.* 240. Et cum tranſactionem inter ſe iniiſſent D. Pelagius, Rev. Abbas D. Archangelus, & D. Dominicus Sorrentino *fol.* 1. *ad* 12. *proc. ſup. decreto Si expedit*, ac petiiſſent tranſactionem prædictam firmari auctoritate, ac decreto S.C. *fol.* 17. *ad* 19., magn. Curator Patrimonii inſtitit adverſus præfatam conventionem, tanquam a decoctore, & a non habente facultatem, & in fraudem Creditorum initam *fol.* 35. *ad* 45. Quare inita tranſactio eſt inter Creditores, magn. Curatorem, ac prædictum Abbatem D. Archangelum, & D. Dominicum Sorrentino *fol.* 79. *ad* 124.; iique petierunt, ſic peractam tranſactionem auctoritate S.R.C. confirmari. Huic tranſactioni ſe oppoſuere Cæcilia, & Maria Pace, Baro D. Nicolaus de Autellis, & Carminus Froncillo, inſtantes ne ullum exinde pro eorum credito ſibi exoriretur præjudicium. Super quibus Dom. cauſæ Commiſſarius die 9. Auguſti 1774. decretum interpoſuit pro tuendis juribus omnium Creditorum diſſentientium a tranſactione prædicta, ac fuit electus unicus Procurator *fol.* 160. *a t.*, qui ſuum præfatæ tranſactioni nomine prædicto præſtitit conſenſum *fol.* 190. *ad* 202.; non ſecus ac D. Pelagius Sorrentino debitor, qui formiter aſſenſit eidem tranſactioni *fol.* 202.

Stantibus his, petiit D. Pelagius in appretio bonorum faciendo interventum Domini cauſæ Commiſſarii *fol.* 138. & 203.; & decreto S. C. diei 20. menſis Septembris elapſi anni 1774. declaratum fuit: *Expediri præfatam tranſa-*

tranſactionem , ac ſtipulari minutas ſuper ea confectas fol. 204. Nullitates abſque depoſito adverſus præfatum decretum, ſubſcriptæ a D. Michaele Perrone Procuratore prædictarum Mariæ, & Cæciliæ Pace, productæ ſunt *fol.* 209. *ad* 214. Quibus D. Dominicus Sorrentino inhæſit pro ea tantum decreti parte, qua proviſum eſt fieri bonorum apretium cum interventu Domini cauſæ Commiſſarii, cum Regia decretatione proponi contenta in eadem ſupplicatione tempore diſcuſſionis nullitatum *fol.* 217. Tandem alio Regali reſcripto diei 3. Decembris 1774. Spectabili Præſidi S. R. C. cautum eſt deligi Advocatum, pro tuendis juribus præfati D. Pelagii, cum electione facta in perſonam Advocati D. Januarii Cuomo ab eodem D. Pelagio debitore; qui pro parte petiit integram hereditatem qu. D Philippi una cum fructibus a die ejus mortis, cum proteſtatione adverſus id omne, quod actum erat inter Creditores, magn. Curatorem, ac prædictos Rev. Abbatem D. Archangelum, & D. Dominicum Sorrentino *fol.* 225.

Viſis his omnibus, Partibuſque auditis, cum præſentia Spectabilis Præſidis S. C., per S. R. C. proviſum eſt: *Quod rejiciantur nullitates prædictæ, etiam attento tenore ipſarum; ac proinde decretum S. C. latum die* 20. *menſis elapſi anni* 1774. *fol.* 204. *debitæ executioni demandetur. Verum, viſa præcitata ſupplicatione D. Dominici Sorrentino fol.* 217., *viſiſque etiam deductis in quarta nullitate fol.* 212. *& ſeq.*, *apretium bonorum ſtabilium, exequendum juxta minutas in actis productas; fiat abſque interventu Domini cauſæ Commiſſarii.*

Jure enim haud obſiſtere oppoſitæ nullitates poſſunt, quemadmodum nec etiam objecta per alios prætenſos Creditores, per principalem debitorem D. Pelagium Sorrentino, ac per ejus reſpective filium, & generum. Plane tranſactio, de qua agimus, inita eſt nedum ex

placito judiciali ejuſdem debitoris, ut videre eſt in ejus comparitione *fol.* 202, verum etiam de conſenſu omnium Creditorum legitime in Patrimonio exiſtentium, juxta diſcuſſionis decretum; ac proinde eorum conventionem, cui acceſſit etiam conſenſus magn. Curatoris, ratam firmamque habendam eſſe. Conſenſus enim Creditorum majoris ſummæ, & majoris numeri in Patrimoniis coram Judice deductis, legitime perficit cum Curatore bonorum, ea omnia, quæ Patrimonio, ac omnibus Creditoribus expediunt. Sic eleganter teſtantur *de jure noviſſimo* conſtitutum Ulpianus *in L. Juris gentium* 7. *§. hodie* 19., & Papinianus *in L. Majorem* 8. *ff. de pactis*, quibus cavetur: *Prætorem inter Creditores diſſentientes in remiſſione partis debiti favore hereditatis, ſive heredis defuncti debitoris, ſequi debere ſua auctoritate, & decreto majoris partis voluntatem, pro modo tamen debiti, non tamen pro numero perſonarum*. Et rationem addit Scævola *in L.* 19. *ff. ad munic. Nam quod major pars effecit, pro eo habetur, ac ſi omnes egerint. Et quod major pars facit, hoc omnes facere videntur. L.* 3. *&* 4. *ff. Quod cujuſcumque univ. nom.*; *Ita ut refertur ad omnes quod fit per majorem partem*, ut iterum ait Ulpianus *in L.* 160. *§.* 1. *ff. de diverſ. reg. juris*. Proinde cum lex ratam habeat conventionem majoris partis Creditorum remittentium hereditati communis debitoris, ac heredi quotam partem debiti etiam reſpectu ceterorum Creditorum diſſentientium pro eorum quotis, majori ſane ratione S. C. in præcitato decreto *Quod expedit*, firmam ratamque habuit ſua auctoritate tranſactionem initam ex placito & conſenſu Creditorum Patrimonii pro majori ſumma, & numero. Accedit quod ex omnibus creditoribus diſſentientibus nullus eſt, cujus creditum ſit in Patrimonio legitime diſcuſſum, ac admiſſum; qua in conditione etiam ſunt præfatæ Maria, & Cæcilia Pace. Iſtarum namque creditum,

ditum, licet ſit relatum pro capitali ducatorum 1600. cum intereſſe decurſo, non adhuc tamen eſt diſcuſſum, vel decreto admiſſum; prout pariter haud eſt diſcuſſum, vel admiſſum creditum prætenſum per Carminum Froncillo; & aliud creditum Baronis D. Nicolai de Autellis, nedum non eſt relatum, verum etiam nec aliquo documento uſque adhuc probatum. Qua de re conficitur, nullos tranſactioni prædictæ adeſſe in Patrimonio veros & legitimos Creditores, qui ſe opponant.

Inſuper, perpenſis ejuſdem tranſactionis partibus, ac capitibus, dignoſcitur, Creditores conſentientes utile geſſiſſe negotium pro communi jure Patrimonii. Præcipua tranſactionis capita ſunt hæc, quæ ſequuntur. I. Præfatus Rev. Abbas D. Archangelus cedit in beneficium Patrimonii, & Creditorum uſumfructum quartæ portionis bonorum adjudicatæ D. Pelagio pro nunc, & vivenre eodem Rev. Abbate, quoad proprietatem tantum, juxta ſententiam S. R. C.; quæ ceſſio, conventum eſt inter Partes, quod non aliter ſit exequenda, niſi poſt decretum *Quod expedit* S. C., & tranſitum ejuſdem decreti in rem judicatam. II. Conventum pactumque eſt, quod quarta pars prædictorum bonorum declarata in beneficium D. Pelagii cedi debeat in ſolutum præfato D. Dominico Sorrentino juxta appretium conficiendum per peritos in minutis electos, & deſignatos tam in primo appretio, quam in gradu reviſionis; quo appretio pendente, vice fructuum eorundem bonorum, conventum pariter eſt intereſſe ad rationem trium cum dimidio pro quolibet centenario, ſolvendum per eundem D. Dominicum a die tranſitus decreti *Quod expedit* in rem judicatam. III. Pro credito vero primo loco diſcuſſo, & admiſſo, quod idem D. Dominicus repræſentat ſuper eodem Patrimonio in ſorte ducatorum 4000. una cum annualitatibus ab ea decurſis, quæ cum ſorte prædicta conſtituunt ingentem quantitatem fere duca-

ducatorum 14000, perpenſis reſpectu ejuſdem crediti juribus prædicti D. Dominici, ac exceptionibus Patrimonii, & Curatoris pro ſumma minori, pacta ſolutio eſt pro omni ſorte, & intereſſe, in ſumma ducatorum 8500, ſolvenda cum eadem anterioritate, quoad ceteros creditores; ac proinde retinenda per eundem D. Dominicum ex pretio prædictæ quartæ partis bonorum ab ipſo perſolvendo, ac depoſitando penes acta Patrimonii. IV. Ceteræ demum pactiones ejuſdem tranſactionis reſpiciunt viciſſim partium cautelam in ejus executione.
Hinc juxta ea, quæ in tranſactione proponuntur, maxime liquet favore Patrimonii, & Creditorum utile negotium fuiſſe geſtum. Siquidem vigore ſententiæ S. C. diei 9. Maji 1771. fuit judicatum, deberi præfato Rev. Abbati D. Archangelo integrum uſumfructum, durante ejus vita; unde juxta rem judicatam, expectandum erat fatum ſupremum ejuſdem Rev. Abbatis D. Archangeli pro conſolidatione uſusfructus cum proprietate quartæ partis bonorum favore D. Pelagii judicatæ: & cum ſit idem Abbas ætatis non adhuc provectioris, hujuſmodi expectatio fruſtrari forſan per multos annos potuiſſet Creditores. At iſti e contra virtute tranſactionis fruuntur ex nunc uſufructu prædicto in ſumma circiter annuorum ducatorum 800 plus vel minus, juxta apprетium conficiendum. Et quamvis adverſus ſententiam prædictam non adhuc fuiſſet diſcuſſum remedium reſtitutionis in integrum; attamen ſtat in præſentiarum contra Creditores res ex ſententia judicantium ita tranſacta. Quæ quidem ſententia ſuam habet perpenſam rationem pro eodem Rev. Abbate D. Archangelo; eo nimirum argumento, quod ipſe ex conventione judiciali cum D. Pelagio, & abſque ulla contradictione adeptus eſt poſſeſſionem prædicti integri uſusfructus tempore habili ante legem *ammortizationis*; quæ minime, ac eadem ratione, retractari forſan poſſet. Ac ſi ali-

aliquod dubium in hoc articulo cenſeri poſſet, jure riteque hujuſmodi qualecumque dubium tranſactum eſt, conventa favore Patrimonii, & Creditorum ex nunc prædicta fructuum ceſſione, juxta naturam omnium tranſactionum, quæ in rebus dubiis adhiberi ſolent, *L. Qui tranſigit* 1. *ff. de tranſact.* Atque hæc ſane ratio majorem vim obtinet, reputato dubio mortalitatis eventu ejuſdem Rev. Abbatis, juxta *L. De fideicommiſſo* 2. *C. de tranſact.*; multum enim poſſet Creditoribus obeſſe, & Patrimonio deficere, eveniente caſu longævæ vitæ dicti uſufructuarii. Neque validius eſt quod pro parte Creditorum diſſentientium reponitur, nempe promiſſionem, & conventionem crediti in beneficium dicti D. Dominici pro ſumma ducatorum 8500. majori forſan quam ejus favore judicari poſſet. Nam juxta prætenſa per eundem D. Dominicum, ejus creditum conficeret longe majorem ſummam, ut dictum eſt, eorundem ducatorum 8500. conventorum. Juxta vero Curatoris, & Patrimonii exceptiones, crediti ſumma eſſet in ducatis 6534, ac extant etiam penes acta Patrimonii variantia decreta pro ſumma majori, vel minori; adeout hæc eadem major, vel minor quantitas eſt adhuc in dubio, & ſub litis eventu; qua de re hoc idem dubium recte videtur fuiſſe in tranſactione compoſitum. Quinimo hac eadem ratione qualiſcumque dubii reſpectu minoris ſummæ ejuſdem crediti, conventa eſt in damnum Rev. Abbatis D. Archangeli prædicta ceſſio uſusfructus favore Creditorum, & Patrimonii.

Additur etiam prænotatis rationibus, quod præfatæ Cæcilia, & Marianna Pace jure deſtitutæ ſunt pro ſeipſis juvandis ex inhærentia reſtitutioni in integrum pro nullitatibus oppoſitis; quippe ex diſpoſitione Regalis Conſtitutionis anni 1738. in §. 1. *n.* 20. *Illæ perſonæ, quæ in judiciis nullo potiuntur privilegio, non aliter inhærere*

Digitized by Google

vere poſſunt reſtitutioni in integrum per litis conſortem privilegiatum interpoſitæ , niſi intra decem dies , poſt reſtitutionem propoſitam , inhæſio formiter declarata ſit ; *quibus elapſis* , (expreſſe in eodem numero ſtatuitur) *neminem poſſe hujuſmodi beneficio uti*. Qua de re cum intra ſtatutum terminum præfatæ de Pace , quarum creditum adhuc in Patrimonio non reperitur admiſſum, reſtitutioni in integrum non inhæſerunt, haud amplius ipſis poſt lapſum fatalium permiſſum eſt eo remedio frui ; ac propterea quoad ipſas prorſus eſt conclamatum , & ſententia S. R. C. diei 9. Maji cenſeri debet tranſiiſſe in rem judicatam ; & hoc eo magis, quia in præſentiarum remedium , ſive gravamen enunciatæ reſtitutionis in integrum , non amplius extat poſt formalem renunciationem a Curatore , atque a Creditoribus in Patrimonio admiſſis , nedum eidem gravamini , verum etiam omnibus actis anteactæ litis , in tranſactionem factam.

Neque ulla haberi poterat ratio contradictionis prædicti D. Pelagii , tranſactionem prædictam irrito conatu inficiantis. Siquidem juxta ſtatum Patrimonii, ipſe D. Pelagius eſt in figura debitoris decocti; itaut jure minime audiri poſſit, aut debeat ; cum explorati juris ſit, quod decoctio, quoad effectus civiles, aſſimiletur morti, ejuſque vicem habeat ; atque decoctor pro mortuo habetur, & iſta ſpecies mortis regulanda eſt eo modo, quo mors naturalis , ex ea ratione , quod ipſe debitor directe & immediate per ſe ipſum nullam gerit perſonam ; ſed utcumque res ſe habeat, idem decoctor D. Pelagius, ut alibi dictum eſt , expreſſe ſuum præſtitit conſenſum tranſactioni , juxta ejus inſtantiam in actis exiſtentem *fol.* 202. Unde poſt perfectam ex ejus conſenſu tranſactionem , minime permiſſum eſt ab ea recedere. Extat in his præciſis terminis duorum Imperatorum ſolemne Reſcriptum in *L. Quamvis* 39. *C. de tranſact.* his verbis:

bis : *Quamvis eum , qui pactus eſt , ſtatim pœniteat ; tranſactio tamen reſcindi , & lis inſtaurari non poteſt . Et qui tibi ſuaſit , intra certum tempus licere a tranſactione recedere , falſum adſeveravit .* Nam , ut ait Imperator Philippus in *L.* 10. *C. eod. Nullus erit litium finis , ſi a tranſactionibus bona fide interpoſitis cæperit facile diſcedi .*

Poſtremo nihil proficere poterat prætenſis Creditoribus diſſentientibus , ac aliis tranſactioni adverſantibus , ſive ipſi D. Pelagio, objectio, quod decretum probans tranſactionem non aliter proferri poterat , niſi cum interventu Conſiliariorum adjunctorum , ſervata forma præcitatorum Regalium ordinum ; quoniam Adjuncti conceptis verbis, & peculiariter fuerunt demandati a S.R.M. *in cauſa gravaminis reſtitutionis in integrum* , prout diſerte in illis legitur . Juriſdictio Adjunctorum limitatur in ipſa eademque cauſa, ex *Pragm. IV.* §. 4. *de dilation.* Judicium reſtitutionis in integrum peremptum, & extinctum jam erat vi tranſactionis, & cauſa e contra interpoſitionis decreti ſuper eadem tranſactione non eſt, neque cenſeri poteſt eadem ac ipſa cauſa prædictæ in integrum reſtitutionis. Ideo contra præcitatam Pragmaticam Adjunctorum interventus opponebatur , qui propterea eadem ratione non fuerunt vocati , nec intervenire legitime poterant in diſcuſſione prædictarum nullitatum .

Nihil demum officere tranſactioni poteſt , quod fuit remiſſa in beneficium præfati D. Dominici quarta pars bonorum Conſuetudini ſubjectorum , eidem adjudicata in præcitata ſententia S. C. jure ſubingreſſionis , ſive repræſentationis ejus defuncti patris in concurſu cum ipſo D. Pelagio in æquali gradu reſpectu Teſtatoris cum patre ejuſdem D. Dominici ; quia idem jus ſubingreſſionis favore dicti D. Dominici , claris verbis cautum eſt in Conſuetudine *Si autem ; tit. de ſucceſſ. ab inteſt.*

 pro-

Digitized by Google

propter extenſionem ejuſdem juris in iiſdem Conſuetudinibus ultra filios fratrum admiſſam.

Joſeph Pennuſe Scriba.

Verba fecit de his in S. R. C. D. Joſeph Mauri R. Conſ. & cauſæ Comm.

In cauſa vertente inter heredes qu. D. Benedicti Maſſa Civitatis Surrenti, & heredes qu. D. Joſephi Antonii Romano, ſuper prætenſa caducitate legati domus in actis deducta. Die 10. Januarii 1775.

Voluntas teſtatoris conditionem regit; ac proinde legata Titio domo, alii habitatione relicta ejus vita durante, non ineſt legato conditio, *ſi Titius legatario habitationis ſupervixerit*, quoties mens teſtatoris cõditionem excludere videtur.

QU. D. Benedictus Maſſa duos fecit codicillos; alterum die 24. Junii 1722., in quo legitur inter cetera ſequens legatum: *Laſcio a Roſa d'Apreda figlia di Giuſeppe per ben ſervizio, e per aſſiſtenza, che mi ha fatta da tanto tempo, e tuttavia mi ſta facendo in queſta mia indiſpoſizione, l'abitazione gratis, e ſenza pagamento alcuno, ſua vita durante ſolamente, e non più oltre, nell'altra mia caſetta dentro queſta città*; alterum die 26. ejuſdem menſis, & anni, quo ita legatum fuit: *Laſcia al Sig. D. Giuſeppe Antonio Romano ſuo congionto per ſua memoria, e per ſegno dell'amore, che gli porta, la ſua caſa piccola, vicino i beni ereditarj del qu. Tomaſo Serſale, attaccata alla caſa grande, che ſi poſſiede dal ſuddetto Sig. D. Giuſeppe Antonio, ſita dentro queſta città di Sorrento, ad eſſo D. Benedetto laſciata dal qu. D. Girolamo Donnorſo ſuo zio... con tutte le ſue ragioni, azioni, intiero ſtato, e con tutti li peſi ſopra di quella ſiſtentino, nella quale caſa piccola iſtituiſce detto Sig. D. Giuſeppe Antonio erede particolare; però vuole, ed ordina eſpreſſamente detto Sig. D. Benedetto, che detta caſetta vada in dominio, e poſſeſſione del detto Sig. D. Giuſeppe Antonio dal giorno della morte di Roſa d'Apreda figlia di Giuſeppe in avanti, atteſocchè durante la vita di detta Roſa la medeſima caſetta debbà reſtare in beneficio della medeſima*

ma per ſuo uſo, ed abitazione, del modo, conforme ce l'ha laſciata, e diſpoſta, e ſi contiene nell'altro ſuo codicillo. Heredes univerſales dicti D. Benedicti contenderunt, legato relicto D. Joſepho Antonio Romano ineſſe conditionem, ſi ſcilicet ipſe ſupervixiſſet dictæ Roſæ, ac eodem defuncto, antequam dies legati morte prædictæ Roſæ ceſſiſſet, legatum ipſum caducum eſſe effectum per *L. unicam §. ſin autem Cod. de caduc. toll. fol.* 122. 150. *&* 195. E contra vero heredes dicti qu. D. Joſephi Antonii Romano excipiebant, auferendam eſſe e legato conditionem *ex L. 5. Cod. quando dies legati cedit. fol.*106. 118. *&* 147. S.R.C., inſpectis legibus, quibus præcipitur, potentiorem ſcripturα eſſe habendam veritatem, præſertim in ultimis voluntatibus, in quibus generatim ſenſus Teſtatoris præferendus eſt verbis, *L. 3. Cod. de liber. præter.*, & *L.* 19. *D. de condit. & demonſt.*, qua diſerte cavetur, *in conditionibus primum locum obtinere voluntatem Teſtatoris, eamque regere conditiones*; collatiſque utriuſque legati verbis, cum ex iis aperte voluntas Teſtatoris deducatur pure legandi prædictam domum, & tantummodo adimendi ad tempus ex legato id, quod altero codicillo ipſe legaverat, ſcilicet habitationem; præſertim vero ex titulo hereditario in codicillis appoſito, ex cognatione aſſerta eodem codicillo a Teſtatore, & ex adhæſione magnæ domus legatarii domui legatæ; cum ex alia parte non obſtent verba illa, quæ poſt purum legatum domus ſubnectuntur: *Che detta Caſetta vada in dominio e poſſeſſione del detto Sig. D. Giuſeppe Antonio dal giorno della morte di Roſa d'Apreda*, profecto enucleanda ex aliis, quæ mox ſequuntur: *Atteſocchè durante la vita di detta Roſa, la medema Caſetta debba reſtare a beneficio della medeſima per ſuo uſo, ed abitazione*, quibus nil aliud, quam habitationem ad tempus a legato fuiſſe ademptam perhibetur: nec quæ ex vi-

tio potius Tabellionis, quam ex mente Teſtatoris haud clare ſcripta videntur, Teſtatoris voluntatem ſubvertere, vel minuere debeant, *L. 24. Cod. de teſtam.*

Referente D. Placido Dentice R. Conſ. & cauſæ Comm.

Declaravit : *Legatum domus in actis deductæ contentum in ſecundo codicillo diei 26. Junii 1722. non eſſe, nec fuiſſe caducatum in beneficium coheredum univerſalium qu. D. Benedicti Maſſa ; ac proinde heredes qu. Joſephi Antonii Romano abſolvantur ab impetitis reſpectu prætenſæ caducationis. Quoad vero deductam medietatem bonorum antiquorum, Partes plenius informent.*

Placidus Dentice Massarenghi.

Bonaventura Buonocore Act. Mag. Blaſius Florino Scriba.

In cauſa reclamationis propoſitæ a Rev. D. Paſchale Colajanni adverſus decretum S. C. de die 30. Junii 1772., quo inter alia, pro ducatis 94. præfato D. Paſchali debitis ex cauſa Cappellaniæ in actis deducta fuerunt eidem reſervata jura ſuper Patrimonio qu. Ill. Principis Iſchitellæ D. Franciſci Emanuelis Pinto, juxta graduationem: & quoad prætenſa damna ab eo paſſa ex cauſa litis indebite contra eum motæ pro reſtitutione horologiorum in actis deductorum, fuit reſervata proviſio, notificatis, & auditis intereſſe habentibus. Die 10. Januarii 1775.

De eo, quod intereſt, alta & obſcura quæſtio eſt, in novum judiciū omnino differenda.

S. R. C. decrevit : *Bene proviſum per idem S. C. præfato decreto de die 30. Junii 1772. fol. 216. Et explicando proviſionem in præfato decreto reſervatam quoad damna prætenſa a dicto Rev. D. Paſchale Colajanni, infra quatuor dies audiantur Partes, audito etiam hodierno Ill. Principe Iſchitellæ.*

Nam præter litis expenſas contentas in ſententia S.C. de die 11. Julii 1769. *fol. 51.*, liquidatas pro ducatis 50., decreto ejuſdem S. C. *fol.* 200., reficienda ei ſunt alia damna extrinſecus paſſa, ut idem aſſerit, ac omne id quod ejus intereſſuit litem non ſubſtinere, cujus quæſtio altior eſt & obſcurior, ac proinde in novum differenda judicium, ut impletis validis probationibus, ſententia feratur.

Digitized by Google

ratur. *L.* 3. *In hac actione* §. *ibidem ff. ad exhibend.* Cum præſertim in ſententiis pro eo quod intereſt proferendis, ſubtiliter requirenda ſit damni æſtimatio, ut hoc quod revera inducitur damnum, hoc reddatur, & non ex quibuſdam machinationibus, & immodicis perverſionibus in circuitus inextricabiles redigatur. *L. unic. Cod. de ſentent. quæ pro eo quod intereſt profer.*
DOMINICUS POTENZA.

Franciſcus de Luiſe Scriba.

In cauſa inter Ven. Monaſterium SS. Marcellini, & Feſti hujus Civitatis, & nonnullos poſſeſſores. Die 10. *Januarii* 1775.

Poſſeſſione partis retinetur poſſeſſio totius.

VEn. Monaſterium SS. Marcellini, & Feſti tuetur ſuum dominium directum ſuper quamplurimis domibus ſitis in Regione denominata *Fonſeca*, & expetit ex nonnullis poſſeſſoribus earum canones, omniaque alia jura emphyteutica conventa in inſtrumento de anno 1540. Prædicti vero poſſeſſores nuperrima petitione contendunt, lite adhuc pendente, novum judicium præjudiciale fuiſſe excitatum per occaſionem legum *amortizationis fol.* 445.

Per S. R. C. proviſum eſt, *quod procedatur ad expeditionem cauſæ principalis, oppoſitis in dicta comparitione non obſtantibus*. Leges quippe *amortizationis* prohibentes novas acquiſitiones, & contradictas poſſeſſiones, nullimode hoc judicium afficere poſſunt. Monaſterium etiam non expetit, niſi ea, quæ jamdudum acquiſiviſſe ſubſtinet, ac integre prius poſſedit uſque ad annum 1678., dein ex parte abſque ulla contradictione adhuc poſſidet. Et quamvis Poſſeſſores conventi obſtent, præſertim identitati territorii, haud propterea poſſeſſionem Monaſterii per eorum contradictionem ſubverti, vel minui poſſe jura permittunt, quibus cavetur poſſeſſione par-

partis retineri poſſeſſionem totius. *L. Si ſtillicidiis* 9. *§.* 1. *& L. ſeq. D. quemadm. ſerv. amitt.*

Verba fecit de his in S. R. C. Ill. Princeps D. Placidus Dentice R. Conſil. & cauſæ Commiſſ.

In cauſa Patrimonii qu. D. Dominici Surrentino. Die 21. Januarii 1775.

In debitis dependentibus ex contractibus ſtricti juris intereſſe utplurimum non debetur, niſi ex conventione; ſecus in locatione, & conductione, ac in ceteris bonæ fidei contractibus.

Die 23. Septembris 1750., & die 9. Januarii 1751. Dominicus Surrentino, præcedentibus duobus publicis inſtrumentis manu qu. Notarii Sclano *fol.* 70. *ad* 77. *&* 78. *ad* 85. *vol.* 1., perficiens duas donationes, inſtituit duo Beneficia laicalia ſuper rure nominato *Re della Vigna* cum onere Miſſarum, vocans ad fruitionem illorum primo loco D. Paſchalem, & D. Joſephum Surrentino, & inde alios deſcendentes ejus familiæ, ut etiam refertur in Appuramento factorum *num.* 1. *fol.* 284. *vol.* 3. Die vero 21. Novembris 1753. alio inſtrumento dictus Dominicus Surrentino donavit annuos ducatos 40. in beneficium dicti D. Paſchalis, ejus vita durante, ſuper fructibus ſuorum bonorum *fol.* 422. *ad* 424. *vol.* 2., & refertur etiam in dicto Appuramento *fol.* 292. *a t. num.* 32. *vol.* 3.

Die 9. Februarii 1756. D. Paſchalis, Petrus, Notarius Nicolaus, & Joſeph Surrentino aſſerentes ſe eſſe donatarios Dominici Surrentino, contra quem fuiſſe expeditas literas executoriales a Regia Camera in ſumma ducatorum 1018., & eſſe executum rus vulgariter dictum *Re della Vigna*, ut ſupra donatum, & eſſe pariter ordinatam dicti ruris venditionem, ad evitandam dictam venditionem, præcedente publico inſtrumento, ſe obligaverunt ſolvere in beneficium D. Michaelis Maggiſe ducatos 730., & pendente illorum ſolutione, ſolvere annuos ducatos 32., & aſſes 85., ultra alios ducatos 175. pro intereſſe prius decurſo *fol.* 73. *vol.* 3.

Facta

Facta relatione Creditorum Patrimonii dicti qu. Dominici Surrentino, fuit dictum creditum graduatum & diſcuſſum cum anterioritate diei 9. Februarii 1756., ſalva proviſione facienda ſuper majori anterioritate, ſolvendum ſuper bonis ut ſupra donatis vigore dictorum decretorum diſcuſſionis, & præcipue decretorum S. R. C. ſub diebus 4. Maji, & 16. Novembris 1772. *fol.* 84. *&* 111. *vol.* 3. in rem judicatam tranſactorum.

Reſpectu dictarum donationum prætenſarum pro parte dictorum de Surrentino vi dictæ ſententiæ latæ ſub die 22. Martii 1774. *fol.* 257. *vol.* 3. etiam in rem judicatam tranſactæ, fuit judicatum, donationes de anno 1750. & 1751. non officere Creditoribus Patrimonii qu. Dominici Surrentino, donationem vero diei 21. Novembris 1753. fuiſſe & eſſe nullam.

Unde pendebat tantum controverſia de prætenſa ſatisfactione, ſuper qua fuit datus terminus in dicto decreto diſcuſſionis diei 12. Decembris 1763. *fol.* 274. *vol.* 2.; & pro dicta ſatisfactione pro parte dictorum de Surrentino allegabantur ſequentia, quibus non adhæſit S. C. ex infraſcriptis rationibus, & Juris diſpoſitionibus.

Primo dictus D. Paſchalis oppoſuit, quod in dicto inſtrumento diei 9. Februarii 1756. fuerunt a fratribus de Surrentino cauſa interuſurii pro ſupradicta ſorte ducatorum 730. promiſſi alii ducati 175., quorum 50. fuerunt poſtea ſoluti ſub die 23. Junii 1757. per Bancum S. Jacobi *fol.* 100. *vol.* 2.. Dicebant dicti fratres de Surrentino, dictos ducatos 150. indebite fuiſſe ſolutos, quia pro dicta ſorte, abſque expreſſa antecedenti conventione, decurrere non poterat intereſſe; quam oppoſitionem pro nihilo habuit S. C.; obſtabat enim res judicata ob claram diſpoſitionem *Textus in L.* 3. *&* 6. *ff. de except. rei judic.*, cum dicti de Surrentino hanc indebitam ſolutionem oppoſuiſſent, tam in comparitione *fol.* 75. *a t. dict. vol.* 3., quam in nullitatibus *fol.* 101. *a t.*

Digitized by Google

*a t. dict. vol.*3., & tamen decreto S. C. ſub die 16. Maji 1772. *fol.* 84., & alio decreto ſub die 16. Novembris 1772. in gradu nullitatum *fol.*111. *dict. vol.*3. decretum diſcuſſionis fuit confirmatum, rejecta oppoſitione dictæ indebitæ ſolutionis interuſurii: & rationabiliter fuit rejecta, quia Michael Maggiſe pro debito dicti Dominici Surrentino ſolvit dictos ducatos 730., unde cum hoc officium non debet eſſe damnoſum, ultra ſortem erat debitum intereſſe, ad *textum in L. Si vero §. ſi mihi ff. mandati*, *L.* 1. *Cod. eod.* Inſuper in debitis dependentibus ex contractibus ſtricti juris, intereſſe ut plurimum nonniſi ex conventione debetur *L.* 3. *Cod. de uſur. L. Idemque §. ſi quis Titio ff. mandati*, *L.* 5. *§. Imperator ff. de ſolut.*, at in locationibus, & conductionibus, qui ſunt contractus bonæ fidei *§. actionum Inſt. de act. L.* 2. 9. *&* 17. *Cod. de locat.* (ſicut fuit contractus, a quo dependet dictum debitum ducatorum 730.) placuit Juriſconſultis intereſſe ex mora admittendum eſſe, idque bonæ fidei congruit, *L.* 17. *ex locato*, *& §. Fiſcus ff. de uſur. & L.* 2. *&* 17. *Cod. de locat.*, ubi legitur: *Ex locato, & conducto actionem, cum ſit bonæ fidei, poſt moram uſuras legitimas admittere*, & *L. quæro* 54. *ff. eod.*; tanto magis, quia, cum fuiſſent ſub die 28. Februarii expeditæ literæ executoriales contra dictum Dominicum Surrentino, & Nicolaum Mazzarella *fol.*588. *a t. in fin. vol.*2., intereſſe pro tempore inde decurſo debebatur etiam ratione dictarum literarum executorialium, ad *text. in L.* 1. *Cod. de uſur. rei judic. L. eos Cod. eod.*

Secundo prætenſa ſatisfactio fundabatur in fide Actuarii Regiæ Cameræ Migliore, qui teſtatur, fructus bonorum dicti Dominici Surrentino, & Nicolai Mazzarella ſequeſtratorum venditos adſcendiſſe ad ducatos 961., quorum in dicta fide legitur exitus in ſumma ducatorum 679. *dict. fol.* 588. *vol.* 2., unde deducebatur, reliquos duca-

ducatos 285. ad complementum ducatorum 961. remanſiſſe in Patrimonio Ill. Ducis Sueſſæ, & conſequenter ceſſiſſe in deminutionem debiti dicti Dominici Surrentino, & proprie dictorum ducatorum 730.

Sed ſolutio hujuſmodi oppoſitionis facilis eſt. Præfatus Actuarius Migliore non teſtatur, perveniſſe penes acta Patrimonii dictam ſummam ducatorum 961., ſed tantum teſtatur quantitatem fructuum venditorum, & in beneficium dicti Patrimonii ceſſiſſe tantum ſummam ducatorum 276. *fol.* 590. *a t. lit. A.* Et ſicuti fructus liberati in beneficium Patrimonii Sueſſæ fuerunt deducti ex integro debito Dominici Surrentino, unde remanſit debitor in illa ſumma ducatorum 730, ut legitur ex confeſſione facta in inſtrumento anni 1756. *fol.* 74. *a t. lit. A. vol.* 2., ita quidem deducti eſſent ducati 285, ſi exacti fuiſſent a Patrimonio.

Nec prodeſt replicatio D. Paſchalis Surrentino dicentis, quod ideo fuerunt dimiſſi ducati 307. a Patrimonio Sueſſæ in beneficium heredum qu. Bernardi Franzeſe, quia ducati 285., qui pervenerunt in depoſito ex fructibus dictorum bonorum fuerunt deperditi penes acta Patrimonii. Non prodeſt hæc replicatio, quia hoc non conſtat, verum gratis aſſeritur: penes acta non adeſt nec inſtrumentum, nec aliquis conſenſus dimiſſionis horum ducatorum 307. in gratiam dictorum ducatorum 285. deperditorum, ſed ſolum adeſt inſtrumentum anni 1750. rogatum inter heredes qu. D. Bernardi Franzeſe, & D. Michaelem Maggiſe, in quo nulla fit mentio dictorum ducatorum 285. deperditorum *fol.* 106. *vol.* 2.

Tertio de Surrentino oppoſuit, Michaelem Maggiſe exegiſſe ex bonis Patrimonii ducatos 26, quæ partita cum non fuiſſet vocata in dubium a magn. Procuratore nomine omnium, a S.C. fuit admiſſa.

Quarto idem de Surrentino oppoſuit, bona Patrimonii

fuiſſe adminiſtrata a D. Michaele Maggiſe, qui quodam albarano *fol.*183. *vol.*3. dimiſit in beneficium debitorum Patrimonii aliquas quantitates per eoſdem debitas.

Veritas eſt, quod dicto albarano, cum D. Michael Maggiſe eſſet ſimplex exactor, aſſerens paupertatem Simeonis Perillo, ejuſdem incapacitatem ad ſolvendum, & infertilitatem ruris, dimittens debitum, expreſſe convenit, dimiſſionem eſſe confirmandam a Regio Conſiliario cauſæ Commiſſario, & ab aliis intereſſe habentibus. Dicta confirmatio, ſive ratihabitio nunquam peracta fuit, imo, non obſtante dicta dimiſſione, fuerunt expediti ordines contra eundem Perillo *fol.*267. *vol.*3.

Et denique de Surrentino oppoſuit, inſtrumenta dictarum donationum fuiſſe priora in tempore dicto inſtrumento anni 1756., ſed reſponſum fuit, ſententiam S. R. C. in rem judicatam tranſactam, declaraviſſe, duas donationes non officere creditoribus; alteram vero eſſe nullam.

Reſpectu crediti D. Thomæ Mareſca, cum eſſent expeditæ litteræ executoriales ab anno 1752. *fol.*61. *vol.*1., hoc creditum dicitur liquidum, juxta Conſtit. anni 1738. §. 10.; nam nemo poteſt audiri, niſi prius facta ſolutione. Econtra oppoſitiones dicti de Surrentino erant illiquidæ; unde S. C. exiſtimavit, eſſe computa exhibenda ab eodem de Surrentino; & interim executioni mandari decretum diſcuſſionis pro dicto credito ad faciendum depoſitum.

Stantibus his, & legum diſpoſitionibus:

Referente D. Dominico Antonio Avena R. Conſ. & cauſæ Comm.

S. R. C. mandavit, *quod decretum ipſius S. R. C. ſub die* 18. *Novembris* 1774. *fol.* 302. *executioni detur juxta ſui ſeriem, continentiam, & tenorem; ac proinde exceptionem ſatisfactionis allegatam, militare tantum pro ducatis* 26.

Necnon reſpectu crediti heredum qu. D. Thomæ Mareſca, D. Pa-

D. Paſchalis, *& alii de Surrentino infra duos menſes procurent reviſionem computorum per eoſdem prætenſorum*, *& interim decretum diſcuſſionis executioni detur ad faciendum depoſitum*, *ſalva proviſione facienda ſuper deductis in dicta reclamatione porrecta pro parte heredum D. Thomæ Mareſca*.

Capobianco a Secr. Baſile Act. Mag. Civitella Scriba.

In cauſa appellationis propoſitæ a D. Michaele Caggiano de Azevedo contra D. Fulvium Rogadei ejus ſocerum petentem, non teneri pro dotibus conſtitutis D. Cajetanæ Rogadei ejus filiæ, niſi in quantum facere poteſt, ac etiam deducto ne egeat. Die 21. Januarii 1775.

CUm D. Fulvius Rogadei in M.C.V. aſſeruiſſet inopem eſſe, & id eviciſſet teſtium depoſitionibus *fol. 64. & ſeq.* M. C. die 1. Julii 1774. declaravit *eſſe locum petito beneficio*, *ac proinde eundem non eſſe moleſtandum*.

Socer pro dotibus filiæ conſtitutis in id, quod facere poteſt, damnatur, & deducto, ne egeat; prout Jura indulgent parentibus, & iis, qui eorum loco habentur.

Referente D. Dominico Potenza R. Conſ. & cauſæ Commiſſ.

S. R. C. mandavit: *Bene judicatum per noſtram M.C.V.*, *& male appellatum per D. Michaelem Caggiano de Azevedo*; Nam in condemnatione perſonarum, quæ in id, quod facere poſſunt, damnantur, non totum, quod habent, extorquendum eſt, ſed & ipſarum ratio habenda eſt, ne egeant, *L. In condemnatione 173. ff. de reg. jur.*, & inter perſonas, quibus hoc a jure indultum eſt, procul dubio ſunt ſocer pro dotibus filiæ conſtitutis, parentes, & qui loco parentum habentur, *L. Sicut autem 21. & L. Sed hoc ita 22. ff. de re judic. & L. Parens 5. & L. Licet 7. §. & in quantum ff. de obſeq. parentib. & patron. præſtand. Salvis juribus præfato D. Michaeli*, *ſi idem D. Fulvius auctus fuerit fortunis.* POTENZA.

Felix Caſtiolus Act. Mag. Paſchalis Cenni Scriba.

In cauſa inter magn. D. Franciſcum Radice virum & legitimum adminiſtratorem magn. D. Roſa Punzo ex una parte, & heredes magn. D. Prudentiæ, & D. Catharinæ de Stefano ex altera. Die 21. Januarii 1775.

Tranſactio de re pupillari, & minorum, non adhibitis ſolemnibus facta, nulla eſt; & cum nulla ſubſit juſta tranſigendi cauſa, obligatio quoque extinguitur ejus, qui tranſegit.

INſtrumento diei 15. Octobris anni 1730. tranſactio inita eſt *fol.56.*, qua mediante, capitale ducatorum 400. ſuper Arrendamento Regiæ Doganæ, olim dotale qu. Juliæ de Stefano, retroceſſum eſt ſororibus D. Prudentiæ, & D. Catharinæ de Stefano a Cajetano Punzo patre D. Roſæ Punzo tunc pupillæ ex fide Baptiſmatis *fol.240.*, & quæ tempore præſentis litis motæ nondum compleverat quatriennium ad petendam reſtitutionem in integrum, quam petit nunc *fol.131.* Conjuges D. Franciſcus Radice, & dicta D. Roſa Punzo petierunt, nullam declarari hanc tranſactionem; & condemnari D. Prudentiam, & D. Catharinam de Stefano ad reſtituendum dictum capitale ducatorum 400., eis a dicto D. Cajetano retroceſſum, una cum medietate fructuum; ac ſimiliter condemnari heredes qu. D. Franciſci Antonii de Stefano ad relaxandum eidem D. Roſæ quædam ſtabilia cum fructibus, & ad ſolvendum nonnullas quantitates cum intereſſe enunciatas in ſupplicatione *fol. 6.* Exceperunt præfatæ ſorores, defendentes validitatem tranſactionis, etiam ex quo capitale ut ſupra retroceſſum, ad eas pertinebat, ceu vocatas in fideicommiſſo univerſali ordinato a qu. Cæſare de Stefano ſeniore, ſuaque uxore Flavia Bruno anno 1636. mediante inſtrumento donationis favore dicti qu. D. Franciſci ipſorum filii *fol. 121.* Et quoad capitalia, ac ſtabilia prætenſa in citata ſupplicatione *fol. 6.* oppoſuerunt, ipſas non eſſe heredes, nec poſſidere bona debitoris, ut legitur ex inſtantiis *fol. 67. & 99.*

S. R. C. perpendit inſtrumentum donationis qu. Juliæ de Stefano, cui anno 1690. inter alias dotes prædictus D. Fran-

D. Franciſcus Antonius illius pater promiſit ducatos 400. cum aſſignatione annuorum ducatorum 20. ſuper dicto Arrendamento *fol.* 44., quorum deinde ducatos 300. ipſamet Julia in dotem dedit filiæ ſuæ Claræ Cataneo anno 1723. cum nupſit Cajetano Punzo; nam alii ducati 100. partim titulo hereditario, partim emptione enunciatæ actrici de Punzo pervenerunt, ut ex ſcripturis *fol.*54.*&* 55. Perpendit etiam ſcripturas *a fol.*126.*ad* 131. docentes valide matrimonium contractum fuiſſe anno 1684. inter dictum D. Franciſcum Antonium de Stefano, & qu. Angelam Genoſa, ex quibus orta jam erat ſupraſcripta Julia anno 1666. *fol.* 163., non obſtante dicti matrimonii invaliditate, oppoſita per Reos conventos, rationibus deductis in articulis *fol.* 204.; nam eis obſtat ſententia Judicis competentis, quæ in ſimilibus eſt omnino attendenda, juxta *L.* 25. *de ſtatu hominum*, *& L.* 27. *§.* 1. *ff. de liberali cauſa*. Ac etiam præ oculis habuit probationes viciſſim compilatas, ex quibus non ambigitur, rem tranſactione retroceſſam a Cajetano Punzo pertinuiſſe ad D.Roſam Punzo, nec ſuper inſtrumento interpoſitum fuiſſe Judicis decretum, prævia inquiſitione de utilitate & juſtitia contractus; hinc patet defeciſſe ſollemnitates præſcriptas in titulis Pandectarum, & Codicis *de rebus eorum &c.*, ac *de prædiis*, *aliiſque rebus minorum*, & ſignanter in *L.* 22. *§. præcipimus Cod. de adminiſtr. tutorum*, *cum concordantibus*. Defectui ſolemnium adjicitur cauſa parum juſta tranſigendi; nam dotatio qu. Juliæ fideicommittentis pronepoti ex filio (licet de bonis fideicommiſſi, ut apparet *fol.* 30. *ad* 43.) fuit rite facta vigore *Auth. Res*, *quæ Cod. comm. de legat.*: eo vel magis, quia non conſtat, dotantem alia bona libera quæſiviſſe; imo ejus hereditatem nemo vult tamquam damnoſam adire; conſequenter in perniciem filiæ pupillæ retroceſſit pater capitale prædictum. Ex his deſcendit nullitas tam tranſactionis, quam

quam obligationis illam obſervandi, initæ per Cajetanum Punzo, tamquam contractui acceſſoriæ, quæ plerumque extinguitur, cum obligatio principalis corruit," *L.* 2. *ff. de peculio legato*, *&* *L.* 139. *ff. de reg. jur.* Hinc

Referente D. Antonio Carpentiero R. Conſ. & cauſæ Commiſſ.

Declaravit: *Nulla habita ratione enunciatæ tranſactionis anni* 1730. *fol.* 56., *condemnandos eſſe D. Jacobum*, *& D. Xaverium Bellezza*, *ac Archangelum la Rocca nomine ut in actis ad reſtituendum in beneficium D. Roſæ Punzo præcitatum capitale ducatorum* 400. *aſſignatum ſuper Regia Dogana cum medietate fructuum decurſorum a litis conteſtatione ſecuta die* 11. *menſis Januarii* 1746. *fol.* 66. *in antea*; *juxta diſpoſitionem L.* 22. *Cod. de reivindic.*, *deductis tamen fructibus decurſis a die* 17. *menſis Julii anni* 1751. *uſque ad diem* 28. *menſis Martii anni* 1772., *qua judicium fuit denuo reaſſumptum fol.* 118., *attento conſenſu ab Actrice præſtito pro illorum diſſequeſtro & liberatione fol.* 109. *Pro quibus*, *aliiſque fructibus decurſis a die contractus uſque ad dictam conteſtationem litis*, *dictos de Bellezza*, *& la Rocca eſſe abſolvendos*. *Abſolvendam pariter eſſe præcitatam D. Roſam*, *ceu heredem ejus patris a reconventione propoſita per Reos conventos pro obſervantia dictæ tranſactionis*. *Quo vero ad alia credita*, *& ſtabilia prætenſa per enunciatam D. Roſam in ſupplicatione fol.* 6. *contra hereditatem qu. D. Franciſci Antonii de Stefano*, *terminus alias ordinarie datus fol.* 66. *currat ab hodie*, *audito Curatore per Dom. cauſæ Commiſſarium deſtinando hereditati prædictæ*. *Et fiat calculus per Scribam cauſæ*, *partibus requiſitis*, *fructuum*, *vigore præſentis ſententiæ reſtituendorum*, *præ oculis habendo inſtrumentum aſſignationis factæ anno* 1690. *fol.* 44. *& ſeq.* ANTONIUS CARPENTIERO.

Antonius Baſile Act. Mag. Vincentius Baſile Scriba.

In

Digitized by Google

In cauſa vertente inter Rev. D. Baſilium Grio ex una, & Roſam, fratreſque Neſci, fratres Attiſano, alioſque Caſſetta, Mangione, & Meiara ex altera. Die 21. Januarii 1775.

Paulus Mantineo Civitatis Seminariæ anno 1674. teſtamentum condidit, quo relicta dote ducatorum 300. Rev. Archidiacono, & Canonicis Collegiatæ Eccleſiæ illius Civitatis, alterum Canonicum inſtitui juſſit, onere eidem injuncto ſexaginta miſſarum quotannis: verbiſque ſequentibus Patronatui hujuſmodi Canonicatus proſpexit. Proximioribus ex familia idoneis ad patronatum vocatis, atque his non extantibus, filiis ex ſorore Fundatoris, ea lege, quod vel omnibus deficientibus, vel idoneo non exiſtente, præſentatio, & electio fiat a Capitulo loci, cenſetur, paſſivum tantum jus familiæ, & ſororis filiis relictum fuiſſe, activum vero ipſi Capitulo.

Et vole eſſo Teſtatore, che detto Canonicato andaſſe nella ſua Famiglia di caſa Mantineo in perpetuum, & in futurum *durante detta Famiglia, ed il primo che dovrá ſuccedere a detto Canonicato nomina ed eligge il Clerico Antonino Mantineo ſuo nipote; e dopo la morte di detto Clerico Antonino ſucceda il più proſſimo in grado di eſſo Teſtatore di caſa Mantineo, ed eſſendo eſtinta detta Famiglia di Mantineo, ovvero non eſſendovene idonei, ſucceda a detto Canonicato uno de' figli maggiori delle ſorelle carnali di eſſo Teſtatore, che ſia il più atto e idoneo di poter ricevere il detto Canonicato, ed in caſo che foſſe eſtinta detta Famiglia di caſa Mantineo, e non ci foſſera figli atti di dette ſue ſorelle; ovvero per qualſivoglia tempo, che mancaſſero ſoggetti di caſa Mantineo, e non vi foſſero figli atti di dette ſue ſorelle, ovvero eſtinta detta Famiglia di Mantineo, e figli della ſue ſorelle; in ſimili caſi vuole eſſo Teſtatore, che alla iſtituzione, elezione, e preſentazione di detto Canonicato ſucceda il Rev. Archidiacono, e Canonici, conchè debbano eliggere Sacerdoti di queſta Città di Seminara, e non d' altra parte fol. 15.*

Et Epiſcopalis Mileteuſis Curia aſſenſum ſuper Canonicatus prædicti erectione per primum Canonicum Antoninum Mantineo a Teſtatore nominatum præbuit.

Va-

Digitized by Google

Vacante hujuſmodi Canonicatu ob mortem Rev. Canonici D. Petri Pauli Melara, ſtante defectu agnatorum familiæ Mantineo Civitatis Seminariæ, ac filiorum Franciſcæ Mantineo Pauli ſororis, in S. C. propoſitæ ſunt petitiones pro pertinentia Patronatus, tam per Roſam, fratreſque Neſci, per fratres Attiſano, Antoninum, alioſque Caſſetta, fratres de Mangione, alioſque Melara deſcendentes omnes a Catharina, Angela, & Anna Mantineo; ac Rev. D. Georgium Bianchini ab eis præſentatum *fol.* 1. *&* 13., quam per Rev. Capitulum Civitatis Seminariæ, & Rev. D. Baſilium Grio, Franciſcæ Mantineo ex filio nepotem, ab eo in Canonicatu defuncto Melara ſuffectum *fol.* 17. *&* 37. Et pro eadem Canonicatus pertinentia, Antonini Mantineo Terræ Balneariæ, tamquam ejuſdem Mantineo gentis *fol.* 76.

Et factis probationibus per quemlibet ex prædictis Actoribus in termino ordinario (quo pendente decreto S.C. cautum fuit, licere Rev. D. Baſilio Grio exigere fructus Canonicatus hujuſmodi, adimpleta per eum injuncta celebratione Miſſarum *fol.* 45.); ex his habetur, defeciſſe agnatos familiæ Pauli Mantineo Civitatis Seminariæ, nec adeſſe filios maſculos Franciſcæ Mantineo ejuſdem Pauli ſororis: Actores Attiſano, Neſci, Caſſetta, & Bianchini, Mangione, & Melara a Catharina, Anna, & Angela Mantineo deſcendere: Antoninum denique Terræ Balneariæ quemdam Matthæum Mantineo communem utriuſque familiæ ſtipitem poſuiſſe *fol.* 56. *ad* 74., 82. *ad* 86., 92. *ad* 95., *&* 104. *ad* 111.

Referente R. Conſil. D. Hippolyto Portinari cauſæ Comm.

S. R. C. declaravit: *Ob defectum tam Agnatorum familiæ Mantineo Civitatis Seminariæ, quam filiorum maſculorum Franciſcæ ſororis qu. Pauli Mantineo, jus præſentandi, ſive eligendi Canonicum quemlibet Sacerdotem Seminariæ civem in Canonicatu ejuſdem Pauli præcitato teſtamento inſtituto, ſpectare Rev. Capitulo prædictæ Civi-*

Civitatis Seminariæ : Ac proinde idem eſſe abſolvendum ab impetitis tam per Roſam , fratreſque Neſci , fratres Attiſano, alioſque Caſſetta, Mangione, & Melara deſcendentes a Catharina, Anna, & Angela Mantineo , ac etiam per Rev. D. Georgium Bianchini , ab eis nominatum , quam per Antoninum Mantineo Terræ Balneariæ : Et Rev. D. Baſilium Grio , tamquam electum a Rev. Capitulo , in poſſeſſionem Canonicatus prædicti eſſe immittendum .

Cenſuit enim S. C. paſſivum Patronatum tantum ab Inſtitutore Canonicatus familiæ ſuæ de domo Mantineo, & proximioribus ejuſdem familiæ idoneis non extantibus, fuiſſe relictum filiis ſororis ſuæ Franciſcæ Mantineo : & ad activum Patronatum Rev. Capitulum Civitatis Seminariæ fuiſſe vocatum. Ea quippe ratione, ne in ſuſpenſo (quod eſſet abſurdum) jus activum cenſeatur relictum, quouſque proximiores idonei familiæ de domo Mantineo, filiique ſororis etiam idonei extarent : ſatiſque hoc probari poſtremis pii legati verbis , quibus præſentatio & electio in Canonicum cujuſque Sacerdotis Seminariæ Civis Rev. Capitulo demandatur , ſive familia de domo Mantineo eſſet extincta, ſive Sacerdotes idonei de domo Mantineo *quocumque tempore* , aut filii etiam idonei ſororis ſuæ deficerent.

Quæ ſi forte aliter eſſent , nec pariter utroque activo ſcilicet & paſſivo jure uti poterant Actores ex fœminis Mantineo deſcendentes . Vocata enim familia de domo Mantineo , minime in ea comprehendi poſſunt deſcendentes ex fœminis , quamvis agnatis . Verbum *familiæ* agnatos tantummodo denotat , *ex L. Pronunciatio* 195. *de verb. ſignif.*, nec cognatos complectitur, *L. Jus familiarium* 8. *C. de relig. & ſumptib. funer.*, & ut ait Ulpianus in prædicta *L.* 195. *de verb. ſignif. in fin. Mulier familiæ ſuæ & caput , & finis eſt* , cui Cajus ſubdit in *L.* 195. *Fœminarum liberos in familia*

earum non eſſe, *palam eſt*; *quia qui naſcuntur*, *patris*, *non matris familiam ſequuntur*. Maximeque cognatis aptari non poteſt; ſi voci *familiæ* verbum cognomen Teſtatoris exprimens, quod per deſcendentes ex fœminis ſervari non poteſt, additum inſpiciatur; quod in præſenti caſu evenit, quamvis quandoque Teſtator cognomen ſuum voci *familiæ* non adjecerit, ſed verbis uſus fuerit, eamdem familiam prius nominatam denotantibus.

Neque his obſtat allegata per deſcendentes ex fœminis Mantineo *Lex Peto Luci Titi §. fratre*, *de leg. & fideicom.* I., qua emancipatus, qui jure antiquo Romanorum inter agnatos non adnumerabatur, admittitur in fideicommiſſo *familiæ* relicto; cum verba textus demonſtrent, eum poſt teſtamentum emancipatum fuiſſe, nec poſſe jure teſtamento quæſito nomine *familiæ*, cujus tunc erat, emancipatione privari. Minuſque aptari poteſt vocationi, de qua agitur, etiam oppoſita *Lex* 5. *D. de verb. ſignif.*, qua cautum fuit, nomen *familiæ non ſolum propinquos*, *ſed etiam his deficientibus*, *generum*, *& nurum comprehendere*. Excipit enim eadem *Lex* 5., *cum aliqua ſpecialis adjectio ſuper quibuſdam perſonis facta fuerit*, quod ſane ex teſtamento Pauli Mantineo indubium patet.

Quæ etſi Antonino Mantineo minime conveniant, cum eodem cognomine nuncupetur; liquet tamen ex actis, alienæ eum gentis eſſe, nec unquam probaſſe *ex ultimo genitore quaſi a fonte quodam memoriæ*, juxta verba *L.* 195. *de verb. ſignif.*, Matthæo ſcilicet Mantineo, ſe Terræ Balneariæ civem ex Franciſco, & Paulum Canonicatus fundatorem ex Nuncio fratribus proficiſci. Præterquam quod, ſatis inepte per hujuſmodi actorem legitimata fuit perſona ſua. Tres tantummodo teſtes deponunt, Franciſcum Mantineo Balneariæ Antonini patrem, ſe conjunctum dicere deſcendentibus ex Mantineis

tineis Seminariæ ; probationeſque ſupradictæ ex libris Baptizatorum (qui probant tantum ætatem) ut unius gentis ex Matthæo ſeniore utraque familia demonſtraretur, Franciſcum hujus Matthæi filium Antonini actoris aſcendentem natum anno 1634., ejuſque nepotem Paulum natum anno 1620. oſtendunt, filium ſcilicet in ortu præceſſiſſe patrem.

His additur optima ſupremæ voluntatis hominum interpres, obſervantia, ex actis ipſius Epiſcopalis Curiæ Miletenſis Regio ordine in S.C. exhibitis, ac per utramque partem, actu Scribæ cauſæ, probata.

Defuncto quippe Clerico Antonino Mantineo, Pauli fundatoris ex fratre nepote, ac ab eo primo Canonico nuncupato, morteque ipſius, deficientibus agnatis familiæ Mantineo, ſtante obitu abſque aliis maſculis Joſephi Mantineo, ſuperſtitibus tantum Catharina, Angela, & Anna ejus filiabus, nec extantibus filiis maſculis Franciſcæ Mantineo Pauli ſororis, Rev. D. Michael Angelus Tizzarella extraneus, præponente Capitulo Civitatis Seminariæ anno 1679., Canonicatum obtinuit ſententia Epiſcopalis Curiæ Miletenſis. Hoc vita functo, anno 1712. Canonicatum adeptus fuit a Romana Curia Rev. D. Joſeph Mangione ob lapſum, diſcordia Canonicorum Rev. Capituli, fatalium, juri activo exercendo in Patronatibus præſtitutorum. Cui demum ſucceſſit anno 1736. poſtremus Canonicus Rev. D. Petrus Paulus Melara. Dimiſſo enim Canonicatu per Rev. D. Joſephum Mangione, lis orta fuit in Epiſcopali Curia inter prædictum Melara, tamquam nominatum ab Anna Mantineo ejus matre, & Rev. D. Franciſcum Grio, nepotem ex filio Franciſcæ Mantineo Pauli fundatoris ſororis, per patrem Joſephum Grio præſentatum; decretoque Epiſcopalis Curiæ cautum, utramque præſentationem, tamquam factam a non habentibus jus præſentandi, non eſſe admittendam. Et demum ſententia ejuſdem Curiæ decla-

declaratum extitit, jus præſentandi hujuſmodi Canonicum Rev. Capitulo pertinere, *ob deficientiam ſucceſſionis lineæ maſculinæ de Mantineo, & filiorum ex ſororibus qu. Pauli Mantineo fundatoris*; ac Rev. Melara, quem Rev. Capitulum tandem præſentavit, in poſſeſſione Canonicatus fore & eſſe immittendum.

Quibus nec juvat opponere, utroſque Canonicos, Mangione ſcilicet, atque Melara, ex Anna, & Angela Mantineo eſſe deſcendentes. Non enim hoc jure, ſed tamquam extranei Canonicatum adepti fuere; Mangione nempe a Romana Curia ob lapſum fatalium, Canonicorum Seminariæ diſcordia, poſtremuſque Canonicus Melara, prævio Miletenſis Curiæ decreto, quo declaratum fuit præſentationem ſuorum auctorum non eſſe admittendam.

Nec inſuper S. C. viſum fuit, ſuadente æquitate, actores, & Rev. Bianchini ab eis nominatum, tamquam deſcendentes ex fœminis familiæ Mantineo, Rev. Capitulo, extraneiſque Sacerdotibus, civibus tamen Seminariæ ab eo præſentandis, præferre. Regula enim juris eſt, voluntatem Teſtatorum ſervandam, ac nefas eſſe ab ea diſcedere. Neque admittendam voluntatis quæſtionem, ubi in verbis nulla ſit ambiguitas. Cumque ex verbis teſtamenti qu. Pauli Mantineo agnati tantum, iiſque idoneis deficientibus, filii ſororis in Patronatu paſſivo vocati habeantur, fruſtra cognati deſcendentes ex fœminis agnatis, contra expreſſam Teſtatoris voluntatem certas perſonas proſpicientem, audent inſurgere.

Quod ſi maxime utriuſque præſentati jura pendantur, Rev. potius D. Baſilius Grio Rev. Bianchini præferendus eſſet. Is enim, tamquam deſcendens ex fœmina deſcendente a Catharina Mantineo Teſtatoris ex fratre nepte, inter extraneos eſt recenſendus. Contra vero Rev. Grio nepos ex filio eſt Franciſcæ Mantineo Teſtato-

ſtatoris ſororis, cujus filii tantum in Patronatu paſſivo fuerunt per Teſtatorem vocati, deficientibus idoneis agnatis familiæ Mantineo, ſeque nomine filiorum intellectum, *ex L. Filii* 84. *de verb. ſignif.* dicere poſſet, niſi teſtamento Pauli Mantineo, & ſubſecuta obſervantia probaretur, hunc ſingulari voce filiorum uſum fuiſſe, qua, juxta *L.*220. *de verb. ſignif.*; ***non omnibus, qui poſt eos ſunt, præſtitum fuiſſe habetur; ſed ſolis his, qui nominatim fuerint enumerati.***

Nemo denique ad expenſas litis erat damnandus. Cujuſque enim jura Judicis indigebant declaratione. HIPPOLYTUS PORCINARI.

U. J. D. Franciſcus d'Amora Act. Mag.

In cauſa inter Rev. Sacerdotem D. Xaverium Tiſi actorem, & Rev. Sacerdotem D. Franciſcum Antonium Vitale reum conventum, & poſſeſſorem Capellaniæ, ut ex actis. Die 21. *Januarii* 1775.

In vacatione Beneficii, ſive Capellaniæ laicalis idem eſt non eſſe inſtitutum, ac non rite inſtitutum eſſe; neque Clerico a Fundatore vocato obſtat diuturnum ſilentium, ſive quod longo temporis ſpatio non provocaverit a ſententia Judicis extraneum inſtituente, quoties rationabili errore adjuvari poſſit.

D. Joannes Conſtantinus Maniero die 19. Junii 1651. Capellaniam fundavit pro Sacerdotibus de familia, & ſanguine Compatronorum. Rev. Curia Arianenſis die 19. Aprilis 1754. inſtituit, & immiſit D. Franciſcum Antonium Vitale, præſentatum in poſſeſſionem hujus Capellaniæ; verum Compatroni die 26. Aprilis 1771. petierunt, Sacerdotem D. Xaverium Tiſi ab eis nominatum, & ex lege fundationis vocatum immitti in poſſeſſionem, amoto Capellaniæ poſſeſſore *fol.*1. *act. S.R.C.* Dato termino ordinario *fol.*25., probationibus factis *fol.* 47. *ad* 79. *& fol.* 97. *ad* 124.

Referente Domino R. Conſil. D. Stephano Patritio cauſ. Comm.

S. R. C. declaravit: *Capellaniam a qu. D. Joanne Conſtantino Manerio penes acta deductam, ſpectare, & ſpectaviſſe, ſecundum legem fundationis, ad Rev. Sacerdotem D. Xaverium Tiſi, de cognatione Compatronorum, cum vinculis, conditionibus, & oneribus injunctis in inſtrumento*

mento fundationis; *ac proinde Rev. Sacerdotem D. Franciſcum Antonium Vitale condemnandum eſſe ad eandem Capellaniam relinquendam*; *ſalva proviſione facienda per S. R. C. quod ad Patronatum activum*, *penes acta præſentis cauſæ pariter deductum*.

Etſi in Eccleſiaſticis Beneficiis, quæ utpote Sacris, nunquam interituris dicata a piis Fundatoribus, perpetuum, quem vocant, titulum habent; Juris Pontificii Conſulti probent ex *Cap. Conſultationibus de jure patron.*, non eſſe Clericum a poſſeſſione Beneficii ſubmovendum a Patrono nominatum, qui falſo ſe Patronum putabat, & deinde ab Epiſcopo Diœceſano inſtitutum; nihilominus ſi petitorio judicio quis verus Patronus mala fide factam eſſe nominationem probaverit, iidem recte monent, neque juri, neque honeſtati eſſe conſentaneum, ut Clericus, quamquam ſolemniter inſtitutus, a poſſeſſione non removeatur. Etenim haud alio jure valere probamus nominationem a putativo Patrono factam, niſi eo, quia poſſeſſor bonæ fidei fructus facit ſuos, *L. 25. D. de uſufr. §. ſi quis a non domino*, *Inſt. de rer. diviſ.*; nominationem quippe dicimus fructum Jurispatronatus. Quid ergo, ſi nominatio, & inſtitutio palam, contemta fundationis lege, facta fuerit, nimirum, ſi quis extraneus nominatus fuerit, & agnatus, cognatusve neglectus, quem Fundator charitate prædilexerat? In hujuſmodi facti ſpecie, *fol. 5. proc. Cur. Arian.* duximus, Clericum extraneum, exhibitis jam antea in Epiſcopali Audientia fundationis tabulis, ſcienter contra tabulas inſtitutum, eo prætermiſſo, qui de cognatione erat *fol. 50.*, prædonio more fuiſſe nominatum & inſtitutum: nam ubi eſt aperta lex fundationis, ibi videtur eſſe juris perfecti traditio, cum fundatio ſit quodammodo rei traditio, *arg. L. 4. C. de donat. quæ ſub modo*. Ratio juris non patitur, ut quis vel minimum audeat fundationis legem violare, nam ea publici eſt juris, *arg.*

arg. L. 11. *C. de epiſc. & cler. Concil. Trid. Seſſ.* 25. *de Reform. cap.* 5., niſi eo tantum caſu, quo Clericus cognatus ab Epiſcopali ſententia, ut in eo contigit judicio, non provocaverit; quiſque ſiquidem poteſt juri ſuo renunciare. Videamus quid de actore in præſenti altero judicio, qui tunc, licet Clericus idoneus cognatuſque fuerit, Judicem non adiit, tacuitque poſtea diutino ſilentio, utrum nunc legem fundationis experiri queat? Is in Minoribus Ordinibus conſtitutus forte tacuit, quia ſe vinci ab altero cognato, qui ob Sacerdotium erat potior, credebat, juri ſuo non videtur renunciaſſe; multoque minus erranti tempus obeſſe: ſi quis in jure erraverit, quid ad ſe non pertinere; putavit enim recte factum teſtamentum, cum inutile erat, vel cum eum præcederet agnatus, ſibi potius deferri; jure cautum videtur, ut is, qui in jure erravit, adjuvetur bona fide, *L.* 24. *D. de hered. petit.*; potiſſimum vero, ne argumentis, præſumtionibus, ceteriſque actibus fundationum leges evertantur contra bonos mores. Præterea dilatum ab actore judicium ordinarium recte eſſe conſtat ex eadem Epiſcopi ſententia, qua extraneus inſtitutus eſt, non perpetuo Beneficii titulo, ſed temporariæ adminiſtrationis; cum iis, quibus competebant, *ſemper, & in omni futuro tempore jura fuerint reſervata fol.* 50. Verius tamen viſa eſt ea inſtitutio, tamquam ab incompetente Judice in extraneum collata, nulla atque irrita: nam quod pie a Fundatore fuit ordinatum, ad profana & fluxa, ſive temporalia referendum eſſe videtur; ita ut quæſtio a Regiis Judicibus legitime terminari debeat. Merito Sereniſſimi Regis noſtri litteris præſcriptum eſt die 7. Novembris 1767., ne pias Beneficiorum ordinationes, ſi careant *erectione in titulum*, ſcilicet ea ſolemni dedicatione, qua a Sacrarum rerum Antiſtite fidelium vota ad ſpiritualia & cœleſtia extolluntur, alia mente accipi liceat, niſi

niſi ut mera temporalia, quæ qui de Jure Pontificio ſcripſerunt eadem ſignificatione Capellanias vocant. In ſtatu igitur, ut noſtri loquuntur, vacationis, cum idem ſit, quem non eſſe inſtitutum, ac non rite eſſe, patet, non obſtante quacumque longiſſimi temporis præſcriptione, obſervandam omnino fore legem fundationis, etiam ex aliis Regiis litteris die 26. Septembris 1753, præcipue erga eos, quos neceſſitudinis cauſa prædileximus.

Bonaventura Bonocore Act. Mag. Michael Longo Scrib.

In cauſa vertente inter magn. D. Matthæum Daniſe nomine ut ex actis ex una, & D. Hermenegildum Miglionico, D. Ægidium de los Reyes, D. Ignatium, alioſque de Buglio ex altera. Die 21. Januarii 1775.

Tranſactio inter matrem, & filium vicem donationis præbet; & ubi ſemel fuerunt jura abdicata, & tranſacta, nequeunt amplius in priſtinam cauſam deduci.

D. Anna Maria Nugnes inſtrumentum renunciationis confecit in beneficium D. Silveſtri Daniſe ejus filii in vim tranſactionis conceptum, quo dicta D. Anna Maria pro omnibus ejus juribus dotalibus, legatis, creditibus, ac ſucceſſionibus ſibi delatis, ob præmorientiam ejus filiorum, reſervavit annuos ducatos 180., tantum quoad vitam, ſolvendos per dictum ejus filium, abdicando a ſe fructus, & proprietatem bonorum, quæ remanſerunt, adempta ſibi pariter facultate teſtandi, reſervatis tantummodo aliquibus mobilibus pro ducatis 85, una vice ſolvendis *fol. 74. ad 99. proc. hered.* Hæc ſibi reſervata bona altero inſtrumento dicta D. Anna Maria Nugnes anno 1736. donavit D. Camillæ Nugnes ejus ſorori *fol. 22. ad 25. dict. proc.* Verum D. Silveſter Daniſe litem movit ſuper executione donationis factæ per D. Annam Mariam Nugnes ſuam matrem in beneficium D. Camillæ ejus materteræ: quare res ad arbitrium Advocati D. Emanuelis Ciauri anno 1737. remiſſa eſt, quæ laudo per Partes acceptato fuit finita, prævia adſignatione legitimæ dicto D. Silveſtro debitæ uti filio pro

pro tertia parte bonorum donatorum *fol.*281.*proc. curr.* Idem D. Silveſter inſtrumentis ann. 1733. & 1736. donavit inter vivos omnia hæc bona ſua, quoad fructus tantum D. Matthæo Rendina, & quoad proprietatem in beneficium ejus filiorum, addita conditione aſſumendi cognomen Daniſe *fol.* 53. *ad* 71.*proc. primi vol.* Hcic D. Hermenegildus Miglionico, D. Ægidius de los Reyes, D. Ignatius, aliique de Buglio anno 1766., ac poſtmodum tempore mortis dicti D. Silveſtri petierunt ipſis deferri integram hereditatem dicti defuncti D. Silveſtri, uti proximioribus, & deſcendentibus a qq. D. Camilla, & D. Roſa Nugnes materteris ejuſdem D. Silveſtri, excluſo penitus dicto D. Matthæo Daniſe donatario filio adulterino donantis, ut indigno; & gradatim ipſis uti heredibus materterarum prædicti donantis, deberi dotes dictæ qu. Annæ Mariæ Nugnes, ac ſucceſſiones aliorum fratrum præmortuorum ipſius donantis, ipſi D. Annæ Mariæ matri delatas, nulla habita ratione dicti inſtrumenti læſivæ tranſactionis, vel ſaltem ipſis ſpectare medietatem bonorum antiquorum Conſuetudini Neapolitanæ ſubjectorum *fol.* 1. 2. 38. & 52. *proc. curr.* His omnibus replicavit D. Matthæus Daniſe excipiens, omnia deducta per actores vana & inutilia eſſe *fol.* 71.

Referente D. Nicolao Caracciolo R. Conſ. & cauſæ Commiſſ.

S. R. C. his conſideratis, pronunciavit: *D. Matthæum Daniſe nomine ut ex actis, eſſe abſolvendum ab impetitis pro parte D. Hermenegildi Miglionico, D. Ægidii de los Reyes, D. Ignatii, aliorumque de Buglio, ac ceterorum deſcendentium a qu. D. Roſa Nugnes nominibus ut ex actis, qui proinde condemnentur etiam ad litis expenſas, ſervata forma Regalis Conſtit. de anno* 1738. Ex actis enim, & facti circumſtantiis clare liquet, quæſtionem ſtatus oppoſitam D. Matthæo Daniſe pro incapacitate adquiſitionis, retentioniſque bonorum donatorum a D. Silveſtro Daniſe eſſe commentitiam, ne-

que eundem fuiſſe adulterinum *fol.* 270., juxta *L.* 12. *D. de ſtatu hominum*; & quamvis ante nuptias conceptum, per ſubſequens matrimonium legitimatum, juxta *L.* 10. *C. de natur. lib. L. Sancimus*, ubi cautum, omnes liberos ſive ante dotalia inſtrumenta editi ſint, ſive poſtea, una eademque lance trutinari. Neque profecto reviviſcere poſſe jura D. Annæ Mariæ Nugnes pro dotibus, creditibus, & ſucceſſionibus ſibi delatis ex præmorientia ejus filiorum ob lapſum annorum 50.; obſtando actoribus præſcriptionem ſimul, & exceptionem litis finitæ laudo anni 1747. *L.* 2. *C. de præſcript.* 30. *vel* 40. *annor.*, concurrentibus etiam requiſitis decreti S.C. juncti in quatuor Aulis per S.M. adprobati, nam ubi ſemel fuerunt jura prædicta abdicata, & tranſacta anno 1714., nequeunt amplius in priſtinam cauſam deduci, ne quidem prætextu læſionis enormiſſimæ, etſi quadruplum excederet, *L. Lucius* 38. *§. ult. D. ad S.C. Treb.*; cum inter matrem, & filium tranſactio vicem donationis præbeat: in eo enim, qui donat, læſio non conſideratur, *L. Cum donationis C. de tranſact.*; proinde in ea comprehendi quoque creditum, certi juris eſt. Siquidem inſtrumento de anno 1734. exæquatis rationibus computorum, nulla fit reſervatio, *L. Procula C. de probat.* Neque tandem jus quodlibet competere actoribus pro medietate bonorum antiquorum; ſiquidem bona Conſuetudini forent obnoxia ob interdictam diſpoſitionem inter vivos, ſed ultimo tantum voluntatis actu præceptum, quæ taciturnitate ad mortem uſque vim ultimæ voluntatis haberet; nihilominus quoniam actores non ſunt in ordine agnatorum, unde bona obvenerunt, ſed in ordine cognatorum, nequit ipſis prædictam medietatem deferri ex vulgatis Conſuetudinibus *Si quis*, *vel ſi qua*, & *Si teſtator*. Hinc proximioribus ex parte patris, unde bona obvenerunt, non extantibus, liberam diſponendi facultatem ultimo poſſeſ-
ſori

Digitized by Google

ſori ex eiſdem Conſuetudinibus competere manifeſtum eſt. NICOLAUS CARACCIOLO.

Baſile Act. Mag. Civitella Scriba.

In cauſa vertente inter Ill. hodiernum Marchionem Camellæ D. Joſephum Garofalo ex una, & magn. D. Andream Donnamaria nomine ut ex actis ex altera. Die 24. Januarii 1775.

Poſſeſſor malæ fidei ad fructuum reſtitutionem tenetur.

Malæ fidei poſſeſſor exiſtimatur, qui neglexit ſcripturas recognoſcere, ex quibus veritas dignoſci poterat; nec bona fides ab impenſis in rem factis deſumitur.

ILl. Marchio D. Thomas Garofalo junior inſtituit in S.R.C., jure fideicommiſſi inſtituti a qu. D. Thoma Garofalo ſeniore, judicium vendicationis duarum functionum fiſcalium, nempe annuorum ducatorum 12, & aſſium 60. ſuper Univerſitate Octajani, & annuorum ducatorum 15, & aſſium 81. ſuper Univerſitate Civitatis Barii: ſuper quo judicio die 15. Januarii 1745. fuit datus terminus ordinarius *fol.* 128. *vol.* 1.

Judicio pendente dictus Ill. Marchio junior produxit inſtrumentum anni 1731., in quo D. Agnellus Garofalo, dum aſſeruit claris verbis dictum fideicommiſſum, vendidit, durante ejus vita tantum, dictas functiones, & alia jura D. Bernardo Franceſe, qui poſtea easdem functiones fiſcales alienavit pro ducatis 264. in beneficium U. J. D. D. Lælii Donnamaria *fol.* 152. *ad* 157. & *fol.* 167.

His ſtantibus, Ill. Marchio D. Joſeph die 10. Julii 1773. petiit in via executiva reſtitutionem dictarum functionum fiſcalium una cum fructibus a die mortis D. Agnelli; & S.R.C. die 5. Martii 1774., cum eſſet clarum & exploratum fideicommiſſum, ordinavit in beneficium Ill. Marchionis junioris inteſtationem earundem, una cum fructibus a die ſequeſtri jam ordinati ſub die 20. Julii 1773.; & inſimul fuit datus terminus ſuper reſtitutione fructuum *fol.* 194. *vol.* 2.: quod decretum non ſolum tranſivit in rem judicatam, verum etiam ſuam habuit executionem.

N 2 Nunc

Nunc termino jam compoſito, cum nullum dubium ſit de exiſtentia, & pertinentia fideicommiſſi, & de identitate bonorum, controverſia tantum verſatur in fructuum reſtitutione, cujus reſolutio pendet a bona, vel mala fide poſſeſſoris, quam S.R.C. cognovit adeſſe in perſona D.Andreæ Donnamaria, ſaltem a die litis conteſtatæ, quo tempore tam ex teſtamento dicti D. Thomæ ſenioris in actis producto, quam ex clara pertinentia fideicommiſſi in perſonam Ill. Marchionis junioris, atque ex indubitata identitate rei dictus Donnamaria agnovit, vel agnoſcere debuit, ſe eſſe poſſeſſorem malæ fidei, ideoque a dicto die fructus non fecit ſuos, & ad reſtitutionem tenetur. *L. In bonæ fidei §. in contrarium ff. de acquir. rer. dom. L. Qui mihi bona ff. eod. L. Certum C. de rei vend. L. 2. C. de fruct. & lit. exp.*

Nec obſtat, quod dictus Franceſe auctor dicti Donnamaria fide Notarii Breglia, qui tacuit venditionem eidem Franceſe factam eſſe durante ejus vita tantum, obtinuit inteſtationem liberam dictarum functionum fiſcalium; & quod a dicta fide, & inteſtatione D. Lælius Donnamaria ſecundus emptor deceptus bona fide emit; quoniam dictus Notarius quamvis teſtetur emptionem fuiſſe libere factam, ſubjunxit tamen, *cum conditionibus, & declarationibus in inſtrumento contentis*; quapropter D. Lælius legens talia graviſſima verba recognoſcere debebat inſtrumentum venditionis factæ a D. Agnello Garofalo in beneficium dicti Franceſe ſui auctoris; quod ſi feciſſet, utique in eo intellexiſſet fideicommiſſum, & venditionem factam a D. Agnello in beneficium dicti Franceſe fuiſſe quoad vitam D.Agnelli, non autem quoad proprietatem.

Hæc & alia conſideravit S. C. circa malam fidem poſſeſſoris, præſertim a ſumma pretii ſoluti, quod facile demonſtrat, D. Lælium emiſſe prædictos redditus tamquam vitalitios, nam pretium fuit quantitas ducatorum 264, reddi-

Digitized by Google

redditus vero effectivi computari poſſunt pro annuis ducatis 24 ; ſed quidquid ſit de bona fide emptoris D. Lælii tempore contractus , ſumma rerum eſt , quod conteſtata lite, D. Andreas Donnamaria ob rationes deſuper relatas in malam fidem cecidit.

Et reſpectu deductarum expenſarum a dicto Donnamaria in articulis 4. & 8. *fol.* 219. *vol.* 2., fuit conſideratum, quod hæ non probant bonam fidem , ſed tantum ab actore ſunt ſolvendæ. *L. Plane* 41. *ff. de petit. hered. L. Domum , de reivindic.*

Referente D. Dominico Antonio Avena R. Conſ. & cauſæ Comm.

S. R. C. hanc protulit ſententiam : *D. Andream Donnamaria heredem qu. D. Lælii Donnamaria ejus fratris condemnandum eſſe ad reſtitutionem fructuum perceptorum ex functionibus fiſcalibus in actis deductis , calculandorum partibus requiſitis per Scribam cauſæ a die* 15. *Januarii* 1748. *tempore litis conteſtatæ fol.* 128. *vol.* 1. *in beneficium hodierni Ill. Marchionis Camellæ D. Joſephi Garofalo , deductis expenſis per dictum Donnamaria factis ſuper dictis functionibus fiſcalibus ; nec non condemnetur pariter idem D. Andreas ad litis expenſas factas a fol.* 157. *vol.* 2. *uſque ad præſentem diem.*

DOMINICUS ANTONIUS DE AVENA.

Cajetanus de Martino Act. Mag.

In cauſa vertente inter magn. D. Vincentium , & fratres de Miani ex una , & magn. D. Horatium , & alios del Pozzo ex altera. Die 22. *Januarii* 1775.

D. Vincentius & fratres de Miani, mortuo D. Dominico del Pozzo , petierunt ab heredibus & ſucceſſoribus ejuſdem quantitates ab ipſomet debitas qq. Leonardo, & D. Cajetano Miani ex cauſa ducatorum 26816. virtute chirographorum anni 1721. Verum dicti heredes D. Dominici exceperunt , inter alia ejus bona adeſſe illa

Inventario omiſſo, non officit creditoribus quælibet declaratio fideicommiſſi poſtmodum facta.

Heres in certa quantitate inſtitu-

Digitized by Google

tus pro legatario habetur: quapropter in ſubſidium tantum actionibus hereditariis ſubjacet.

illa qq. Nicolai, & Donati del Pozzo fideicommiſſo ſubjecta.

Referente D. Nicolao Veſpoli R. Conſ. & cauſæ Comm.

S. R. C. decrevit: *Heredes qu. D. Dominici del Pozzo condemnandos eſſe ad ſolvendum ex bonis omnibus, quæ remanſerunt tempore obitus ejuſdem, in beneficium magn. D. Vincentii & fratrum de Miani quantitates debitas ex cauſa ducatorum* 26816, *& aſſium* 36, *virtute chirographorum anni* 1721., *pro ſumma tamen declaranda per S. R. C.: pro quo effectu fiat per Scribam cauſæ, partibus requiſitis, relatio omnium quantitatum ex quavis cauſa exactarum per qq. Leonardum, & D. Cajetanum de Miani, dictoſque fratres de Miani eorum heredes; & etiam bonorum eiſdem aſſignatorum virtute inſtrumenti anni* 1722.*, & quæ penes eoſdem forſan remanſerunt, necnon bonorum, & onerum, quæ remanſerunt tempore obitus dicti qu. D. Dominici, ad finem providendi. Salva proviſione facienda tempore declarationis prædictæ ſuper prætenſis ex cauſa fideicommiſſorum qq. Nicolai, & Donati del Pozzo. Salva pariter proviſione facienda tempore prædicto reſpectu intereſſe prætenſi per dictos magn. fratres de Miani. Verum præſens ſententia executioni detur prius contra filios primi matrimonii dicti qu. D. Dominici, ejuſque ſucceſſores ſuper bonis, quæ remanſerunt in obitu ejuſdem, & in ſubſidium contra filios ſecundi matrimonii, ſuper bonis pariter, quæ remanſerunt tempore prædicto: quam relationem conventi intra ſex menſes procurent. Et interim, pendente etiam declaratione prædicta, fiat depoſitum penes acta S. R. C. annuorum ducatorum* 500, *ſcilicet duc.* 300 *per magn. D. Liborium, & D. Vincentium del Pozzo; aliorum duc.* 150 *per magn. Baroniſſam D. Mariannam del Pozzo; & reliquorum duc.* 150 *per filios qu. D. Januarii del Pozzo. Salva proviſione facienda etiam pendente dicta declaratione, tam reſpectu majoris, vel mino-*

Digitized by Google

minoris quantitatis, quam reſpectu repartitionis quantitatis depoſitandæ per dictos del Pozzo; & pro expenſis litis providebitur quoque tempore dictæ declarationis. Ac tandem ſalva etiam proviſione facienda quoad reliquos ducatos 9100, *virtute aliorum chirographorum prætenſos pariter per dictos magn. fratres de Miani.*

Non fuit enim dubitatum de veritate crediti dictorum de Miani, attentis inſtrumentis anni 1721. *fol.*444. *&* 445., & anni 1722. *fol.* 107., & ex eo quia in obitu qu. D. Nicolai, & D. Donati del Pozzo non fuerunt confecta inventaria, exiſtimavit S. C. non officere Creditoribus liquidationes, ſive declarationes ab eiſdem del Pozzo factas reſpectu bonorum, & jurium, quæ aſſerebantur ſubjecta fideicommiſſis, reſpective inſtitutis per citatos qq. D. Nicolaum, & D. Donatum, tamquam res inter alios acta, *L.* 1. *& toto tit. C. res int. al. act.*: quapropter circa deducta virtute dictorum fideicommiſſorum fuit reſervata proviſio, facta relatione bonorum, & onerum in dicta ſententia ordinata.

Cenſuit inſuper S. R. C. filios ſecundi matrimonii dicti qu. D. Dominici debitoris tamquam inſtitutos in certa quantitate, ut ex teſtamento *fol.*440. eſſe habendos uti legatarios, *L. Quoties* 13. *de hered. inſt.*, & proinde actionibus hereditariis principaliter non ſubjacere, *L. fin. C. de jure deliber.*; ſed in ſubſidium *cit. leg.*; legata enim debentur, deducto ære alieno: & quia indubitanter patet incapientia ſuper reliquis bonis hereditariis dicti qu. D. Dominici; ideo fuit ordinatum depoſitum, etiam reſpectu magn. D. Vincentii, & D. Liborii ſucceſſorum in bonis, quæ pervenerunt virtute dictæ particularis inſtitutionis. NICOLAUS MARIA VESPOLI.

Baſilius Baſile Act. Mag. Andreas Ripoli Scriba.

In

Digitized by Google

In cauſa petitionis dotium inter viduam Catharinam Paſtore actricem, & Roſatum, ac Franciſcum Paſtore reos conventos. Die 28. Januarii 1775.

Referente Dom. R. Conſ. Ill. Marchione D. Joſepho Mauri.

Contra dotium inofficioſitatem valet potiſſimum judicium paternum, ultimo ejus elogio contentum; precipue ſi aliquid heredes fecerunt, quo defuncti judicium agnoviſſe manifeſtaverint.

Heres, quamvis nomine proprio ſe obligaverit pro defuncti debito; attamen ſi in obligatione expreſſe inventarii beneficio non renunciaverit, nonniſi in bonis hereditariis teneri poteſt; verum facta inventarii diſcuſſione, executio demandanda eſt in bonis propriis.

ALexius Paſtore die 27.ⁿ Martii 1738. ſuum condidit nuncupativum teſtamentum, in quo, inſtitutis heredibus Roſato, & Franciſco, aliiſque ſuis filiis maſculis, reliquit ſuis filiabus, inter quas Catharina Paſtore, dotes in ſumma ducatorum 350 per quamlibet ipſarum *fol. 72. a t. proc. M.C.* Heredes prædicti, obtento decreto præambuli ex teſtamento, ac confecto inventario *fol. 23. & ſeq.*, non citatis ſororibus in re certa creditricibus, poſt paucos dies, occaſione matrimonii contrahendi inter ejus ſororem Catharinam, & Carminum Petrone, devenerunt ſub die 30. Novembris ejuſdem anni 1738. ad ſtipulationem capitulorum matrimonialium *fol. 41. & ſeq.* In his tabulis nuptialibus dos promiſſa fuit a fratribus in ſumma ducatorum 350, prout judicio patris fuerat conſtituta; cui obligationi etiam mater acceſſit, a qua in augmentum dotis fuerunt promiſſi alii ducati 30, conſtituentes ſolidum dotis in ſumma ducatorum 380. Verum tam mater, quam filii ſe obligaverunt præſcriptis verbis *in ſolidum, ac etiam nominibus propriis, & in propriis bonis pro integrarum dotium ſolutione fol. 42. & a t.* Ex quibus cum tempore ſtipulationis fuiſſent ſoluti in computum ducati 150. per fratres de Paſtore, & ducati 30. per matrem, pro reliqua ſumma ducatorum 200. in iiſdem tabulis nuptialibus fuit conventa dilatio quadriennalis, abſque intereſſe; verum poſt lapſum quatuor annorum, promiſerunt ſolutionem aut in pecunia, aut in corporibus ſtabilibus pro concurrenti quantitate, aut ſolvere quandocumque capitale cum interuſurio ad rationem quinque pro centenario; & in hac parte ſtipulationis ite-

iterum repetita fuit trium dictorum promittentium ſolemnis *nominibus propriis obligatio in ſolidum , & in propriis bonis fol.* 42. *a t. &* 43. Cumque ſub die 10. Februarii 1739. contracto matrimonio , & nec effluxo quadriennio , nec uſque adhuc illud reſiduum dotis , vel ſaltem intereſſe conventum per promiſſores fuiſſet ſolutum ; demum vidua Catharina Paſtore in anno 1771. judicium inſtituit in M C. V. contra ſuos fratres Roſatum , & Franciſcum Paſtore , pro conſecutione reſidualis dotis , una cum intereſſe decurſo *fol.* 1. *proc.M.C.* Cumque fuiſſet impartitus terminus ordinarius in cauſa ob lapſum triginta annorum a die ſtipulationis, fratres de Paſtore conqueſti fuerunt de inofficioſitate dotis *fol.* 19. *& ſeq.* Super qua inſtantia per M.C. fuit proviſum : *Procedi ad ea , quæ incumbunt pro compilatione termini , & quod de deductis in inſtantia per fratres de Paſtore habenda eſſet ratio tempore deciſionis cauſæ principalis fol.* 32. ; ac demum productis teſtibus tam pro actrice *fol.* 45. *ad* 52. , quam per reos conventos *fol.* 68. *ad* 71., ac exhibitis ſcripturis, & compilato judicio , decreto definitivo M. C. ſub die 26. Aprilis 1773. *fuerunt fratres prædicti de Paſtore condemnati ad ſolvendum nominibus propriis , & in propriis bonis ducatos* 200, *vel ad aſſignandum pro concurrenti quantitate tot bona ſtabilia , una cum intereſſe decurſo ; nihil in expenſis . fol.* 99. Adverſus quod decretum cum fuiſſet interpoſita appellatio in S. R. C. *fol.* 1. *proc. S.C.*, ac impartitus terminus *ad non poſita ponendum fol.* 10. *a t.* , illoque compilato ; tandem ſub die 20. Septembris elapſi anni 1774. propoſita cauſa in S. C. ad relationem Ill. Marchionis Mauri Commiſſarii prodiit ſententia pro actrice *fol.* 23. *proc.S.C.* Hinc pro parte ſuccumbentium fuerunt propoſita quatuor nullitatum capita cum ſolita atteſtatione paupertatis , abſque depoſito *fol.* 29. ; & pro parte Actricis inſtatum fuit nedum pro

O diſcuſ-

Digitized by Google

diſcuſſione nullitatum, verum etiam pro repetitione expenſarum litis *fol.*31. In hoc ſtatu rerum, diſcuſſis nullitatibus, ad relationem ejuſdem cauſæ Commiſſarii ſub die 28. currentis menſis Januarii 1775. fuit demandatum; *Quod rejiciantur nullitates prædictæ, etiam attento tenore ipſarum. Verum decretum M.C. executioni demandetur contra Reos conventos pro nunc in bonis hæreditariis Alexii Paſtore; Salva proviſione facienda in bonis propriis; viſo exitu diſcuſſionis inventarii.*

In præcitatis quatuor nullitatibus tota vis conſtituebatur nedum ſuper propoſita exceptione inofficioſitatis dotium in præjudicium maſculorum; verum etiam ſuper obligatione conventa per fratres de Paſtore in tabulis nuptialibus, quæ aſſerebatur hereditario nomine tantum ſecuta, & nec nominibus propriis, nec in ſolidum, & in propriis bonis. Et gradatim, & ſucceſſive in reliquis duabus nullitatibus excipiebatur, quod cum in tabulis ipſis nuptialibus minime fuiſſet renunciatum beneficio legis, & inventarii, non poterant Rei conventi, non facta prius illius diſcuſſione, condemnari in bonis propriis.

Primum motivum inofficioſitatis dotium inefficax, imo nullius momenti fuit conſideratum. Judicium enim paternum ex ejus noviſſimo elogio deſumptum, enixe conſtituendo dotes in illa certa quantitate, habetur in jure tanquam probatio magis valida pro capientia bonorum; quippe, ſicut præſumitur, patrem ſemper voluiſſe ſervare æqualitatem inter ſuos utriuſque ſexus liberos, ita nec etiam præſumitur voluiſſe filiis maſculis præjudicium inferre. Illud enim parentum omnium commune votum eſt, ut ſi maſculos habeant, iis potiſſimum, tanquam futuris heredibus, commoda omnia acquiſita velint; unde præſumptio eſſet potius pro maſculis, ad conſervandam familiæ dignitatem, ut eleganter ſtatuitur in *L. Unum ex familia* 67. *ff. de leg.* 2. *L. Pa-*

L. Pater 38. §. *duobus*, *& ſeq. ff. de leg.* 3. His accedit, quod cauſa teſtamenti præſertim patris, favorabilior creditur, quam cauſa liberorum; itaut intercedente in judicio inofficioſi paritate ſuffragiorum, ut interdum evenit, vel contra teſtamentum, vel ſecundum id, præſcriptis verbis in *L. Si pars* 10. *ff. de inoffic. teſtam.* decernitur: *Humanius erit ſequi ejus partis ſententiam, quæ ſecundum teſtamentum ſpectavit*. Et ratio affertur in *L. Papinianus* §. *ſi conditioni ff. de inoffic. teſtam.*; & melius ab Imperatore Alexandro in *L.* 8. *C. de inoffic. teſtam.* his verbis: *Parentibus arbitrium dividendæ hereditatis inter liberos adimendum non eſt*. Poſſunt enim parentes, dotem dando, quam voluerunt legem rei ſuæ dicere, *L. In traditionibus* 48. *ff. de pactis*; *& tot. tit. de pactis dotalib. L. ult. C. de pact. inter empt. & vend. L.* 1. *& tot. tit. C. de pactis convent.* Eo fortius, quia judicium paternum fuit per fratres de Paſtore, nedum ob expeditionem præambuli ex teſtamento, acceptatum, verum etiam in parte executum; quia ratam debiti perſolverunt: quo caſu idem Imperator in præcitata *L.* 8. §. 1. *C. de inoffic. teſtam.* conſtituit, minime poſſe filium querelam inofficioſi proponere, cujus tenor eſt: *Qui autem agnovit judicium defuncti, eo quod debitum paternum pro hereditaria parte perſolvit, vel alio legitimo modo ſatisfecit, etiamſi minus, quam ei debebatur, relictum eſt, accuſare ut inofficioſam voluntatem patris, quam probavit, non poteſt.* Et iterum in *L.* 2. *C. de jur. delib.* his verbis: *Cum debitum paternum te exſolviſſe alleges, agnoviſſe te hereditatem defuncti non ambigitur*. Quibus adſtipulantur *L. Si ponas* §. 1. *& L.* 23. §. 1. *ff. de inoffic. teſtam. L.* 35. §. 1. *C. eod. & L.* 43. *ff. de hered. pet.* Nec eſt parvi momenti alia conſideratio, quod fratres prædicti, acceptando judicium paternum circa dotium conſtitutionem, & ſtipulando capitula matrimonialia cum illis

 pa-

pactionibus, utile negotium utique geſſerunt, paciſcendo, quod per quadriennium interuſurium non deberetur; cum a die contracti matrimonii dos nunquam remanere debeat infructuoſa, ſaltem ratione correſpectivitatis onerum matrimonii ſubſtinendorum. Cum igitur Rei conventi agnoſcendo judicium paternum, partem dotis perſolviſſent, & pro reliqua ejuſdem dotis quantitate ſe obligaſſent nominibus propriis, & in propriis bonis *fol.42. & ſeq. proc.M.C.*; nunc poſt curriculum triginta & plus annorum fruſtrari Actricem pro conſecutione reliquæ quantitatis prætextu inofficioſitatis, jura non patiuntur.

In contrarium movebat illa ſecunda exceptio contenta in poſtrema nullitate, quod ſcilicet per conventos non fuit in tabulis nuptialibus renunciatum beneficio inventarii, ejuſque diſcuſſioni. At ſuper hoc articulo in puncto juris, & de jure communi, conſiderando eorum obligationem nominibus propriis, & in ſolidum, videbatur, quod, poſthabita qualitate hereditaria, in vim ſolidalis obligationis, ſubingrederetur illa ſolvendi in propriis bonis, ut videre eſt in *L.* 1. & 3. *C. de duob. reis ſtipul. & promitt. L.* 2. & 3. §. *ubi duo*, & *L.* 11. §. 2. *ff. de duob. reis conſtit.*; cum explorati juris ſit, ob in ſolidum, & nomine proprio obligationem, beneficium, ſive commodum ſeparationis omnino ceſſare, *L. Sciendum cum ſeq. ff. de ſeparationib.*

Attamen de jure noſtri Regni contrarium videtur ſtatutum: *Quod ſcilicet heres, quantumvis nomine proprio, & in ſolidum pro debito defuncti fuerit obligatus; ſi tamen in ſtipulatione expreſſe beneficio inventarii non renunciaverit, minime teneri poſſit, niſi in bonis hereditariis; verum facta diſcuſſione inventarii, executio demandanda erit in bonis propriis*. Sic ſtilus judicandi invaluit in hujus Regni Tribunalibus; unde poſtremum noſtri S.R.C. junctis quatuor Aulis ſub die 16. Martii 1623. ſolemnis prodiit illa deciſio, inſerta in *Pragm.* 82.

Digitized by Google

82. *ſub tit. de Offic. S.R.C.*, in qua magis diſerte cavetur, id quod breviter ſuperius relatum eſt.

Sane fratres de Paſtore præambulum obtinuerunt cum beneficio legis & inventarii, & revera, nulla mora interpoſita, poſt paucos dies inventarium ſolemne celebrarunt. Et quamvis in tabulis nuptialibus ſe obligaſſent nominibus propriis, & in ſolidum, attamen non eſt inficiandum, hujuſmodi obligationem pro debito defuncti patris interceſſiſſe. Non ambigitur in jure, quod etiam fratres, ubi in univerſum jus defuncti ſuccedunt, teneantur vel partem, vel dotem conſtituere ſororibus, *L. Cum plures §. 3. in fin. ff. de adminiſtr. tutor. cum aliis concordantib.*, aut de jure Regni tenentur ad paragium, quod ſtare videtur loco portionis, & legitimæ, eorum tamen obligatio, ſive ex teſtamento, ſive ab inteſtato, ſemper hereditario nomine præſumitur. In caſu de quo agimus, Alexius pater dotes conſtituit ſuis filiabus in certa quantitate *fol. 72. a t.*; præambulum per præfatos fratres non aliter fuit obtentum, niſi cum beneficio legis, & inventarii, & cum onere dotandi ſorores, ſervata forma teſtamenti, & (quod maximum eſt) in inventario nedum particula teſtamenti patris circa dotium conſtitutionem, verum etiam tenor præambuli cum onere dotandi ſorores, de verbo ad verbum fuerunt appoſiti *fol. 23. proc. M. C.* Unde qualitas hereditaria hoc caſu minime poterat ſeparari a perſonis eorumdem heredum, quantumvis nomine proprio, & in ſolidum in tabulis nuptialibus illi fuiſſent obligati, cum ſemper onus hereditarium præſumitur, nec aliter, nec alio modo dotandi obligationem ſuſceperunt. Et propterea recte diſpoſitio præcitatæ Pragmaticæ in præſenti caſu locum obtinet, cum tractetur de onere, & debito hereditario, nulla facta renunciatione beneficio inventarii. Et hine recte S. C. ad normam claræ diſpoſitionis ejuſdem Pragmaticæ, reformavit nedum M. C.

decre-

decretum, verum etiam ſuam ſententiam, in ea tantum parte pro nunc, ubi fratres de Paſtore condemnati fuerant nominibus propriis, & in propriis bonis, cum executio prius fieri debebat in bonis hereditariis, prout nunc fuit judicatum, & tandem diſcuſſo inventario, vindicabat forſan ſibi locum in bonis propriis.

Demum de ſupplici libello nuper pro parte Actricis porrecto *fol.* 32. petentis ad normam Regalis Conſtitutionis condemnari Reos conventos ad litis expenſas, nulla habita fuit ratio. Siquidem diſpoſitio præfatæ Conſtitutionis perperam applicabatur huic facti ſpeciei uſque ab illo tempore, quo M. C. decrevit abſolutionem ab expenſis litis. Nunc in ſtatu, in quo judicium reperitur, iidem conventi eo minus ad effectum prædictum cenſeri poſſunt temere litigantes. Illi quidem in præſentiarum juſtam cauſam litigandi præſeferunt, producendo in medio hanc, de qua agimus, S.R.C. ſententiam, quo quidem validiſſimo clypeo ſatis ſuperque tueri ſe recte poterunt adverſus litis expenſarum petitionem. JOSEPH MAURI.

Rubino Act. Mag. De Martino Scriba.

In cauſa reſtitutionis in integrum petitæ ab Univerſitate Civitatis Theatæ adverſus ſententiam a S.C. latam die 15.Decemb. 1772. Die 28. Januarii 1775.

In redintegratione dominii rerum ab Univerſitatibus diſtractarum, qui antecedenter rem habuit, ſumptus in eandem rem factos repetit, nulla compenſatione habita cum fructibus perceptis; in repetitione vero ratio habetur quantitatis impenſæ, non item valoris aucti.

S. R. C. die 15. Decembris 1772. declaravit, *meliorationes factas ab Ill. Duce Vacri D. Thoma Valignani, & a qu. D. Franciſco Antonio Valignani in prædiis nuncupatis* Reja, *&* Socceto, *ipſi Univerſitati redintegratis pro executione alterius ſententiæ latæ die* 10. *Februarii* 1762., *una cum molendino noviter conſtructo, fuiſſe valoris ducatorum* 8665. 87., *& pro dicta ſumma deberi ab Univerſitate eiſdem de Valignani annuum reditum ducatorum quinque pro ſingulis centenis, cum potioritate & prælatione ſuper fructibus eorumdem prædio-*

diorum. Petente nunc iterum Univerſitate ab hujuſmodi debito abſolvi, oppoſita compenſatione fructuum a dictis de Valignani perceptorum ex iiſdem prædiis ab anno 1650., in quo *Pragm.* 18. *de adminiſtr. Univerſit.* fuit ſancitum, redintegrari Univerſitatibus hujus Regni bona ab eis diſtracta, uſque ad annum 1763., quo Univerſitas effectu conſecuta fuit prædiorum redintegrationem poſt judicium motum in anno 1757.: opponente ex adverſo Ill. Duce Vacri tam proprio nomine, quam uti herede præfati D. Franciſci Antonii, nedum fructuum non debitorum nullam admittendam eſſe compenſationem, ſed & ſibi deberi pretium meliorationum, non quoad impenſum eſt, ſed quoaduſque prædia effecta ſunt pretioſiora, ſcilicet in ſumma duc. 10492. juxta æquiorem æſtimationem.

Per S. C. proviſum eſt, *non eſſe deferendum petitæ in integrum reſtitutioni*.

Quamquam enim ex *L.* 48. *& ex L.* 65. *ff. de rei vind.* colligatur, ſumptus in prædium, quod alienum eſſe apparuit, a bonæ fidei poſſeſſore factos, per officium Judicis æquitatis ratione ſervari, ſcilicet ſi fructuum ante litem conteſtatam perceptorum ſummam excedunt; admiſſa enim compenſatione, ſuperfluam tantum ſummam, meliore prædio facto, dominum reſtituere cogendum: id tamen attinet ad bonæ fidei poſſeſſorem, qui a non domino acquiſivit; is enim retinet fructus e re aliena perceptos intuitu tantum bonæ fidei. Fratres autem de Valignani, ſive eorum auctores, emerunt a domino, ſcilicet ab Univerſitate Theatæ, ſoluto pretio; adeoque fructus fecerunt ſuos, non ex bonæ fidei cauſa, ſed jure dominii; neque ex cauſa lucrativa, ſed oneroſa, cum fructus vicem habeant uſurarum pretii ſoluti. Quamvis autem Pragmatica anni 1650. edixerit, bona ab Univerſitatibus diſtracta, alienationibus irritis habitis, eſſe iiſdem redintegranda, & emptoribus in pre-

Digitized by Google

pretii vicem ſolvendum eſſe annuum reditum ducatorum quinque pro centenis ſingulis; cum id tamen ſtatutum fuiſſet favore Univerſitatum, opus erat, pro aſſequendo Pragmaticæ beneficio, nedum litis conteſtatione nomine Univerſitatis volentis ea lege uti, ſed & ſolutione præſcripti annui reditus; poterat enim ea redintegratio, cum onere in Pragmatica ſtatuto, tunc temporis Univerſitati non expedire: neque ea fuerat mens legis, quod emptores expoliati cenſerentur rerum emptarum dominio, Univerſitate non interpellante, neque ſolvente annuum reditum loco pretii recepti; manente ſcilicet penes Univerſitatem re & pretio, jure reſiſtente. Qua de re ex recepta judiciorum forma in cauſis hujus generis, nulla habita ratione fructuum præteritorum, redintegrationes paſſim noſcuntur admiſſæ cum perceptione fructuum in poſterum tantum. Et in hac eadem cauſa, poſt judicium motum ab Univerſitate in anno 1757., ſententia S. C. diei 10. Februarii 1762., & pariformi decreto diei 2. Junii ejuſdem anni judicatum jam fuit, prædia eſſe Univerſitati redintegranda, cum onere annuæ præſtationis ducatorum quinque pro ſingulis centenis, tam pro pretio recepto, quam pro meliorationibus æſtimandis, nulla habita conſideratione fructuum præteritorum, quamvis & hi in petitionem Univerſitatis veniſſent. Non eſt igitur audienda Univerſitas iniens nunc rationes annui reditus, veluti debiti ab anno 1650., & fructuum viciſſim ab eo tempore perceptorum, compenſationemque opponens ejus, quod forte ſuperfluum ſit in dictis fructibus, pro effugienda ſolutione ejus, quod impenſum eſt in prædiis meliorandis: quod & inextricabilem haberet quæſtionem ob difficilem, vel pene impoſſibilem probationem fructuum centum & treſdecim annis perceptorum.

Nec etiam admittenda fuit petitio Ill. Ducis Vacri, quod ſcilicet ex cauſa meliorationum ſibi decerneretur non id

id tantum, quod impenſum eſt, ſed & quod plus pretio fundorum acceſſit uſque ad ſummam duc. 10492. ex *L. Domos 61. ff. de legat.* 1.; nam quod ea lex ait, domos hereditarias exuſtas, & heredis nummis extructas, poſt mortem heredis ex cauſa fideicommiſſi eſſe reſtituendas ſumptuum rationibus deductis, & ædificiorum ætatibus examinatis; id potius innuere videtur, quod in reſtitutione domorum, ſumptuum quidem habenda ſit ratio; ſed ſi ædificia propter ætatem minoris ſint pretii, id veniat in deductionem. Præterea cum agatur de redintegratione, reſtituto pretio vere impenſo, non eo, quod majus nunc eſt in prædiorum valore; abſurdum foret ſumptus pro iiſdem prædiis meliorandis contrario jure cenſeri. Cum vero a Tabulario Vecchione, qui unus pro æſtimationis reviſione acceſſit ad faciem loci, ſumptus in fundis meliorandis æſtimati fuiſſent ducatis 7752. 71.; id autem quod plus pretio fundorum acceſſit ope eorumdem ſumptuum, ope temporis, & vigoris, ut ajunt, territorialis, æſtimatum fuiſſet aliis ducatis 2739. 48.; S. C. ceteris penſatis hinc inde in cauſa deductis, probavit ipſius Tabularii æquiorem ſententiam, tribuentis tertiam partem hujus augmenti ipſis impendiis, qua de re pretium meliorationum prædicta ſententia decretum fuit ducatis 8665. 87.: quod & cenſuit confirmandum.

Cum vero Univerſitas ulterius petierit fructus Molendini nunc redintegrandi a die latæ ſententiæ in anno 1762: & ex adverſo petierit Ill. Dux Vacri pro impenſis erogatis in prædiis ipſis meliorandis, ultra molendinum, annuos reditus decurſos ducatorum quinque pro ſingulis centenis a die executæ redintegrationis eorumdem prædiorum in anno 1763.; S. C. judicavit mutuas haſce petitiones eſſe invicem compenſandas.

Capobianco a Secr. Cuſtolus Act. Mag. De Milo Scriba.

Verba fecit de his in S. R. C. D. Dominicus Potenza R. C. & cauſ. Comm.

In cauſa inter magn. D. Tarquiniam Genoveſe, & fratres de Plutino, ac D. Ignatium Genoveſe. Die 22. Januarii 1775.

Ex conſuetudine, perpetua obſervatione recepta, & in judiciis firmata, valent renunciationes, quas filiæ, de paragio dotatæ, favore agnationis faciunt. Contra renunciationes eædem, ſublata cauſa, ob quam factæ ſunt, non obſtant, quominus ſuccedi queat iis, quibus renunciatum eſt.

D. Joanna Genoveſe, cum interventu ejus viri D. Caroli Plutino, inſtrumento renunciavit in beneficium qu. Hyacinthi ſenioris ejus patris, & D. Dominici ejus fratris, eorumque heredum, omnibus hereditatibus ab inteſtato, paternæ, maternæ, & ejus fratrum (inter quos erat qu. D. Tiberius) etiam pro ejus filiis naſcituris; etiamſi venirent ex propriis perſonis in perpetuum, & cum obligatione bonorum eorumdem conjugum. Defunctis dein dictis conjugibus, magn. fratres de Plutino decreto Domini cauſæ Commiſſarii exiſtimati ſunt heredes ſuorum genitorum *fol.* 140. D. Tarquinia Genoveſe, neptis ex fratre dicti D. Tiberii, nuptias inde contraxit cum Barone D. Carolo de Blaſio; præceſſit inſtrumentum dotale, in quo pacta fuit renunciatio omnibus hereditatibus ab inteſtato eidem D. Tarquiniæ deferendis, & delatis in beneficium D. Hyacinthi junioris unici ejus fratris, reſervatis tantum bonis maternis, renunciari promiſſis in beneficium D. Tiberii Genoveſe eorum patrui, ob augmentum dotis ab eodem D. Tiberio promiſſum *fol.* 202. & 206. Exinde alio inſtrumento dicta D. Tarquinia, cum interventu dicti magn. Baronis ejus viri (poſt mortem dicti ejus fratris) renunciavit omnibus hereditatibus ei delatis, & deferendis, & præcipue bonis maternis in beneficium dicti D. Tiberii, etiam uti heredis inſtituti a dicto qu. D. Hyacintho juniore *fol.* 216. Adita M.C.V., decretum præambuli dicti D. Tiberii ab ea pronunciatum eſt *fol.* 288. *vol.* 2., ſed a decreto M. C. ad S. C. appellaverunt tam D. Tarquinia, quam fratres de Plutino, & D. Ignatia Genoveſe, alia ex fratre neptis ejuſdem D. Tiberii *fol.* 298. 304. & 308.

Refe-

Digitized by Google

Referente D. Joanne Pallante R. Conſ. & cauſa Comm.

S.R.C. dixit: *Bene fuiſſe & eſſe appellatum per D.Tarquiniam Genoveſe a decreto M.C.V. fol.*288., *admittente magn. fratres de Plutino ad inteſtatam ſucceſſionem qu. D.Tiberii Genoveſe*; *& male appellatum per dictos de Plutino*, *& D. Ignatiam Genoveſe ab eodem decreto*, *admittente dictam D.Tarquiniam ad ſucceſſionem prædictam una cum dicta D.Ignatia Genoveſe*; *ac proinde hereditatem inteſtatam dicti qu. D.Tiberii Genoveſe eſſe dividendam in æquis partibus inter dictas magn. D.Ignatiam*, *& D.Tarquiniam*, *ejuſdem D.Tiberii neptes ex germanis fratribus*, *excluſis dictis fratribus de Plutino filiis & heredibus qu D.Joannæ Genoveſe*, *& D.Caroli Plutino*, *vigore ſuprarelatæ renunciationis eorum parentum*, *etiam pro eorum filiis ex propriis perſonis venientibus fol.*222. Nam licet de jure civili improbatum fuerit pactum dotali inſtrumento adjectum, quod non ſuccederet patri filia dotata; hoc tamen de ſola patris hereditate (cui heres neceſſaria jure gentium erat filia) ſtatutum fuit *L.ult. ff. de ſuis & legit. hered.*, *& L.Pactum dotali C. de collat.*; ceteris enim inteſtatis ſucceſſionibus (de quibus certe tantum paciſci, vel donari, utpote contra bonos mores, vetabatur, niſi conſentiret is, de cujus hereditate ageretur, *ut L. fin. C. de pactis*, *& L. 4. ff. de inutil. ſtipul. cum concord.*) non vetitum fuit renunciari, & per pactum ſe de medio tollere, & in anteceſſum illas repudiare: & quod lege vetitum non eſt, licite fieri poteſt, ut appoſite in *L.6.* juncta præcedenti *L. 7. C. de legib.*; & Juris regula eſt, quod quilibet poſſit juri ſuo renunciare, prout eſt ſpes futuræ actionis, ac proinde ſucceſſionibus *L. 3. C. de donat.* juncta *L. fin. C. de hereditate*, *& act. vendita*. Hæc autem omnia complanata fuerunt per Imperatoris Friderici II. notam Conſtitutionem *In aliquibus*, per quam, ſtantibus maſculis, fœminæ non ſuccedunt pa-

rentibus; ſed ſolum dos eis debetur: ex cujus Conſtitutionis ratione manavit in hoc Regno Conſuetudo, perpetua obſervatione recepta, & in judiciis firmata, quæ vim legis obtinent, *L. 32. & ſeq. ff. de legib.*, renunciatione filiarum, de paragio dotatarum, favore agnationis validas omnes & ratas eſſe. Atque exinde renunciatio D. Joannæ Genoveſe, ultra virilem dotatæ, hereditati dicti D. Tiberii ejus fratris ſervanda eſt ab ejus filiis, ſecundum pactum, in beneficium agnationis; nec licet magn. fratribus de Plutino, heredibus eorum parentum, contra illorum factum, & expreſſum pactum venire, ex *L. Cum a matre C. de reivindic. cum concordant*. At D. Tarquiniæ non officit renunciatio hereditatibus inteſtatis, facta ejus patruo D. Tiberio tamquam heredi ex teſtamento qu. D. Hyacinthi junioris, tum quia promiſſa fuit D. Hyacintho cauſa contemplationis ejuſdem agnationis, & hæc perſonalis cauſa erat, & extincta fuerat per mortem præcedentem dicti D. Hyacinthi, nec in D. Tiberium in Sacris conſtitutum, ſi heres fuiſſet, tranſire poterat; tum quia in dicto inſtrumento *fol.* 216. dicta D. Tarquinia hereditatibus ceteris renunciavit, ſed non hereditati ejuſdem D. Tiberii; imo nec naturali ratione renunciari poterat ipſimet D. Tiberio ejuſdem hereditas; nec ejuſdem D. Tiberii diſponendi libertas, vel agnationis (quæ in dictis ejus neptibus extinguebatur) favor conſiderari poterant, prout in renunciationibus, quæ de more a fœminis dotatis fiunt, conſiderantur.

Nec non viſa ſupplicatione appellationis magn. D. Muſolæ Plutino, petentis medietatem bonorum hereditariorum dicti qu. D. Tiberii, tamquam communium cum ejus filio Hyacintho juniore, cujus hereditatem teſtamentariam D. Tiberius adire noluit, imo repudiavit *fol.* 314; ac viſo teſtamento qu. D. Hyancinthi *fol.* 209., in quo heredem in legitima dictam ejus matrem inſtituit;

S. C.

S. C. declarat: *Bene judicatum per M.C.V., & male appellatum per D. Muſolam Plutino, ac proinde eidem deberi legitimam tantum, prout de jure, ſuper bonis ejus filii liquidandam, pro qua liquidatione in biduo audiantur Partes. Nam ex actis de prætenſa communione bonorum contrarium conſtat. Ac proinde decretum præambuli qu. D. Tiberii Genoveſe, expediri mandatum per eandem M. C., executioni mandetur tantum in beneficium D. Ignatiæ, & D. Tarquiniæ Genoveſe, ex germanis fratribus neptium D. Tiberii pro æquis portionibus, excluſis a ſucceſſione prædicta magn. fratribus de Plutino.*

Franciſcus Gioja Scriba.

In cauſa inter D. Franciſcum Antonium, alioſque fratres de Carola, Ven. Capellam S. Mariæ Aſſumptionis Gentis Catalauniæ hujus Civitatis, & D. Mariam Angelam Lamberti. Die 27. Januarii 1775.

SEntentia S.R.C. lata die 8. Junii 1773., atque in judicatum tranſacta, tam Ven. Eccleſia, ſeu Capella ſub titulo S. Mariæ Aſſumptionis Gentis Catalauniæ hujus Civitatis, quam D. Maria Angela Lamberti ejus emphyteuta, damnatæ fuerunt ad reſtituendum D. Franciſco Antonio, aliiſque fratribus de Carela cellam vinariam, prout ex actis, una cum fructibus ab anno 1670. perceptis, pro quorum liquidatione impartitus fuit terminus ordinarius *fol.* 80. *vol.* 2.; quo compilato, æſtimationem S.R.C. mandàvit Regio Tabulario D. Nicolao Schioppa, qui fructibus cellæ vinariæ prædictæ pretium dedit ducatorum 778, & aſſium 40., triplici æra adhibita, una ſcilicet ab anno 1670. uſque ad annum 1707. pro ducatis 185, ad rationem ducatorum quinque quolibet anno; altera ab anno 1707. ad annum 1734. pro ducatis 207., & aſſ. 50., ad rationem annuorum ducatorum ſeptem cum dimidio; tertia denique ab anno 1734. ad annum 1773. pro aliis ducatis

Cum fides tranſactioni non præſtetur, eaque facto unius ex contrahentibus reſolvatur, integra cauſa ſupereſt; atque conventione omnino ſublata, ad priſtinum ſtatum res revocantur.

Digitized by Google

tis 390., & aſſ. 90, ad rationem ducatorum decem ſingulis annis *fol.97. ad* 102. *vol.2.* Ex inſtrumento autem inito die 18. Februarii 1735. inter Gubernatores Eccleſiæ, ſeu Capellæ Gentis Catalauniæ hujus Civitatis, & Paulum Lamberti illud patet, quod affirmata emphyteutica conceſſione cujuſdam domus cum cella vinaria in loco, uti loquuntur, *de' Gipponari*, quam die 20. Februarii 1732. Gubernatores ipſi, pacto canone ducatorum 70, fecerant eidem D. Paulo Lamberti, ſuiſque heredibus & ſucceſſoribus, abſque ullo alio onere cenſus & ſervitutis alteri debitæ; atque etiam enunciata lite eidem D. Paulo mota a D. Cæſare Carola perſequente dominium cellæ vinariæ prædictæ; inter alia conventum fuit, ut præfati Gubernatores crederent (uti in actu ſtipulationis crediderunt) Menſæ argentariæ SS. Jacobi, & Victoriæ ducatos 200, ſolvendos ipſi D. Paulo Lamberti, & vice illius antedicto D. Cæſari Carola, pro omnibus ab eodem ob cellam vinariam poſtulatis; & e contraria parte idem D. Paulus promiſit ſuam facere hanc litem, & ab omni moleſtia præfatam Capellam, ejuſque Gubernatores eximere, atque indemnes reddere *fol. 55. ad 72. dict. vol. 2.* Contra concluſione, uti vocant, diei 29. Martii 1763. Gubernatores, Præfectique Eccleſiæ prædictæ ſtatuerunt extrahere a Menſa argentaria SS. Jacobi, & Victoriæ, ſibique vindicare dictos ducatos 200. ob non perfectam, uti ipſimet aſſeruerunt, neque abſolutam ſuperius relatam conventionem *fol.* 73.; atque ex fide juſſu Judicis M.C.V. confecta ab Actuario ejuſdem M.C. D. Carolo Pecchia, conſtat, dictos ducatos 200, inſtante eadem Ven. Capella, die 26. Aprilis 1763. de mandato ejuſdem M.C.V. addictos fuiſſe prædictæ Ven. Capellæ, ſive ejus legitimo Procuratori *fol.* 74. S. R. C. ejus ſententia diei 17. Septembris tranſacti anni 1774., qua fructus cellæ vinariæ, ut ex actis, ab anno 1670. uſque ad 1773. æſtimati

mati fuerunt in ducatis 778, & aſſ. 40. ſecundum relationem Regii Tabularii Schioppa, damnavit Ven. Eccleſiam Gentis Catalauniæ ad ſolvendum D. Franciſco Antonio, aliiſque fratribus de Carola quantitates prædictas; atque abſolvit D. Mariam Angelam filiam & heredem qu. D. Pauli Lamberti a poſtulatis contra illam nomine ejuſdem Ven. Eccleſiæ: & inſuper decrevit, ab annuis ducatis 70, per eandem D. Mariam Angelam Lamberti eidem Eccleſiæ ob canonem domus debitis, eſſe deducendos annuos ducatos 10 a die ſecutæ reſtitutionis cellæ vinariæ in poſterum *fol.* 117. *ad* 118. Gubernatores Eccleſiæ, ſeu Sacelli Gentis Catalauniæ, petierunt reſtitui in integrum in illa dumtaxat parte antedictæ ſententiæ, qua Sacellum prædictum damnatum fuit ad ſolvendum D. Franciſco Antonio, aliiſque fratribus de Carola quantitates in relatione Tabularii Schioppa contentas; ac contenderunt, ſententiam deſuper relatam eſſe executioni demandandam adverſus D. Mariam Angelam Lamberti, ob indemnitatem ab olim D. Paulo ejus patre in ſuperius enunciata conventione anni 1735. promiſſam *fol.* 119. His omnibus perpenſis,

Referente D. Horatio Guidetti R. Conſ. & cauſa Comm.

Per S. R. C. declaratum eſt: *Non eſſe deferendum reſtitutioni in integrum petitæ nomine Ven. Eccleſiæ, ſeu Sacelli ſub titulo S. Mariæ Aſſumptionis Gentis Catalauniæ hujus Civitatis*. Siquidem (ait lex) cum de lite pacto tranſactum ſit, nec fides tranſactioni præſtatur, integram cauſam eſſe placuit, *L.* 27. *de inoffic. teſtam.*, *L.* 6. *C. de tranſact.* Reſoluta igitur facto ipſius Eccleſiæ, ejuſque Gubernatorum (quorum ex vulgatis juribus, uti fuit facultas contrahendi, ita & diſtrahendi) deſuper relata conventione, ſibique addictis ducatis 200. Menſæ argentariæ SS. Jacobi, & Victoriæ in vim pactæ tranſactionis anno 1735. creditis; exploratiſſimi juris eſt, Gubernatores ipſos, qui anno 1732. domum cum cella

Digitized by Google

cella vinaria, ut ex actis, liberam, & ab omni onere ſolutam D. Paulo Lamberti in emphyteuſim dederunt, cum integrum canonem annuorum ducatorum 70. ab eodem D. Paulo, ejuſque filia atque herede D. Maria Angela uſque ad annum 1773. perceperint, evicta eadem cella vinaria una cum fructibus, ad omne id quod intereſt de evictione teneri, *L. 11. §. 2. de act. empti*, *L. 28. & 51. de evict.*, *L. Si permutationis 29. C. eod. arg. L. 9. loc. & cond.*

Bernardus Priſcolus Act. Mag.

In cauſa inter magn. D. Mariam, D. Januarium, & D. Franciſcum Pironti cum Ven. Eccleſia S. Mariæ Coronatæ Terræ Montiſauri, & aliis. Die 30. Januarii 1775.

Non adimpleta adhuc conditione donationi appoſita, donatio ipſa non reſolvitur, niſi per interpellationem in mora conſtitutus fuerit donatarius.

D. Marius, D. Januarius, ac Rev. D. Franciſcus fratres de Pironti petierunt adverſus Œconomos Ven. Eccleſiæ S. Mariæ Coronatæ Terræ Montiſauri medietatem bonorum dictæ Eccleſiæ, quæ pervenerunt ex donatione qu. Aureliæ Salerno de anno 1684., tam ipſi Eccleſiæ facta, quam D. Nicolao, & D. Blaſio Pironti, ac filiis & heredibus qu. D. Joſephi Pironti, unicuique ipſorum pro tertia parte, tamquam hereditariorum ejuſdem qu. Aureliæ, non obſtante defectu adimplementi conditionis in illa donatione appoſitæ, adſtringendi ſcilicet infra biennium qu. Ferdinandum, Antonium, & Horatium Serafino ad ſolutionem capitalis ducatorum 400. ſibi debiti, una cum tertiis longe decurſis. Ven. Eccleſia protulit inſtrumentum præfatæ donationis *fol.* 145., & declarationem ejuſdem qu. Aureliæ prorogantis tempus adimplendi conditionem prædictam, etiam ultra biennium in donatione præfinitum *fol.* 305.; necnon albaranum ceſſionis, ſive donationis per præfatos D. Nicolaum, & D. Blaſium Pironti factæ in beneficium ejuſdem Eccleſiæ tertiæ portionis dictorum

rum bonorum, ad ſe ipſos ſpectantis *fol.* 275. Verum fratres de Pironti gradatim petierunt tertiam portionem eorundem bonorum qu. D. Marco Antonio qu. Joſephi eorum patri donatam *fol.* 152.

Referente D. Salvatore Gentile R. Conſ. & cauſa Commiſſ.

S. R. C. dixit: ***Bona, quæ obvenerunt Ven. Eccleſiæ S. Mariæ Coronatæ Terræ Montiſauri virtute præfatæ donationis qu. Aureliæ Salerno, ſpectaviſſe & ſpectare ad fratres D. Marium, D. Januarium, ac Rev. D. Franciſcum de Pironti pro tertia parte; ac proinde Œconomi prædictæ Eccleſiæ condemnentur ad illa relaxandum in beneficium eorumdem, una cum fructibus a die donationis prædictæ liquidandis: pro quorum bonorum, eorumque fructuum liquidatione in biduo audiantur Partes. Reſpectu vero judicii reſciſſionis contractus ad inſtantiam eorumdem de Pironti contra heredes fratrum de Serafino, ac adſiſtentiæ contra tertios Poſſeſſores bonorum eorumdem, Partes informent.*** Cum conditio in donatione appoſita adſtringendi præfatos de Serafino ad ſolutionem eorum debiti intelligenda ſit ad onus omnium donatariorum in ſolidum appoſita; nec defectus implementi ejuſdem potuit unquam ipſo facto efficere reſolutionem donationis, ac ademptionem bonorum donatorum, niſi poſtquam fuiſſent in mora poſiti donatarii, per interpellationem, *L.* 88. *ff. de reg. jur.* ibi: ***Nulla intelligitur mora ibi fieri, ubi nulla petitio eſt; & L. Si pupillus*** 127. ***ff. de verb. oblig. in fin. per eadem verba, ubi Gothofred. Ex obligatione petitio, ex petitione mora naſcitur; ideoque ubi nulla obligatio, ibi nulla petitio; ubi nulla petitio; ibi nulla mora.*** Pendente ergo conditione, nulla prius præcedente petitione, poterant donatarii adimplere conditionem prædictam, ***L. Si inſulam*** 84. ***ff. de verb. oblig.***, cujus verba ſunt: ***Si Inſulam fieri ſtipulatus ſim, & tranſierit tempus, quo potueris facere: quamdiu litem conteſtatus***

non

non ſim, poſſe te facientem liberari placet; quod ſi jam litem conteſtatus ſim, nihil tibi prodeſſe, ſi ædifices. Nec obſtat, quod per eoſdem fratres de Pironti nedum conteſtata fuit lis pro conſecutione crediti contra præfatos de Serafino, eorumque bonorum tertios poſſeſſores, ſed imo judicium compilatum, antequam hoc feciſſent Eccleſiæ Œconomi; nam licet eſſent heredes dictæ qu. Aureliæ Salerno ab inteſtato, per intermediam perſonam qu. D. Marci Antonii eorum patris qu. Joſephi; tamen ſunt pariter heredes ejuſdem Marci Antonii eorum patris, ſubjecti eidem conditioni in donatione appoſitæ, tamquam alterius ex tribus condonatariis prædictis: & re vera, ut in articulo 17. *fol.* 178. *a t.* hoc feciſſe animo parendi conditioni prædictæ, expreſſe declaraverunt. Fructus etiam pro eadem tertia parte reſtituere debet Eccleſia præfatis de Pironti, utpote quos non fecit ſuos, attenta conditione in eadem donatione appoſita, virtute cujus bona donata eidem obvenerunt, *L.* 25. *§.* 3. 4. *&* 5. *& L.* 40. *ff. de hered. petit. L.* 2. *&* 23. *Cod. de fruct. & litis expenſ.*

Michael Priſcolus Act. Mag. Bernardus Priſcolus Scriba.

In cauſa inter D. Hippolytam Sanchez de Luna ex una, & D. Hieronymum dell' Uva ex altera. Die 4. *Februarii* 1775.

In ſtipulationem non committit, qui interpellatus non eſt, niſi dies interpellet; cum nulla ſit mora, ubi nulla petitio.

Die 15. menſis Aprilis 1768. D. Hippolyta Sanchez de Luna petiit decerni reſolutum inſtrumentum diei 18. menſis Auguſti 1761., virtute cujus ipſa promiſit ſolvere D. Hieronymo dell' Uva ducatos decem in quolibet menſe, ob pacta in eodem inſtrumento adjecta, & ab ipſo D. Hieronymo non ſervata; ac damnari dictum D. Hieronymum ad reſtituendas quantitates omnes ob cauſam prædictam ab ipſa D. Hippolyta ſolutas *fol.* 1. Nam inſtrumento diei 18. Auguſti 1761. inter eamdem D.Hip-

D. Hippolytam, & D. Hieronymum dell' Uva, poſt enunciatas lites in S.R.C., & in M.C.V. in criminalibus, inſtante Marchione S. Luciæ D. Agnello, ejuſque fratribus de Vicariis ſuper hereditate olim Conſiliarii D. Franciſci Mariæ Lanarii, collatis inter ſe juribus, ad unumquemque ipſorum pertinentibus, inter alia fuit conventum, ut liceret præfatæ D. Hippolytæ uti frui, dum viveret, medietate hereditatis prædictæ, quam idem D. Hieronymus ad ſe pertinere aſſeruit, tributa D. Hippolytæ facultate pro ſuo arbitrio utendi ducatis 1000; quodque pariter liceret eidem D. Hippolytæ, donec vixerit, uti ſupellectilibus, mundo muliebri, auro, atque argento hereditatis prædictæ: & fuit pariter conventum, quod ipſe D. Hieronymus ſuper eadem hereditate nullo modo poſſet concordiam, ſive tranſactionem inire, invita, vel inſcia ipſa D. Hippolyta, ſtatuta pœna dupli, ſolvenda ab eodem D. Hieronymo, ſi contigerit contrarium fieri. E contraria parte D. Hippolyta promiſit ſolvere D. Hieronymo menſtruos ducatos decem, ut litibus ſuper hereditate motis Neapoli præſto eſſet, utque expenſas pro his litibus inſtituendis, ac peragendis perſolveret: adjecta tamen lege, ut ſi D. Hieronymus haſce lites ad extremam uſque ſententiam perſequi negligeret, ab hujuſmodi præſtatione excideret *fol. 7. ad* 12. Decreto cauſæ Commiſſarii diei 9. menſis Julii anni 1773. datus fuit terminus ordinarius in cauſa *fol.* 21. D. Hippolyta adduxit ſe ſolviſſe D. Hieronymo dell' Uva nedum dictos menſtruos ducatos decem a die initi inſtrumenti uſque ad annum 1767., verum etiam ducatos 50., ac nonnullas alias pecuniarum quantitates pro litibus inſtituendis, ac peragendis, eumque D. Hieronymum pacta ac promiſſa in dicto inſtrumento neutiquam ſervaſſe; nam primum abſque ejus ſcientia ac conſenſu in anno 1764. exegit a Civitate Neapolis ducatos 665. ad hereditatem olim

Conſiliarii D. Franciſci Mariæ Lanarii pertinentes ; & in eodem anno vendidit ſortem ducatorum 1400 hereditatis prædictæ, ſibique vindicavit. Deinde (invita pariter, atque inſcia ipſa D. Hippolyta) inita concordia cum fratribus de Vicariis in anno 1767., vendidit quoddam prædium ejuſdem hereditatis in Terra Angriæ poſitum pro ducatis 1370, quorum partem ſibi vindicavit *fol.* 33.; & teſtificata eſt, D. Hieronymum dell' Uva ab anno 1761. uſque ad annum 1767. aſſidue ſe contuliſſe in domum D. Hippolytæ Sanchez de Luna, & ab illa recepiſſe nedum menſtruos ducatos decem; verum etiam alias pecuniarum quantitates *fol.* 35. *ad* 39., ut conſtat ex quatuor apochis a D. Hieronymo ſcriptis, in quibus ipſe fatetur recepiſſe a D. Hippolyta menſtruos ducatos decem uſque ad menſem Septembris 1766., una ſcilicet diei 19. Decembris 1762., adjecta declaratione: *di eſſere ſtato ſoddisfatto per intero meſe per meſe; e però non dover conſeguire in virtù di detta convenzione per detti docati dieci ſino al preſente giorno coſa veruna*; altera diei 31. Auguſti 1763.; tertia diei 29. Novembris 1765.; quarta demum diei 25. Septembris 1766., facta etiam in dictis apochis declaratione: *di eſſere ſtato ſoddisfatto di tutto il paſſato, e non dover conſeguire coſa alcuna fol.* 28. 30. 32. *&* 99.: duabus ſchedis Menſæ argentariæ SS. Jacobi, & Victoriæ diei 26. Februarii 1763., & 16. Maji 1764.; quarum prima continet ſolutionem ducatorum decem debitorum a D. Hippolyta Sanchez de Luna D. Hieronymo dell'Uva per totum diem 29. Februarii 1763., propter dictos menſtruos ducatos decem; altera vero exprimit ſolutionem aliorum ducatorum viginti, factam a dicta D. Hippolyta in beneficium ipſius D. Hieronymi pro menſibus Martii, & Aprilis anni 1764., facta etiam declaratione, dictos menſtruos ducatos decem fuiſſe antea ſolutos *fol.* 100.: tum ex epiſtola diei 9. Maji 1767., in qua præ-

Digitized by Google

præfatus D. Hieronymus rogat prædictam D. Hippolytam, ut ſolveret ducatos 47., triginta ſcilicet ab ipſo debitos pro penſione domus, & reliquos ducatos decemſeptem telarum mercatori *fol.* 54.: & ex literis executorialibus a M.C.V., inſtante D. Joſepho Bellotti, ob domus penſionem non ſolutam, contra D. Hieronymum expeditis pro ducatis 30. *fol.* 52., quibus ſatisfecit dicta D. Hippolyta, ut ex apocha diei 2. Junii 1767, qua D. Joſeph Bellotti declaravit, D. Hippolytam Sanchez de Luna de propria ejus pecunia ſibi ſolviſſe ducatos 27. ob penſionem domus D. Hieronymo dell' Uva locatæ in anno 1767, cum reſervatione facta ab ipſa D. Hippolyta illos repetendi ab eodem D. Hieronymo *fol.* 51.: nec non ex inſtrumento diei 6. Februarii 1764, in quo D. Hieronymus fatetur recepiſſe a D. Hippolyta Sanchez de Luna ducatos quinquaginta ex ſorte ducatorum 500. ſibi ſoluta a D. Vincentio Sbordone *fol.* 47: & tandem inſtrumento diei 31. Auguſti 1764, quo D. Hieronymus declaravit recepiſſe a Civitate Neapolis ducatos 665. debitos hereditati olim Conſiliarii D. Franciſci Mariæ Lanarii *fol.* 78. *ad* 82. *&* 85. *ad* 86. Probabat inſuper eadem D. Hippolyta, D. Hieronymum non ſervaſſe pacta conventa, ex eo quod inſtrumento diei 31. Auguſti ipſe D. Hieronymus, & Marchio S. Luciæ D. Agnellus de Vicariis, uti heredes dicti qu. Conſiliarii Lanarii, vendiderunt D. Nicolao Montanaro quoddam prædium hereditarium ipſius Lanarii, in Terra Angriæ poſitum, pro ducatis 1370, quos iidem de Vicariis, & dell' Uva faſſi ſunt recepiſſe per medium Menſæ argentariæ SS. Salvatoris *fol.* 77: & inſtrumento diei 1. Aprilis 1768. concordiam inierint inter ſe dicti D. Hieronymus dell' Uva, & Marchio S. Luciæ D. Agnellus de Vicariis ſuper integra hereditate Conſiliarii D. Franciſci Lanarii *fol.* 55. *ad* 65.; idque colligi ex fide Scribæ cauſæ Joſephi Narducci, ordine Judicis confecta, ex

qua

qua eruitur, præfatum D. Hieronymum nonnullas pecuniarum quantitates exegiſſe ab hereditate Conſiliarii Lanarii a die 14. Auguſti 1767. uſque ad diem 24. Septembris 1772. *fol.* 91.: & ex altera fide ejuſdem Scribæ Narducci teſtantis, reperiſſe in actis hereditatis olim Conſiliarii Lanarii duo decreta, quibus, inſtante D. Hieronymo dell' Uva, fuit ordinata exhibitio mobilium dictæ hereditatis, fidei D. Hippolytæ Sanchez de Luna commiſſorum *fol.* 97. E contraria parte D. Hieronymus dell' Uva teſtificationibus probare niſus eſt, ſe Neapoli commoratum fuiſſe, ut litibus ſuper hereditate olim Conſiliarii Lanarii motis operam daret *fol.* 70. *ad* 74.: & libello petiit damnari D. Hippolytam ad ſibi ſolvendum ducatos 300. ob dictos ducatos decem uſque ad menſem Januarii 1768. ſibi non ſolutos *fol.* 88. *ad* 89.

Referente R. Conſil. D. Horatio Guidotti cauſæ Comm.

S. R. C. dixit: *Contractum initum inter D. Hippolytam Sanchez de Luna, & D. Hieronymum dell' Uva non eſſe reſolutum; ac proinde tam per eandem D. Hippolytam, quam per ipſum D. Hieronymum implenda eſſe promiſſa & contenta in inſtrumento diei* 18. *Auguſti* 1761.: *pro quorum executione fiat relatio per Scribam cauſæ, partibus requiſitis, nedum quantitatum cauſa menſtruorum ducatorum decem a die initi contractus uſque ad diem* 25. *Septembris* 1766. *ab eadem D. Hippolyta ſolutorum, atque pariter ducatorum* 50. *die* 6. *Februarii* 1764. *ab ipſo D. Hieronymo mutuo acceptorum, aliorumque ducatorum* 27. *die* 2. *Julii* 1767. *Joſepho Bellotto, pro penſione domus ab eodem D. Hieronymo debita, per D. Hippolytam ſolutorum; verum etiam quantitatum omnium ex bonis hereditariis qu. Regii Conſil. D. Franciſci Lanarii, quæ ipſi D. Hieronymo pervenerunt, ad finem providendi.* Pacta ſiquidem inter contrahentes ſunt ſervanda; & hoc juris Gentium eſt, *L.* 1. *&* 7. *ff. de pactis*, *L.* 9. *C. de ſervit. & aqua,*

aqua, *L.* 29. *C. de pactis*. Neque in hac re conditio ob cauſam datorum locum habet; nam licet D. Hieronymo ab anno 1764. in poſterum non paucæ pecuniarum quantitates ab hereditate Lanarii obvenerint, ſibique idem D. Hieronymus vindicaverit; haud propterea dici poteſt, quod ipſe D. Hieronymus in ſtipulationem commiſit, cum D. Hippolyta pro parte ad ſe virtute contractus in uſufructu pertinente nunquam eum interpellaverit: & mora nulla eſt, ubi nulla eſt petitio, niſi dies interpellet, *L.* 12. *C. de contrah. & committ. ſtipul.* Et licet quoque ipſe D. Hieronymus die 1. Aprilis 1768. cum Marchione D. Agnello, ejuſque fratribus de Vicariis (inſcia D. Hippolyta) concordiam inierit; attamen non reſolutio contractus, ſi hoc fieret, ſed pœna dupli conventa fuit; atque ad hoc, ob protractam, imo ſuſpenſam, præſtationem menſtruorum ducatorum decem in inſtrumento conventam, idem D. Hieronymus adactus fuiſſe videtur.

Franciſcus d'Amora Act. Mag. Roccus Sigiſmundus Scriba.

In cauſa Univerſitatis Terræ Zungoli, cum Ven. Eccleſia Collegiata ejuſdem Terræ. Die 6. Februarii 1775.

COllegiata Terræ Zungoli, olim mera receptitia, poſtea anno 1729. & 1734. in XIV. Canonicorum Collegium ſollemniter erecta fuit; quorum tres Archipresbyter, Primicerius, Decanus Dignitatum titulis ſunt inſcripti: unicuique vero eorum ex annuis peculiaris Menſæ Capitularis reditibus ducatorum 640, pro æquis portionibus, annua veluti præbenda tribuitur: ex altera autem antiquiori Menſa, quam vocant receptitiam, annuorum ducatorum 400, qui decimarum Dominicalium cauſa a nonnullis civibus exiguntur, patet, totum Eccleſiæ Clerum, ſcilicet Dignitates, Canonicos, minoreſque

Decimæ dominicales, aliaque ab Eccleſia Parochiali, cujuſque ſint generis, Parocho obvenientia, in congruam portionem imputari debent; verum cum ex his, & decimis ſacramentalibus, exceptis tamen caſualibus emolumẽtis, vix habeat Parochus quod ejus

neceſſitatibus occurrat, decimæ ipſæ ſacramentales minuendæ non ſunt.

reſque Presbyteros æqualia ſtipendia ſumere. Additis inſuper modiis quadraginta duobus, omnibus iiſdem Eccleſiæ Miniſtris quotannis præſtandis, ad rationem carolenorum octo cum dimidio, ex decimis Sacramentalibus, quas primum, certa quantitate, in annuis modiis centum tritici, inſtrumento conventionis die 15. Septembris 1672. Univerſitas ſe obligavit ſolvere, ideſt, alios modios quadraginta, pro quarta Epiſcopi, & modios ſeptem & decem pro Eccleſiæ ſubſtentaculo: additiſque amplius annuis ducatis 49, ex aliquibus Eccleſiæ Capellaniis, unaquæque eorumdem XXI. Miniſtrorum portio, ſubductis rationibus, quod ad Capitulares eſt annuorum duc. 70, quod ad minores vero Presbyteros eſt annuorum duc. 25. 50: quibus omnibus coadjutorium onus, Archipresbytero tamen perpetuum & primarium inhæret curationis animarum; cui Archipresbytero, præter eam portionem, aſſignati ſunt alii annui ducati 16. ex aliis Eccleſiæ reditibus; unde ejus portio ſic aucta conficit annuos ducatos 87. Ad unumquemque vero eorum Miniſtrorum alia onera & munera ſpectant, ſcilicet ſacræ preces, diurna pſalmodia, miſſæ, tum & alia liturgica. Demum ad omnem hujuſce Eccleſiæ notitiam ſciendum eſt, ſummam aliorum annuorum ducatorum 56. & aſſium 96. ad ipſius Eccleſiæ conſervationem collatam eſſe. Univerſitas vero ejuſdem Terræ petiit abolitionem vel moderationem decimarum Eccleſiaſticarum ad metam congruæ portionis ſecundum reſcripta Regia de abolendis, vel moderandis decimis.

Eleganter Regiis litteris die 15. Julii, & 19. Septembris 1772. reſcriptum eſt, ne cives decimarum oneribus graventur, niſi ei curationem animarum habenti, congrua portio, jure Divino conſtituta, quo ſe alat, defuerit; ceteras vero decimas Dominicales, vel illas, quæ ad quartam Canonicam Epiſcoporum, vel Cathedrales, Collegiatas, aliaſque Eccleſias ſpectant, minime abolen-

Digitized by Google

lendas, vel moderandas, præterquam ex juſta cauſa in judicium deducta. Quæſitum eſt, num decimæ Dominicales, aliaque ab ipſamet Eccleſia Parochiali, cujuſcumque ſint generis, obvenientia Parocho, in computum congruæ portionis ei debitæ veniant? Quum Eccleſiarum bona, quæ fideles Chriſtiani Deo vovent, ut Clerici, qui altari ſerviunt, de altari vivant, in eorundem Clericorum alimoniam veniant, certum conſequenter videtur, eadem omnia computari in congruam portionem, quomodocumque Eccleſiæ conceſſa fuerint: ſin quidem fateri omnino oportet, congruam portionem alimentorum Parochi eſſe portionem. Quare ſecundum Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 24. *cap.* 13. *de Reformat.* ſi exigui adeo fuerint Parochiæ reditus, ut debitis nequeant Rectores oneribus ſatisfacere, ſtatutum eſt I. conſulendum per Beneficiorum unionem: II. primitiarum, vel decimarum aſſignatione: III. per Parochianorum ſymbolam, aut alia, quæ videbitur, commodiori ratione. Hanc vero congruam, prudenter metiendam pro temporum, perſonarum, & locorum diverſitate, ad id redegit Concilium, quod Rectoris, ac Parochiæ neceſſitatibus decenter ſufficiat. Eam igitur Parochi portionem, ex omnibus bonorum Eccleſiæ fructibus conflatam, ſi caſualia tantum exceperis emolumenta, cum vix ejuſdem neceſſitatibus ſufficiat, non imminuendam duximus. Quare S.R.C. declarat, ***non eſſe locum petitis ex parte Univerſitatis Terræ Zungoli; ac proinde RR. Archipresbyterum, ſive Parochum, Capitulares, alioſque Presbyteros manutenendos eſſe in poſſeſſione redituum, ac decimarum etiam Sacramentalium, ſervata forma inſtrumenti anni 1632. fol. 70. penes acta deductarum; quantitates vero ex eadem cauſa depoſitas liberandas eſſe eiſdem, ſecundum ſolitam repartitionem.***

Trotta Scriba.

Verba fecit de his in S.R.C. D. Stephanus Patritius cauſa Comm.

In cauſa inter magn. Franciſcum Penta ex una, & Joſephum Alfieri ex altera. Die 6. Februarii 1775.

Jus retractus proprietario fundi finitimi, non item uſufructuario ſpectat.

Indiviſa adhuc hereditate, inefficax cenſetur ceſſio juris retractus ab uno ex heredibus facta, ceteris inſciis, vel invitis, rurſus unus ex heredibus retractum petere non prohibetur.

FRanciſcus Penta actionem retractus apud M. C. V. intendit in Joſephum Alfieri emptorem ruris finitimi alteri ejus prædio. Excepit Alfieri, nullum actori jus eſſe retractum petendi, nedum quia ipſe ceſſionem juris congrui a finitimis poſſeſſoribus prædiorum reportaverat, & præſertim a D. Creſcentio Penta illius fratre, verum etiam quia prædium, quod attingebat rus per ipſum emptum, nunquam fuerat ab actore poſſeſſum, ſed ab ejus fratre D. Creſcentio, cui uſque ab anno 1746. donationis titulo, ut ad Sacros promoveretur Ordines, fuerat a communi patre collatum. Decreto M. C. diei 31. Auguſti 1773. fuit ordinatum, *quod Joſeph Alfieri relaxet in beneficium Franciſci Penta territorium in actis deductum, una cum fructibus liquidandis a die depoſiti 13. Julii 1771., pro quorum liquidatione in biduo audiantur Partes; & dictus Alfieri ſolvat etiam litis expenſas.*

Interpoſita per Alfieri appellatione ad S. C., pro explorato habitum eſt, nullius momenti putandam eſſe ceſſionem juris congrui, quam emptor a D. Creſcentio Penta fuerat adeptus. Ipſe enim D. Creſcentius uſumfructum tantummodo in prædio repræſentabat, ex quo nulla ei tribuebatur poteſtas cedendi jus congrui. Cum enim congruum, inſpecta Regni Conſtitutione, poſſeſſoribus finitimorum prædiorum competat, requiritur, ut vicinus rem poſſideat, quo ceſſio efficacem vim habeat; prædii autem uſufructuarius jure merito poſſeſſor dici non poteſt. Qui uſumfructum tantum habet, poſſeſſor non eſt, ut ait *Lex 15. §. item ff. qui ſatisdare cogantur*; quapropter ſicut D. Creſcentius actionem retractus, utpote ſimplex uſusfructuarius, experiri

non

non poterat, ita nec bene recteque cedere in commodum emptoris jus ipſum valebat. Contra autem retractus competebat Franciſco Penta, qui licet proprietatem prædii ſolummodo haberet, poſſeſſor tamen cenſendus erat, ſicut reipſa nudum proprietarium Jura uti poſſeſſorem agnoſcunt, *L.* 1. §. 1. *&* 3. *ff. ad Sillanian. L.* 15. §. *item*.

Objiciebat rurſum emptor Alfieri, ut quamvis D.Creſcentius ſimplicem uſusfructus donationem a patre fuiſſet conſecutus, nihilominus ejuſdem patris teſtamento heres fuerat inſtitutus cum ceteris ejus fratribus; quapropter cum uſusfructuarii ex aſſe, & proprietarii in trien-te perſonam gereret, ceſſio congrui per eum facta, firma atque valida erat cenſenda.

S. C. vero perpendit, prædium, ſuper quo fuerat conſtitutus uſusfructus intuitu Patrimonii, & cujus poſtmodum proprietas a patre fuerat tribus ejus filiis relicta in communi & pro indiviſo, adhuc per heredes ipſos poſſideri, ex quo ſequebatur, unumquemque ex heredibus in qualibet parte ejuſdem prædii trientem habere, neminem autem eorum ante diviſionem ſeparatum jus fovere, & in extraneum transferre poſſe, ſed ſicut proprietas erat indiviſa, individuum pariter penes ipſoſmet heredes manebat quodcumque jus a proprietate ipſa dependens, cumque nemo dominorum in re communi, neque facere quidquam invito altero poſſit, neque prohibere, quominus alter faciat, *L.* 25. *ff. de ſervit. urbanor. prædior.*, *L. Sabinus ff. comm. divid.*; ſequebatur inde, ceſſionem congrui per D. Creſcentium, invitis coheredibus factam, nullam fuiſſe, atque inefficacem ad jus aliquod in emptorem transferendum. Actionem vero retractus rite recteque D. Franciſcus Penta exercere poterat, cum contineret factum, & jus individuum: quod ad uſum deduci cuicumque ex heredibus licebat, *L. Oblig. ff. de verb. ſignif.* Reſpiciebat

enim jus ad rem tradendam ſuapte natura individuum ſingulis heredibus in ſolidum competens, quorum cujuſque totius fundi retractum petere, & conſequi optimo jure valebat, per *text. in L. Fiſtulas §. qui fundum ff. de contrah. empt*. Enim vero cautum jure eſt, emptorem teneri re vendere uni ex pluribus coheredibus integrum pretium perſolventi, ſive alter coheres ſe ab hoc jure abdicat, ſive non, nam in caſu abdicationis integrum jus manet apud alterum heredem jure accreſcendi, per *text. in L. Si quis legatum §. duobus ff. de condit. & demonſtr.*; quapropter ſicuti ceſſio per D. Creſcentium facta inefficax & ſupervacanea exiſtimanda erat, cum hujuſmodi facultas in re communi non eſſet ei conceſſa, ita alteri coheredi imminutum integrumque jus retractus permanſerat, ut pretio ſoluto, prædium ab emptore adipiſceretur.

Hiſce propemodum rationibus S. C. decretum M. C. eſſe executioni demandandum cenſuit quoad retractum. Quo vero ad condemnationem intereſſe a die depoſiti per D. Franciſcum Penta facti, & expenſarum litis, idem S. C. cenſuit excuſandum emptorem, qui bona fide, ceſſionem a finitimis poſſeſſoribus reportando, putaverat, actionem retractus fuiſſe extinctam, per *text. in L. 48. ff. de adquir. rerum domin. L. 13. ff. quibus modis uſusfr. L. 45. ff. de uſuris*. Verum quia a die decreti lati per M. C. fuerat emptor mala fide conſtitutus, jure proinde merito ad condemnationem intereſſe devenire cenſuit, & expenſarum pariter litis a prædicto die 31. Auguſti 1773.

Referente Domino R. Conſil. D. Joſepho Criſconio cauſ. Comm.

S. R. C. mandavit, *Bene fuiſſe judicatum per M. C. in ejus decreto diei* 31. *Auguſti* 1773. *fol.* 130., *& male appellatum pro parte Joſephi Alſiero*; *ac proinde decretum prædictum executioni mandetur quoad relaxationem territorii in actis deducti*. *Quoad vero intereſſe a die depo-*

depoſiti per Franciſcum Penta facti, & expenſarum litis, decretum prædictum excutioni demandetur pro intereſſe decurſo, ad rationem tamen ducatorum quatuor pro ſingulis centum, & pro expenſis litis a prædicto die 31. Auguſti 1773.

U.J.D. Marcus Antonius Quaranta Act.Mag. Felix de Donato Scriba.

In cauſa inter magn. Carolum Sabbato ex una, & magn. viduam Annam Mariam Sanvito ex altera. Die 6. Februarii 1775.

Cum formulæ, quæ *di chiuſura*, & *di apertura* dicuntur, diſcretis, diſtinctiſque actibus non ſint in teſtamento expletæ; cumque ſeptimus teſtis diu poſt teſtamenti ſtipulationem adhibitus ſit; ex defectu ſolemnium teſtamentum non valere, pronunciandum eſt.

AD infirmandam fidem teſtamenti avunculi ſui Dominici Mammino, quamplurima a Carolo Sabbato objiciebantur vitia, quorum alia perſonam Teſtatoris, alia vero formam ipſiusmet teſtamenti reſpiciebant *fol.* 17. Ad illa referebatur imbecillitas mentis Teſtatoris ex apoplexiæ morbo contracta, quæ per ſigna, dementiam uſque indicantia, prodebatur; *fol.* 93. *ad* 140.; adeout alter ex teſtibus teſtamentariis illum velut attonitum atque ſtupentem tempore conditi teſtamenti agnoverit; *fol.* 220. Hinc factum erat, ut ſuæ uxoris Annæ Mariæ imperio atque nutu ipſe regeretur, cujus inſanæ cupiditati morem gerendo, heredem ex aſſe ſcripſerat in iiſdem bonis, quæ propria ipſius Caroli induſtria & labore parta erant *fol.* 20. Quæ vero vitia a ſcriptura teſtamenti promanabant, duo nimirum erant, & quod in teſtamenti ſtipulatione ſeptimus fuiſſet deſideratus teſtis, & quod ſollemnitates *di chiuſura*, *ed apertura*, quæ de ipſa diſpoſitionis ſubſtantia quæruntur, fuerant confuſe & permixtim conſarcinatæ *fol.* 32. Adhibitis per S. C. peritis, geminato eorum judicio compertum eſt, ſeptimum teſtem diu poſt teſtamenti ſtipulationem fuiſſe appoſitum, neque ſimul cum ceteris teſtibus, ſed diverſo tempore ſubſcripſiſſe, atque obſignaſſe teſtamentum *fol.* 150. *ad* 170. Quod alioquin

S.C.

S. C. prima inſpectione autographi facillime deprehendit, nedum ex atramenti diſſimilitudine a ceteris ſubſcriptionibus aliorum teſtium, & recentiore charactere ejuſdem ſeptimi teſtis; verum etiam ex incompoſita illius ſubſcriptione, quæ in ſuperiori loco ſigni per eum appoſiti erat collocata, & juxta ſcilicet ſignum ſexti teſtis.

Formulas pariter, quæ vocantur *di chiuſura*, *ed apertura*, diſcretis, diſtinctiſque actibus neceſſario pro temporum varietate explendas, unico tamen verborum contextu, unico eodemque tempore in ipſa teſtamenti ſcriptura Notarius intenderat. Omiſſa autem per S. C. inquiſitione circa imbecillitatem mentis Teſtatoris, utpote probationibus aliquantulum dubiis fulcitam; pro explorato habuit, teſtamentum Dominici Mammino imperfectum eſſe cenſendum, ex ea potiſſimum validiſſima ſuſpicione, ſeptimum ſcilicet teſtem in ſubſcriptione teſtamenti non interfuiſſe. Quæ majorem in modum augebatur, inſpecta ejuſdem teſtis qualitate; ipſe namque erat famulus Notarii, qui teſtamentum ſtipulatus eſt. Cum enim in *L. Hac conſultiſſima* expreſſe cautum ſit, *uno tempore*, *eodemque die*, *nullo actu extraneo interveniente*, *teſtes omnes*, *videlicet*, *ſimul*, *nec diverſis temporibus ſcribere*, *ſignareque teſtamentum*, *illudque valere*, *dum tamen teſtibus præſentibus Teſtator ſuum teſtamentum dixerit*, *quod offertur*, *eique ipſe coram teſtibus ſua manu*, *in reliqua parte teſtamenti ſubſcripſerit*; *quo facto*, *& teſtibus*, *uno eodemque die*, *ac tempore ſubſcribentibus*, *& conſignantibus*, *teſtamentum valere*; ſequebatur, hujuſmodi teſtamentum jure merito imperfectum dici poſſe, quotieſcumque urgentibus indiciis abſentia ſeptimi teſtis coargueretur. Quod ſatis ſuperque confirmabatur ex incondito modo, quo ſollemnitas *de la chiuſura*, *ed apertura* concepta legebatur, ac ſi eodem momento Teſtator condidiſſet teſtamentum,

tum, atque deceſſiſſet; cum alioquin aliud alio tempore, interjecto ſpatio annorum octo evenerit: *ex imperfecto autem teſtamento voluntatem tenere defuncti non volumus*, *§. ex imperfecto L. 21. C. de teſtament.* Ut autem heres ſcripta hujuſmodi difficultati occurreret, ad clauſulæ codicillaris munimentum confugit, cujus ope teſtamenti naufragium declinare ſatagebat. Verum quia per ejus Advocatum verbo tenus hujuſmodi exceptio proponebatur, nullaque in ſcriptis fuerat facta petitio, ut cognitionem de efficacia clauſulæ S. C. ſuſcipere debuiſſet; hinc merita ejuſdem ad trutinam revocare ſuo tempore tradidit.

Referente D. Joſepho Criſconio R. Conſ. & cauſæ Comm.

S. R. C. declaravit: *Teſtamentum qu. Dominici Mammini de die 23. menſis Maji 1765. manu Notarii Liborii Scala, fol. 197. fuiſſe & eſſe nullum ex defectu ſollemnitatum, ſalvis juribus Annæ Mariæ Sanvito vigore clauſulæ codicillaris in alio judicio, & ſalvis pariter juribus Carolo Sabbato reſpectu aliorum per eundem deductorum.*

Nicolaus Gerace Act. Mag. Michael Maſtracchio Scriba.

In cauſa inter Angelam, & Thereſiam Merolla ſorores, petentes maritagia Montis inſtituti a qu. Marino Merolla, & magn. Curatorem ejuſdem Montis. Die 6. Februarii 1775.

Dotalia ſubſidia debentur juxta Fundatoris voluntatē. Ad ea conſequenda ſufficit promiſſio tabulis nuptialibus facta, etſi petita non fuerint contracti matrimonii tempore.

MArinus Merolla Civitatis Prajani die 8. Auguſti anni 1600. in ejus ſolemni in ſcriptis teſtamento inſtituit Montem in beneficium puellarum nubendarum deſcendentium ex Mazzeo Merolla ejus fratre, ex eis filiis maſculis, & nepotibus in infinitum, ſtatuendo dotes ducatorum 72. per quamlibet ipſarum; & in defectu earundem, vocavit deſcendentes ex fœminis; ac tandem pauperrimas puellas ejuſdem Civitatis, *fol. 204. & ſeq. proc. hered. ejuſd.* Cumque Teſtatoris voluntas ab

eo

eo tempore fuiſſet ad unguem ſervata, tandem ſub die 16. Septembris 1774. Angela, & Thereſia Merolla judicium inſtituerunt in S. R. C. petentes, tamquam deſcendentes ex vocatis a præfato Fundatore, maritagia, ſervata forma ſoliti *fol.* 3. & 7. Cumque fuiſſet impartitus terminus ſummarius ad probandam deſcendentiam *fol.* 3., & hæ binæ petitiones fuiſſent notificatæ Curatori Montis prædicti, qui petiit audiri in compilatione termini *fol.* 4.; demum, inſtructo proceſſu, & exhibitis pluribus documentis, ac teſtium depoſitionibus, terminus fuit ſervatis ſervandis compilatus. His acceſſit conſenſus ejuſdem Curatoris pro maritagiorum præſtatione, dummodo ea ſolverentur juxta ætatum prærogativas, habito reſpectu ad tempus contracti matrimonii *fol.* 28. His peractis, propoſita cauſa in S. R. C. ſub die 6. Februarii currentis anni 1775, ſequens prodiit definitivum decretum.

Referente D. Joſepho Mauri R. Conſ. & cauſæ Commiſſ.

Dotationes, ſive Maritagia in actis deducta deberi in beneficium Angelæ, & Thereſiæ Merolla; & proinde ſolvantur ducati 72. cuilibet ipſarum; juxta tamen prærogativas temporum matrimoniorum contractorum: in omnibus ſervata forma præcitatæ inſtantiæ magn. Curatoris fol. 28.; *& juxta voluntatem Fundatoris.*

Illius ſane voluntas fuit, quod ubi conſtaret de deſcendentia, ut ſupra, puellis deſcendentibus ex perſonis vocatis, dotationes, ſive maritagia deberentur, ut eas habiliores redderet ad matrimonia contrahenda. Et cum plene de illa in termino ſit probatum, nedum ex teſtium depoſitionibus, verum etiam ex publicis documentis; & cum ex tabularum nuptialium inſtrumentis liquido conſtet de hujuſce dotis conſtitutionibus in ſtilatione deductis *fol.* 17. *ad* 24., nec de ſubſecutis matrimoniis, nec de nuptarum ætate quicquam ambigitur *fol.* 21. & 22.; & ex quo Curator Montis petitis præſtatio-

ſtationibus minime adverſatur *fol.*28.; illa ſiquidem ſuprema hominis diſpoſitio inſtar legis eſt ſervanda, prout traditum videtur uſque a primævis Romanæ libertatis incunabulis in illis XII. Tabularum fragmentis, quibus cautum reperitur: *Uti legaſſit quiſque de ſua re, ita jus eſto*; & ab Imperatore Juſtiniano ſic tranſcriptum: *Diſponat itaque unuſquiſque ſuper ſuis, ut dignum eſt, & ſit lex ejus voluntas*, ut in *Novella* 22. *cap.* 2. *de nupt.*, & in *Nov.* 1. *cap.* 1. *de hered. & Falcid.*, quod docuerunt etiam & Pomponius in *L.* 120. *ff. de verb. ſignific.*, & Ulpianus in *L.* 130. *ff. eod.* Nam e contra teſtantium voluntates non ſervare, impium & iniquum eſſe dicitur in *L.* 22. & in *L. Conſulta C. de teſtam.*; quoniam publice intereſt ſuprema hominum judicia ſuum ſortiri effectum, *L. Vel negare* 5. *ff. teſtam. quemadm. aper.*, & *Inſtit. tit. de teſtam. ord. Cum nihil ſit, quod magis hominibus debeatur, quam ut ſupremæ voluntatis, poſtquam jam aliud velle non poſſunt, liber ſit ſtylus, & licitum, quod iterum non redit, arbitrium*, ut ait Juſtinianus in *L.* 1. *C. de Sacroſ. Eccl.* Et proinde S. C. præ oculis habendo nedum Marini Merolla ſupremum elogium, quo dotationes conſtituit, verum etiam ejuſdem obſervantiam per annos 175., quæ revera omnium rerum videtur optima interpres, ac demum plenam probationem, a Curatore non inficiatam, executioni demandare voluntatem illam minime dubitavit.

Nec movent objecta in contrarium per alios in præſenti hereditate intereſſe habentes, dotationes non aliter de jure deberi, niſi deducto prius, ac ſoluto ære alieno; nam præterquam quod hujuſmodi dotes, præſcriptis verbis, videntur cum præcipuitate omnibus aliis operibus enixe relictæ; hic non agitur de ære alieno a Fundatore forſan contracto, ſed ab aliis vocatis, qui abutendo, & male in adminiſtratione Montis ſeſe verſan-

tes, æs alienum contraxerunt. Iſti ſiquidem, tamquam vocati in ſolo uſufructu, nullum jus habebant ſuper proprietate: Uſufructuariis enim, quantumvis jus aliquod tribuitur alienis rebus utendi fruendi, attamen de jure intelligitur, ſalva ſemper rerum, & proprietatis ſubſtantia, ut in *L.* 1. & in *L.* 9. *& tot. tit. ff. de uſufr. & Inſtit. tit. eod.* Illis utique nihil aliud videtur a jure conceſſum, niſi ut re utantur fruantur, non ut abutantur, & proprietatem, male utendo, perdant, vel onerent, *L. Sed & ſi quid* 15. *ff. de uſufr.*, vel ad alium uſum, quam in quem res eſt comparata, convertant, *L.* 19. *& L.* 34. *§.* 1. *ff. de uſufr.*; unde & æs alienum a non domino rei minime, aut perperam contrahi poterat, nec in præjudicium nubendarum cum prælatione, & præcipuitate vocatarum, quicquam, quoad ſubſtantiam rei, immutari aut minui fas erat: Maxime quia agitur de cauſa favorabili & publica, ſcilicet pro dote conſtituenda nubentibus, in *L.* 1. *ff. ſoluto matrim.* eleganter Pomponius ait: *Dotium cauſa ſemper, & ubique præcipua eſt; nam & publice intereſt, dotes mulieribus conſtitui, cum dotatas eſſe fœminas ad ſobolem procreandam, replendamque liberis civitatem, maxime ſit neceſſarium.* Et Paulus in *L.* 18. *ff. de reb. auctor. judic. poſſid.* idem reſpondit: *Intereſt enim reipublicæ, puellas dotes conſequi, ut, ætate permittente, nubere poſſint.* Et revera privilegium dotium latiſſime a jure non aliter videtur tributum, niſi favore connubiorum contrahendorum, ut videre eſt in *L.* 19. *ff. de ritu nuptiar.*, in *L.* 1. *ff. ſoluto matrim.*, & in *L. unic. C. de privileg. dot.*

Poſtremum nec etiam eſt habenda ratio de alia exceptione, quod dotes prædictæ non fuerunt petitæ ante matrimonium, nec tempore ſaltem contractionis ſolutæ. In caſu, de quo agimus, maritagia prædicta paratam non patiebantur diſtributionem tempore, quo connubia con-

Digitized by Google

contrahebantur: quippe ex voluntate Fundatoris cautum fuerat, ne aliter ea præſtanda venirent, niſi juxta cujuſque nubendæ ætatis, & temporis prærogativas. Unde ex quo nondum ceſſerat dies ſolutionis, maritagia illa minime peti tempore ſtipulationis, nec repeti eorum ſolutio poſt contractum matrimonium, niſi ætate, & tempore permittentibus, legitime poterant. Satis enim ſuperque indemnitati nubendarum videtur conſultum, ut ſcire poſſent, jus ſuum omni futuro tempore perpetuo duraturum; ubi dotationes Montis prædicti fuiſſent in tabulis nuptialibus ſemel conſtitutæ, & in ſtipulatione deductæ, ut patet ex capitulis matrimonialibus *fol.* 17. *ad* 24. ad effectum, ut illæ poſtmodum, juxta præcitatum Juriſconſulti reſponſum in *L.* 18. *ff. de reb. auct. jud. poſſid.* ætate & tempore permittentibus; & tempore opportuno potuiſſent ex voluntate Fundatoris legitime conſequi.

Capobianco a Secr. De Martino Act. Mag. Perrone Scriba.

In cauſa inter Margaritam, & Camillam de Maſe ex una, & Montem Mortuorum Terræ Hoſpitaletti ex altera. Die 6. Februarii 1775.

Donato fundi uſufructu, ſi poſtea donans fundum ipſum vendat, ex diuturno donatarii ſilentio ejus conſenſus alienationi datus arguitur, præcipue ſi diſtractio locum habuerit pro exſolvendis debitis utriuſque.

REv. Sacerdos D. Franciſcus de Maſe anno 1770. vendicationem fundi Avellaneti in S. C. petiit a Monte Mortuorum Terræ Hoſpitaletti *fol.* 1. Actionis fundamentum conſtituebatur ſuper donatione ejuſdem fundi, quam anno 1704. intuitu ſacri patrimonii a parentibus ſuis ipſe D. Franciſcus reportaverat. Excepit Mons, fundum fuiſſe a patre venditum anno 1713. *fol.* 84. pro exſolvendo ære alieno, quod ab anno nempe 1706. fuerat ab eo, cum in ſolidum obligatione ejuſdem D. Franciſci, contractum *fol.* 148. Poſt obitum Actoris hujuſmodi judicium fuit continuatum per ejus ſorores & heredes Margaritam, & Cæciliam. S. C. cenſuit,

Actrices nullo jure, atque immerito vendicationem fundi petere; nam licet fuiſſet intuitu patrimonii a parentibus ipſi D. Franciſco donatus, hujuſmodi tamen donatio tantummodo uſumfructum complectebatur, retenta penes ipſos, eorumque filios & heredes proprietate; itaut D. Franciſcus donatarii perſonam gerendo, nil aliud, niſi jus percipiendi fructus ex fundo præſeferebat; proprietas autem penes donantes permanſerat, transferenda ad eorum filios & heredes. Cum autem fundus, donatario ipſo vivente, fuiſſet per donantem alienatus, & donatarius alienationis conſcius longo annorum circiter 60 ſpatio tacuiſſet, nulla contra alienationem fundi propoſita actione, cenſendum erat alienationi conſenſiſſe, uſufructui ſibi competenti renunciando, *L. Quoties §. conceſſiſſe ff. ad municipium*, *L. 1. §. ſcientiam ff. de tributaria actione*. Filius enim contractui geſto per patrem, niſi evidenter contradicat, videtur conſentire, & ſcientia ſolummodo exigitur, ut videatur non contradicere, *L. 2. §. volunt. ff. ſol. matrim.*: potiſſimum quia alienatio fundi ſecuta erat pro exſolvendo ære alieno, cui ſuam quoque donatarius adſtrinxerat fidem. Refellebatur denique vendicationis actio ex altera præcipua ratione, quod tam D. Franciſcus, quam ejus ſorores heredes patris extiterant, & qualitatem heredum repræſentando nonnulla alia illius bona diſtraxerant, cui circumſtantiæ opportune aptabatur diſpoſitio textus in *L. Cum matre C. de vendit.* Quod maximum quoque juvamen afferebat ad elidendam alteram læſionis actionem, propter quam contractum venditionis anni 1713. reſcindere ſorores de Maſe obtendebant; ipſa namque hereditaria qualitas ratum habere factum patris eas obſtringebat ex regula legali, ut quem de evictione tenet actio, eundem agentem repellat exceptio; eo vel magis, quia ex actis apparebat, fructus annuos a fundo perceptos correſpondere

Digitized by Google

dere pretio per Montem ſoluto *fol.* 147. Quapropter S. C. ſequentem protulit ſententiam.

Referente R. Conſil. D. Joſepho Criſconio cauſæ Comm.

Montem Mortuorum Terræ Hoſpitaletti abſolvendum eſſe ab impetitis per ſorores Margaritam, & Camillam de Maſe.

U.J.D. Joſeph Graziano Act. Mag. Caſimirus Longo Scriba.

In cauſa inter D. Victoriam Cavalcante ex parte una, & D. Antonium, ac D. Dominicum Alimena, nec non Ven. Monaſterium S. Mariæ Virginum Civitatis Conſentiæ ex altera. Die 8. Februarii 1775.

D. Victoria Cavalcante petiit reſcindi venditionem prædiorum vulgo dictorum *Conte*, ſeu *Scovato*, *D. Francesco Quareſima*, ſeu *Poſtizzi*, factam inſtantibus creditoribus D. Franciſci Alimena ejus viri, eo quod ea prædia ipſius ſint jure dominii, uti partim dotalia, partim vero extradotalia: Prætendentibus ex adverſo D. Antonio, & D. Dominico Alimena emptoribus, ea prædia fuiſſe in bonis viri, eo quod æſtimatæ res in dotem fuerint traditæ, ideoque illis jure diſtractis, ratam habendam eſſe venditionem; uxoris autem jura, ſi quæ habet, experienda eſſe ſuper pretio ſoluto Ven. Monaſterio S. Mariæ Virginum Civitatis Conſentiæ, uni ex creditoribus: Opponente vero eodem Monaſterio, quod pro ſuis creditis D. Victoria Cavalcante ceſſerit anterioritati dotium, ideoque pretium prædiorum a ſe eſſe retinendum. Etenim inſtrumento dotali de die 16. Martii 1746. D. Victoria Cavalcante dotis nomine promiſit D. Franciſco Alimena prædium vulgo dictum *Torchiello*, & *Collice* valoris fere ducatorum 1000, nomina quædam debitorum in ſumma ducatorum 1815, ac etiam capitale ducatorum 1400, debitum ab heredibus Franciſci Bruno, & Marcelli Infuſo, a matre D. Laura Roſſi ſibi donatum, cum reſervatione nedum integri uſusfructus,

Incidunt in communionē qui eandem rem emunt; unde nulla eſt venditio, quam plus ſua parte ſocius facit.

Prædiis, & nominibus debitorū in dotem datis, pacto addito, quod liceat marito nomina, & prædia dotalia alienare, atque ex pretio novas facere emptiones; additoque & alio pacto, quod in caſu reſtitutionis ſolvat maritus quantitates ex nominibus forſan exactas; non cenſentur dotes æſtimatione, qua maritus dominium conſecutus, pretii tantum debitor efficitur.

Digitized by Google

ctus, ſed & ducatorum 400 ejuſdem capitalis; ac demum bona mobilia in ſumma ducatorum 650: pacto addito, quod liceret marito nomina, & prædia dotalia alienare, & ex pretio novas facere emptiones in Civitate Conſentiæ, intelligente & ſciente D. Carmino Cavalcante *fol.* 179. D. Franciſcus Alimena inſtrumento diei 2. Maji 1746. receptis dotibus, promiſit inter alia, ſe capitalia redditurum, & quantitates ſoluturum, quas ex eiſdem capitalibus eſſet exacturus, ac etiam ducatos 1400. debitos a D. Laura Roſſi *fol.* 156. Anno vero 1749. die 12. Aprilis inſtrumento D. Laura Roſſi, D. Franciſcus Alimena, & D. Victoria Cavalcante tranſegerunt cum heredibus præfatorum Bruno, & Infuſo de capitali ducatorum 1400, ac tertiis decurſis, pro ſumma duc. 1900, pro quibus ſatisfaciendis debitores dederunt pro ſoluto tam D. Lauræ, quam D. Franciſco, & D. Victoriæ indiviſim prædia vulgo dicta *Conte*, *Scovato*, *D. Franceſco Quareſima*, valoris ducatorum 1748. 50., præter ducatos 151. 50., numeratos præfatis conjugibus; eo addito, quod iiſdem D. Lauræ, D. Franciſco, & D. Victoriæ acquireretur prædiorum dominium *fol.* 509. Mortua D. Laura, & expedito præambulo in beneficium D. Victoriæ Cavalcante ejus filiæ *fol.* 506., vendita ſunt hæc eadem prædia pretio ducatorum 1272. 49., inſtantibus creditoribus D. Franciſci Alimena, & licitantibus in Civitate Montisalti D. Antonio Alimena, & D. Joſepho Turano, qui poſtmodum declaravit, quod emptio pertineret ad D. Dominicum Alimena *fol.* 1. *& ſeq. proc. venditionis*: verum ſe proteſtavit D. Victoria Cavalcante tempore venditionis, quod ea prædia nulliter venirent, utpote de ſuo dominio *fol.* 9.

His conſideratis, S. C. ſequentem protulit ſententiam:

Referente R. Conſ. D. Dominico Potenza cauſa Comm.

Venditionem fundorum vulgo dictorum Conte *ſeu* Scovato, D. Fran-

D. Franceſco Quareſima *ſeu* Poſtizzi; *fuiſſe & eſſe nullam: ac proinde condemnentur D. Antonius, & D. Dominicus Alimena ad illos reſtituendum D. Victoriæ Cavalcante, una cum fructibus perceptis a die litis conteſtatæ in anno 1769., pro quibus liquidandis intra quatuor dies audiantur Partes. Nec non condemnetur Ven. Monaſterium S. Mariæ Virginum Civitatis Conſentiæ ad reſtituendum dictis D. Antonio, & D. Dominico Alimena pretium eorundem fundorum, quod ſibi fuit liberatum, ut ex actis, una cum intereſſe pro quantitate in eodem termino liquidanda: facta tamen obligatione a dicta D. Victoria de ſolvendo quidquid fuerit judicatum pro eo, quod forſan fuerit impenſum a dictis D. Antonio, & D. Dominico Alimena pro iiſdem prædiis meliorandis, juxta æſtimationem faciendam ab Expertis non ſuſpectis, eligendis per Curiam loci, ſive per Regiam Audientiam Provincialem.*

Nam D. Laura Roſſi, D. Franciſcus Alimena, & D. Victoria Cavalcante tranſegerunt de omni credito pro ducatis 1900, quorum pars pertinebat ad cauſam dotis, pars vero ad D. Lauram Roſſi; iiſdemque pro ſoluto data fuerunt prædia in actis deducta, conſtituto pretio ducatorum 1748. 50. Cumque hujuſmodi contractus vicem venditionis obtineret, ex *L.* 4. *C. de evict.*, conſequens eſt, eos incidiſſe in communionem emptionis pro partibus crediti uniuſcujuſque; conſtat enim communem rem eſſe inter eos, qui pariter eamdem rem emerunt, *L.* 2. *ff. commu. divid. L.* 31. *ff. pro ſocio.* Quamvis autem ſocius partis ſuæ pro indiviſo habeat alienationem; nemo tamen ex ſociis plus parte ſua poteſt alienare; vetita eſt enim rei alienæ venditio, *L.* 16. *ff. de reb. cred. L.* 68. *ff. pro ſocio*. Sed cum, inſtantibus creditoribus D. Franciſci Alimena, vendita fuerit ſub haſta portio etiam D. Lauræ Roſſi, quæ extra cauſam dotis, pertinebat ad D. Victoriam Cavalcante, uti

D.Lau-

D. Lauræ filiam & heredem; hinc patet ejus portionis venditionem nulliter fuiſſe peractam.

Quo vero ad portionem dotalem D. Victoriæ Cavaleante, nihil eſt, cur cenſeantur ab ea traditæ nomine dotis res æſtimatæ, ea videlicet æſtimatione, qua maritus dominium conſecutus, ſummæ tantum, velut pretii, debitor fuerit effectus. Bona enim ſtabilia judicavit S. C. die 14. Maji 1762. reſtituenda eſſe uxori *fol.* 286. Nomina vero, in inſtrumento dotali ſimpliciter fuit cautum, eſſe reſtituenda; eo addito, quod in caſu reſtitutionis ſolveret maritus quantitates ex iiſdem nominibus forſan exactas. Id vero æſtimationi dotis aperte repugnat; nam nominibus æſtimatis in dotem datis, a marito, velut ab emptore, ſolvendum eſt integrum pretium, adhuc illis non exactis, quia æſtimatio venditio eſt, *L.* 10. *§.* 4. *&* 5. *ff. de jur. dot.* Bona vero, de quibus agitur, referenda ſunt ad nominum promiſſionem; nam in dotem traditum fuit capitale a matre donatum, quod etiam reſtitutum iri, fuit conventum: conſtante autem matrimonio, a debitoribus data fuerunt pro ſoluto bona in actis deducta, non uni viro, ſicuti agendum fuiſſet, nomine eidem vendito; ſed & uxori, cui etiam cautum fuit quæri dominium. Conſtat præterea inſtrumento de die 5. Novembris 1758., uxorem ſuper iiſdem bonis, tamquam propriis dotalibus contraxiſſe cum D. Franciſco Bartolo, viro interveniente *fol.* 141., eoſdemque reos conventos obſtantes dictæ bonorum venditioni declaraſſe, quod bona pertinerent non ad viri patrimonium, ſed ad uxorem, uti propria ejus dotalia *fol.* 1. *proc. vendit.* Ex quibus S. C. venditionem portionis dotalis cenſuit etiam nullam; quamvis publicæ haſtæ fides facile convelli non debeat, id tamen obtinet venditis bonis, quæ debitoris ſunt, non alienis fundis diſtractis, ſcientibus emptoribus, *L.* 12. *ff. de diſtract. pign.*

Neque

Neque his obſtat, quod inſtrumento dotali permiſſum fuerit viro diſtrahere nomina, & prædia in dotem data; nam eo pacto opus non erat in æſtimatione dotis, per quam perficitur vera venditio. Contra cum diſtractio permiſſa fuerit ea lege, quod novæ fierent emptiones in Civitate Conſentiæ, intelligente & ſciente D. Carmino Cavalcante; id potius referendum eſt ad pacta inæſtimatæ dotis; cum id actum videatur, ut novæ ſubrogarentur emptionibus antiquis, & uxor illarum periculum ſubiret: eaque omnia majoris ſunt roboris, perſpecta *L.* 30. *C. de jur. dot.*, qua, ſoluto matrimonio, reſervata fuit uxori vindicatio rerum dotalium etiam æſtimatarum, ea ſcilicet ratione, quod eædem res ab initio uxoris fuerint, & naturaliter in ejus permanſerint dominio; nec quia legum ſubtilitate tranſitus earum in patrimonium viri viſus ſit fieri, ideo rei veritas delata, vel confuſa fuerit.

Minus obſtat, quod uxor ceſſerit anterioritati dotium ſuper bonis viri favore Monaſterii S. Mariæ Virginum pro quantitatibus ab eo creditis; id enim attinet ad pecunias dotales a viro ſuper ſuo patrimonio debitas, dummodo tamen vera fuerit conditio Regio aſſenſui inſerta, ſi ſcilicet eadem cauta fuerit ſuper bonis viri; nihil vero id habet commune cum bonis propriis uxoris, quæ nullo pacto ex hujuſmodi ceſſione intelliguntur obligata Monaſterio pro pecuniis viro creditis.

Michael Priſcolus Act. Mag. Vincentius Vecchiarelli Scriba.

In cauſa inter Ill. Ducem Sueſſæ D. Petrum Antonium Petroni cum D. Joſepho Petroni. Die 10. *Februarii* 1775.

QU. Præſidens Regiæ Cameræ D. Antonius Petrone anno 1723. teſtamentum condidit, in quo inſtituit heredes quatuor ejus filios D. Dominicum, D. Nicolaum, D. Lu- Facultas, quæ teſtamento datur, diſponendi inter vocatos, directa

cenſetur in beneficium plurium, non autem unius ex vocatis.

D. Ludovicum, & D. Ignatium in legitima, aliiſque juribus eiſdem competentibus vigore Conſuetudinis hujus Civitatis, & ſuper reliqua ſua hereditate inſtituit heredes tres tantum ex dictis ſuis filiis, ſcilicet D. Nicolaum, D. Ludovicum, & D. Ignatium, cum reciproca ſubſtitutione, ac fideicommiſſo in beneficium eorum reſpective deſcendentium, prælatis tamen maſculis; eiſdemque in hunc exitum prohibuit quamcumque alienationem, imo detractionem etiam legitimæ, ac medietatis bonorum antiquorum, ſed tantum facultatem cuilibet ipſorum dedit diſponendi pro extraneis ſummam ducatorum 2000, libere vero de reliquo inter vocatos. Prælegavit inſuper præcitato D. Dominico ducatos 6000, dummodo legitimam ei debitam, ac portionem medietatis conſuetudinariæ aggregare contentus eſſet dictæ ſubſtitutioni & fideicommiſſo: quo caſu integram quartam partem ei pervenire voluit, prout diſpoſuerat pro aliis filiis, cum eadem facultate diſponendi ſuperius enunciata *fol.* 49. Expeditumque eſt præambulum dicti qu. Præſidentis D. Antonii in beneficium omnium ejus quatuor filiorum, ſtante acceptatione etiam facta a D. Dominico paternæ diſpoſitionis *fol.* 106. D. Ignatius, qui abſque filiis deceſſit, utens facultate a teſtatore conceſſa, inſtituit in bonis enunciatis heredes pro æquali parte D. Petrum Antonium filium primogenitum qu. D. Nicolai, & D. Joſephum filium primogenitum qu. D. Ludovici *fol.* 86.: cui quidem D. Joſepho anno 1767. donationem fecit D. Dominicus omnium bonorum, etiam paternorum *fol.* 4. Secuto deinde obitu D. Dominici donantis, D. Joſephus donatarius ſupplicationem produxit in S. C. pro obſervantia, & executione illius donationis *fol.* 1. Verum D. Petrus Antonius, etiam nomine ceterorum ejus fratrum utrinque conjunctorum, nullitatem dixit de eadem donatione, tam ex defectu voluntatis, quam ex abuſu poteſtatis reſpectu bonorum,

Digitized by Google

rum, quæ eidem obvenerunt a qu. Præſidente D. Antonio *fol.* 44.: ſuper quibus S.R.C. die 9. Maji 1770. dixit: *Donationem prædictam fuiſſe & eſſe veram & validam; ac proinde D. Joſephum Petroni abſolvendum eſſe ab impetitis pro parte Ill. Ducis Sueſſæ; nec non in donatione facta a dicto Ill. Marchione D. Dominico Petroni non eſſe comprehenſam tam medietatem bonorum antiquorum, quæ ei pervenerunt a qu. Violante Aſtuti ejus matre, quam medietatem aliorum bonorum antiquorum, forſan exiſtentium penes dictum Ill. D. Dominicum, non ſubjectorum fideicommiſſo qu. Præſidentis D. Antonii Petroni: & præſentem ſententiam non officere juribus ad dictum Ill. Ducem ſpectantibus ſuper bonis, quæ pervenerunt a linea de Aſtuto fol.* 713, Reclamatione propoſita pro parte citati D. Petri Antonii *fol.* 716.

Ad relationem R. Conſ. D. Nicolai Mariæ Veſpoli cauſæ Comm.

S. R. C. declaravit: *Bene fuiſſe judicatum per S. R. C. in ſententia prædicta fol.* 713., *ac male fuiſſe reclamatum pro parte Ill. Ducis D. Petri Antonii in ejus ſupplicatione fol.*716. *Verum donatio prædicta reſpectu bonorum ſubjectorum fideicommiſſo qu. Præſidentis D. Antonii Petroni executioni mandetur, deductis medietate medietatis bonorum antiquorum, quæ ſpectabat qu. Marchioni D. Dominico donanti ſuper bonis ejus patris, eidem derivatis ab agnatis, & cognatis, ac integra medietate legitimæ, quæ eidem donanti competebat ſuper bonis ſitis intra diſtrictum hujus Civitatis ab eodem ejus patre acquiſitis; quæ reſpective medietates cedere debeant in beneficium proximiorum maſculorum venientium ab inteſtato dicti qu. Marchionis donantis, cum conditionibus, vinculis, & ſubſtitutionibus contentis in fideicommiſſo prædicto; ac proinde auditis venientibus ab inteſtato, providebitur de dictis reſpective medietatibus; & tempore proviſionis prædictæ providebitur etiam, ſint vel non conferendi ducati* 2000. *per eundem ſupradictum*

T 2 *Mar-*

Digitized by Google

Marchionem in ejus teſtamento legati in beneficium dicti Ill. Ducis D. Petri Antonii.

Non dubitavit S. C. de validitate actus donationis prædictæ, ideo ſententiam eſſe confirmandam cenſuit. Dubitavit vero de voluntate dicti qu. Præſidentis D. Antonii Petroni, circa uſum facultatis diſponendi in dicto ejus teſtamento enunciatæ. Teſtator enim quamvis liberam facultatem diſponendi tribuiſſet, attamen verba direxit in beneficium vocatorum, ſcilicet plurium, non autem in beneficium unius ex vocatis, prout eſt caſus in *L.* 69. *ff. de leg.* 2.; contra voluntatem proinde Teſtatoris videbatur eſſe diſpoſitio prædicti D. Dominici, reſpiciens favorem tantum unius ex dictis vocatis. Et ſi forte ex contextu teſtamenti ambiguam appareret eſſe voluntatem prædictam, exiſtimavit S. C. in dubio eſſe benigne interpretandam, *L. Cum in teſtamento ff. de reb. dub.*; prout benigne illam interpretavit præcitatus qu. D. Ignatius, etiam defunctus abſque liberis, diſponendo in beneficium plurium, non autem unius ex vocatis.

Perpendit etiam S. C., quod detractiones legitimæ, & medietatis bonorum antiquorum de jure competentes præfato D. Dominico fuerunt aggregatæ fideicommiſſo prædicto, vigore actus acceptationis teſtamenti paterni ab eodem D. Dominico factæ, cum facultate diſponendi etiam in dicto teſtamento reſervata; ideo diſpoſitio, quam ipſe fecit, reſpectu dictarum detractionum, erat habenda uti propria ejus diſpoſitio, quamvis permiſſa a Teſtatore ſolummodo inter vocatos: eo magis quia ex alia parte ejuſdem teſtamenti ſic Teſtatorem cogitaſſe apparet; & nulli dubium, quod ambiguum verbum in una parte teſtamenti poſſit per aliam declarari, *L.* 17. *ff. de leg.* 1. Et cum quilibet de bonis antiquis ſitis intra diſtrictum hujus Civitatis non poteſt, niſi de medietate diſponere, propterea exiſtimavit S. C. donatio-

nationem prædictam, quoad bona propria ab eodem donante aggregata fideicommiſſo prædicto eſſe exequendam ad normam Conſuetudinis hujus Civitatis.

U.J.D. Franciſcus d'Amora Act. Mag. Joannes Scarola Scriba.

In cauſa inter Ill. D.Cyrum Laenzina Ulloa ex una, & Ill. Ducem Ceppaluni, Ill. Montem triginta Familiarum Nobilium, & Regale Monaſterium S. Claræ ex altera. Die 10. Februarii 1775.

JAm ab anno 1760. Rev. D. Vincentia della Leoneſſa, ætate major, ac Novitia in Regali Monaſterio S. Claræ hujus Civitatis, judicium inſtituit in S. R. C. contra Ill. Ducem Ceppaluni D. Fabium della Leoneſſa ejus patrem, tam pro reſtitutione dotium ducatorum 30000 D. Eliſabeth Laenzina-Ulloa ipſius Rev. D. Vincentiæ matris, defunctæ ab anno 1740., una cum convento intereſſe duc. quatuor pro centenario ex duc. 5000 libere receptis, ac ducatorum quinque in ſingulos centum ex aliis ducatis 25000 ſolutis creditoribus ejuſdem Ill. Ducis, Regio Aſſenſu præditis; quam pro ſolutione expenſarum, quæ neceſſario faciendæ erant in ſua Regulari Profeſſione, quaſque renuiſſe patrem præſtare aſſeruit probavitque. Produxit ad hanc rem inſtrumentum anni 1759., quo ducati 2500 pro expenſis ingreſſus in Novitiatum ab ea ſuper bonis ſuis dotalibus mutuati fuerunt, adjecta patris ſolidali obligatione, quoad dotes tantum, quarum debitor erat *fol.* 1. 3. 10. *&* 116. Tuebatur Ill. Dux Ceppaluni exceptione inopiæ ſuæ, divitiarumque filiæ, quibus ut in Novitiatu, ſic pro Regulari Profeſſione emittenda neceſſariis impenſis conſulere poterat; ac uſusfructus maternarum dotium, ſibi jure ſpectantis, etiam ope beneficii *ne egeat*, *fol.* 53.

Renunciationem bonorum omnium, etiam matris, ſub hæc peregit Rev. D. Vincentia die 9. Maji 1761. intuitu Profeſſionis, quam poſtea emiſit favore avunculi ſui D.Cyri Laen-

Cum, contractis nuptiis ſecundum uſum Capuanæ, & Nidi, pater excludatur a ſucceſſione filiorum in bonis maternis, conſequitur, patri ipſi jus non eſſe diſputandi de renunciatione, quam eorumdem bonorum alii fecit filia, præcipue ſi renunciandi juſtam cauſam habuit.

Filia familias, quæ Monaſterium ingreſſa ſolemnia vota emittit, ſui juris cenſetur, a patriæ poteſtatis nexu ſoluta.

Pactum ſecundum uſum Capuanæ, & Nidi illud operatur, ut parentes nec legitimam poſſint detrahere ex filiorum hereditate, ſive ex bonis, quæ ab alterutro ipſorum pervenerunt.

Salvo patri debito bonorum ſubſidio, uſusfructus bonorum mater-

Digitized by Google

norum denegatur ex Jure Conſuetudinario.

Conditio, ſive modus, qui dotationi adjicitur in alterius beneficiū, ſi per hunc ſiet, quominus adimpleatur, ejus defectus dotis præſtationem non impedit.

Laenzina Ulloa, qui pro expenſis Profeſſioni prædictæ neceſſariis mutuo acceperat ducatos 2500, ac dotem ducatorum 1500 Regali Monaſterio ſpectantem perſolvit, adeptus jurium ceſſionem contra Ill. Montem triginta Familiarum Nobilium, hic enim dotem perſolvere tenebatur Rev. D. Vincentiæ; ſed actione propoſita in S.C., ſolutionem denegavit, ob non expletam in beneficium patris renunciationem, quam ei fieri ſtatuta Ill. Montis præcipiebant. Adjectum tamen in eadem renunciatione fuit, ex fructibus maternarum dotium non ſolum ſatisfaciendum eſſe oneribus annuorum duc. 72. Capellaniæ inſtitutæ per Ill. Duciſſam ejus matrem, annuique interuſurii debiti creditori, qui mutuavit avunculo prædictos duc. 2500; ſed etiam reſervationibus in ſui beneficium, & vitalitii duc. 300, & duc. 3000 ex reliquis fructibus integre reſpondendis quotannis pro expenſis officiorum Monaſterii per eam exercendorum, & ſucceſſive aliorum ducatorum 6000 pro jure teſtandi (conflatis primis ducatis 3000) in ſingulos annuos ducatos biſcentum complendorum: atque reſervata eſt reliqua eorumdem fructuum quantitas in beneficium Ill. Ducis ipſius patris, ac avunculi D. Cyri. Hic autem hujuſmodi renunciatione uſus, judicium per ſupradictam Rev. D. Vincentiam inſtitutum, ea juvante, proſecutus fuit, exceptioneſque rei conventi Ill. Ducis Ceppaluni, præter jampridem deductas, & nullitatis renunciationis, legitimarumque detractionum ex ſorte dotali ſibi ſpectantium, fuit expertus *fol. 65. 72. & 102.*

Decreto S.R.C. die 13. Auguſti 1763. interpoſito, referente qu. Regio Conſiliario Latilla, terminus datus eſt ſuper omnibus hinc inde deductis, audito etiam Ill. Monte triginta Familiarum Nobilium, & mandatum fuit Ill. Duci Ceppaluni, ultra annuos duc. 72. Capellano prædicto debitos, depoſitum annuorum duc. 735, reſervata proviſione circa eorumdem liberationem, tam pro

pro vitalitio ſpectante prædictæ Rev. D. Vincentiæ, quam pro duplici interuſurio quantitatum mutuatarum pro ejus Novitiatu, & Profeſſione *fol.* 149. Nullitates adverſus hujuſmodi decretum D. Cyrus produxit, cui neptis inhæſit *fol.* 152. *&* 157.; quæ tandem prius acceptavit decretum, quod pater exequi paſſus fuit, depoſito facto annuorum duc. 735, poſtea vero ab avunculo receſſit; ac etiam nomine Regalis Monaſterii judicium inſtituit anno 1768. nullitatis, ac reſolutionis, ob inadimplementa renunciatarii, renunciationis factæ anno 1761. *fol.* 233.

Quæ omnia cum fuiſſent per Dominum Commiſſarium relata in S. C., alterum prodiit decretum, quo nullitates non obſtare fuit declaratum, datuſque pariter terminus ſuper judicio moto per Regale Monaſterium S. Claræ: & additum liberari depoſitum in beneficium Rev. D. Vincentiæ in annuos ducatos 300, liberari pariter favore D. Cyri annuos ducatos 125. ab eo ſolvendos creditori, qui mutuaverat impenſas factas pro ejus Regulari Profeſſione; & demum licere Ill. Duci Ceppaluni in cauſam ejuſdem depoſiti retinere annuos duc. 100, ſolvendos ei, qui mutuam dedit pecuniam pro expenſis Novitiatus filiæ ſuæ *fol.* 292.

Compilato termino ordinario, teſtibus tantum per Regale Monaſterium S. Claræ productis *fol.* 449. *&* 460. *ad* 472., die 15. Auguſti 1769. duobus inſtrumentis Rev. D. Vincentia, cum interventu Rev. Abbatiſſæ, ceterarumque Monialium rebus Regalis Monaſterii agendis præfectarum, declaravit, in animo ſuo haud fuiſſe, renunciando anno 1761. D. Cyro ejus avunculo, patrem ab uſufructu maternarum dotium, ceteriſque detractionibus ex ſorte dotali ab eo in S. C. deductis, repellere; unde revocata priori renunciatione, alteram in ejus beneficium explevit, remiſſis ei ducatis 5000 ex 6000 ſibi reſervatis pro jure teſtandi, quique ex annuis duc. 200 com-

complendi erant, poſt coacervationem duc. 3000, reſervatorum pro expenſis officiorum, quibus tunc declaravit deficere tantum ducatos 655, ſed rectius dixiſſet ducatos 455, ſi addidiſſet vitalitiis annuis duc. 300 receptis ducatos 200 per D. Cyrum proprio ære ſolutos *fol.* 113. 594. 480. *&* 533.

Quibus actis, & deſtitit Ill. Dux D. Fabius a depoſito annuorum duc. 210, excedentium annuas ſolutiones, ex depoſito ducatorum 735 per S.C. anno 1768. decreto; & Ill. Mons triginta Familiarum Nobilium depoſuit apud acta S.C. ducatos 1500 dotis Rev. D. Vincentiæ ſpectantis, conditione in depoſito, & in ejus comparitione adjecta, quod attenta renunciatione peracta anno 1769. favore patris, cum filiæ deberentur, liberandi eſſent in beneficium Ill. Ducis Ceppaluni, & ejus nomine illi, qui D. Cyro mutuavit pecuniam pro expenſis Regularis Profeſſionis; ſi tamen aliter S.C. videretur, ac renunciatio anni 1761. favore avunculi firma eſſet, depoſitum ſibi eſſet reſtituendum *fol.* 554. *&* 558.: quibus D. Cyrus oppoſuit, in ſui beneficium depoſitum liberandum eſſe, prius in cauſam intereſſe, cui Mons in pœnam moræ tenebatur, ac demum in partem ſortis ducatorum 1500, ad cujus complementum Ill. Mons itidem tenebatur *fol.* 519.

Duo hinc prodierunt Regia reſcripta, primo quorum mandatus fuit interventus Regii Conſiliarii Gentilis Fiſci Patroni Regalis Cameræ Allodialium, qui jura proximæ devolutionis feudi Mirabellæ, ſecuto obitu abſque ſucceſſoribus Ill. Ducis D. Fabii, tueretur *fol.* 563.; & altero ſtatutum, renuente Fiſco Allodialium, quod S.C. in præſenti cauſa jus diceret; ſententia vero ferenda juribus Regii Fiſci, neque agendo, neque excipiendo, rei judicatæ exceptionem parere unquam poſſet *fol.* 577. His itaque omnibus perpenſis,

Referente D. Hippolyto Porcinari R. Conſ. & cauſa Comm.

S.R.C.

S. R. C. declarat, *Renunciationem expletam per Rev. D. Vincentiam della Leoneſſa tempore ſolemnis ejus Regularis Profeſſionis in Regali Monaſterio S. Claræ hujus Civitatis in beneficium D. Cyri Laenzina Ulloa, virtute inſtrumenti diei 9. Maji anni 1761. fol. 72., eſſe validam, ac eſſe exequendam; ac proinde condemnandum eſſe Ill. Ducem Ceppaluni D. Fabium della Leoneſſa ad ſolvendum in beneficium ejuſdem D. Cyri intra annos quatuor a die præſentis ſententiæ, ad rationem ducatorum 1500 quolibet anno, ducatos 5000, libere ab eo receptos in computum dotium qu. Ill. Duciſſæ Ceppaluni D. Eliſabeth Ulloa uxoris ipſius Ill. Ducis; & ad præſtandum, a die pariter præſentis ſententiæ pro nunc, tam annualitates reliquorum ducatorum 25000, pendente eorum reſtitutione, quam intereſſe dictorum ducatorum 5000, pendente eorum ſolutione, pro ducatis quatuor in ſingulos centum ſortis quotannis: ſalva proviſione facienda per S.C. reſpectu tam intereſſe, ac annualitatum decurſarum a die emiſſæ Profeſſionis ipſius Rev. D. Vincentiæ uſque ad diem præſentis ſententiæ, quam ducatorum 200 per eundem D. Cyrum ipſi ſolutorum in cauſam ſui vitalitii.*

Inſuper S. C. declarat, *ex ſorte dotali ducatorum 30000 deberi Ill. Duci D. Fabio tam capitale ducatorum 2500, per eum ſolutorum pro expenſis Novitiatus prædictæ Rev. D. Vincentiæ, una cum annuo eorum interuſurio ducatorum 100, quos eidem liceat retinere ex annualitatibus prædictis; quam capitale, ad rationem ducatorum trium cum dimidio pro quolibet centenario, annuorum ducatorum 72 ſolvendorum ex eiſdem annualitatibus pro Capellania inſtituta per præfatam qu. Ill. Duciſſam D. Eliſabeth Laenzina Ulloa; pro reliquis vero detractionibus per ſupradictum Ill. Ducem prætenſis, eundem D. Cyrum Laenzina Ulloa eſſe abſolvendum. Onera inſuper in prænarrata renunciatione etiam favo-*

re Ill. Ducis D. Fabii præfato D. Cyro injuncta, eſſe per eum adimplenda, retentis tamen in ſui beneficium annuis ducatis 125, *ei debitis etiam virtute decreti S.C. anni* 1768. *ex cauſa expenſarum Profeſſionis ipſius Rev. D. Vincentiæ; annuoſque ducatos* 200, *ſibi per eam reſervatos, pro conficiendo multiplico ducatorum* 6000, *poſt expletum multiplicum ducatorum* 3000, *deberi ſupradicto Ill. Duci, ſive eidem Rev. D. Vincentiæ juxta inter eos conventa in anno* 1769., *quouſque ex annuis ducatis* 200 *ſumma ducatorum* 6000 *completa fuerit: nec non ducatos* 5000 *per Ill. Ducem ſolvendos virtute præſentis ſententiæ eſſe convertendos per dictum D. Cyrum in emptionem pro cautela tam præcitatæ Capellaniæ, & debiti expenſarum Novitiatus prædictæ Rev. D. Vincentiæ, quam ipſius Ill. Ducis reſpectu ratæ annualitatum prædictarum ei ſpectantis, ſervata forma prænarratæ renunciationis.*

Præterea idem S. C. declarat, *depoſitum ducatorum* 1500, *factum per Ill. Montem triginta Familiarum Nobilium ex cauſa dotis debitæ ex propria ejus perſona Rev. D. Vincentiæ della Leoneſſa, eſſe liberandum juxta ſtatuta ejuſdem Ill. Montis fol.*138. *in beneficium prædicti D. Cyri Laenzina Ulloa ceſſionarii ipſius dotis virtute inſtrumenti diei* 15. *Junii* 1761. *fol.* 216.; *conditionatum tamen pro eo ſolvendo in partem æris alieni, contracti pro expenſis Profeſſionis ejuſdem Rev. D. Vincentiæ. Pro prætenſo vero intereſſe uſque ad diem depoſiti, eſſe abſolvendum ab impetitis per dictum D. Cyrum præfatum Ill. Montem; qui tamen continuet ſolutionem annuorum ducatorum* 50 *prædictæ D. Vincentiæ ex cauſa vitalitii per dictum Ill. Montem juxta ſtatuta ei debiti.*

Pro obſervantia denique Regalis reſcripti diei 13. *Auguſti anni* 1774. *fol.*577., *præſens ſententia non officiat, neque agendo, neque excipiendo, juribus Regii Fiſci Allodialis, neque exceptionem habeat rei judicatæ in cauſa*

Digitized by Google

ſa devolutionis feudi Mirabellæ . Neutram partem in expenſis condemnando .

Siquidem jure cenſuit S.C., renunciationem peractam anno 1761. per Rev. D. Vincentiam della Leoneſſa in beneficium D. Cyri Laenzina Ulloa objectis vitiis per Ill. Ducem Ceppaluni carere; nec ullam habendam eſſe rationem tam declarationis, quam renunciationis favore ejuſdem Ill. Ducis, quas ipſius filia, ac Regale Monaſterium S. Claræ explerunt anno 1769.

Deficere primum viſum eſt Ill. Duci Ceppaluni jus dicendi nullam renunciationem anni 1761. Cum ejus nuptiæ cum Ill. D. Eliſabeth Laenzina Ulloa juxta uſum Nobilium Capuanæ, & Nidi initæ fuerint, ſicque ab eo renunciatum ſucceſſioni filiorum in bonis matris; ſequitur, ipſi ſucceſſionis filiæ incapaci jus deficere geſta per eam in dubium revocare. Renunciatio præterea hujuſmodi juſtam cauſam habuit ob præſtitum per D. Cyrum Laenzina Ulloa nepti ſuæ modum, aliena pecunia in ſumma ducatorum 2500 mutuo accepta, emittendi in Regali Monaſterio S. Claræ Regularem Profeſſionem, filiæ judiciarie negatum per Ill. Ducem Ceppaluni; litemque ab eo ſuſceptam in S.C., ut dotium maternarum uſumfructum integre retineret, utque filia ex iiſdem dotibus impenſis Profeſſionis conſuleret, haud ſecus ac impenſis neceſſariis pro ingreſſu in Novitiatu proviſum fuerat anno 1759., ære alieno contracto in ducatis 2500 ab ipſamet Rev. D. Vincentia ſuper ejus bonis dotalibus maternis, cum in ſolidum obligatione patris, qui tantum eaſdem dotes, quarum debitor erat, hypothecæ mutuanti ſubjecit: & hoc, poſtquam Clementiſſimi Regis Catholici mandato Regius Conſiliarius, tunc Aulæ S.C. Præfectus D. Joſeph Romano, fruſtra operam dediſſet, ne filia patrem in jus vocaret; & impenſis Profeſſioni ejus Regulari neceſſariis incumberet; & Regio juſſu S.C. demandatum

 fue-

fuerit jus dicere; unde Rev. D. Vincentia reſtitutionem maternarum dotium, cum fructibus a die mortis matris petiiſſet, contradictoremque ſuum patrem ipſum fuiſſet experta. Jure enim cautum eſt, filium familias ob juſtam cauſam poſſe etiam donare, *L.7. ff. de donat.*

Rejecta præterea eſt doli exceptio, quam Ill. Duci Ceppaluni, ipſique Rev. D. Vincentiæ an. 1768. renunciationi ejus an. 1761. objicere placuit; cum in termino ſatis inepte, nec etiam probata dici poſſit; & ſolemnia, pro more ſemper in Regali Monaſterio ſervato, in eadem renunciatione minime deficere viſa ſint. Notarius quippe Regalis Monaſterii teſtatus fuit, abſque interventu Rev. Abbatiſſæ, ac Monialium Collegii, quæ rebus ſolemniter Monaſterii agendis præſunt, & abſque licentia ipſius Ordinarii, Novitias ſemper conſueviſſe earum renunciationes, *Teſtamenta* nuncupatas, peragere; nec de poteſtate Rev. D. Vincentiæ, ſive teſtandi, ſive donandi, ſive renunciandi abſque conſenſu patris quæſtio fieri poterat. Ea enim majorem ætatem anno 1761. jamdiu exceſſerat, ſuique juris cenſenda erat, ac Patriæ poteſtatis nexu ſoluta, quum ſæculo moritura ſolemnia Deo vota emiſit, eique ſe ſpirituali matrimonio conjunxit. *Virgines Veſtæ in poteſtate parentum eſſe deſinebant*, *quum capiebantur*, teſte Ulpiano in *Fragm. tit. X.*; ſubditque Gellius *Noct. Attic. lib.* 1. *cap.* 13., ſine emancipatione, ac ſine capitis deminutione e patris poteſtate eas exire, & jus teſtamenti faciendi eas adipiſci: quod etiam habetur ex *L.* 3. *§. ult. ad S. C. Maced.*, *L.* 1. *Quod cum eo, qui in aliena poteſt.*, *L.* 1. *§. ſed & ſi alio ff. quando de peculio*; & hinc Epiſcopos, & Clericos Patriæ poteſtatis nexu ſolutos, Jus Chriſtianum decrevit, *L.* 34. *C. de Epiſc. & Cler.*, *Nov.* 81. *&* 123. *Auth. Presbyteros*. Quibus & addi poteſt majori ratione Conſuetud. Neap. *Sed & mulier*, filias temporali matrimonio conjunctas, non ob-

obſtante quod emancipatæ non fuerint, eo ipſo quod nubunt, fieri ſui juris. Præterea, cum ageretur de bonis maternis (de quibus tantum in præſenti judicio actum fuit) Conſuetudines *Filius familias*, & *Si mulier nupta* Rev. D. Vincentiæ plenam poteſtatem diſponendi tribuebant; prima enim ſtatuit, filias familias poſſe de bonis adventitiis, a matre præmortua, vel aliis ex linea materna obvenientibus, teſtari, ſalvo debito parenti bonorum ſubſidio. Conſuetudine vero *Si mulier nupta* cautum, ſi filii nolint, vel non poſſint ſtare cum patre, dotem, & bona præmortuæ matris incontinenti eis reſtitui. Hinc Prudentum, rerumque judicatarum conſenſu (qui ex *L.* 1. *C. quæ ſit longa conſuetudo*, *&* *LL.* 33. 34. 35. 36. 37. *&* 38. *de legib.* legum interpetrationi adhiberi poteſt) ſemper habitum fuit, Neapolitanas filias familias, cum nolint, vel non poſſint ſtare cum patre, teſtari, donare, ac majori ratione oneroſe renunciare poſſe bona materna, ſine conſenſu patris.

Quæ cum ita eſſent, S. C. nec ob prætenſum ab Ill. Duce Ceppaluni pactis renunciatarii D. Cyri defectum, nec virtute declarationis, alteriuſque renunciationis per Rev. D. Vincentiam anno 1769. expletarum, quid detrimenti capere priorem renunciationem anni 1761. exiſtimavit. Figmentum ſane erat, ea renunciatarium teneri proprio ære annuas reſervatas præſtationes renuncianti perſolvere; hæ enim ipſo inſtrumento renunciationis conventæ inſpiciuntur ex eiſdem fructibus renunciatorum bonorum; onuſque tantum D. Cyro injunctum ſolvendi dotem, ac neceſſarias Regulari Profeſſioni emittendæ impenſas præbere: quæ per eum impleta fuerunt. Nec inde viſum eſt, licuiſſe renuncianti, ac Monaſterio, perfecta, ac impleta renunciatione, & donatione anni 1761., ſive declarare in ejus animo fuiſſe patri deberi detractiones omnes per eum in judicium dedu-

deductas, *L. 4. C. de donat. quæ ſub modo fiunt*, ſive priori revocata, alteram renunciationem in ipſius beneficium explere.

Præterquam quod, quum die 9. Septembris ejuſdem anni 1769. Sapientiſſimi Regis noſtri prodiiſſet lex, qua *amortizatio* bonorum, novæque locorum Eccleſiaſticorum adquiſitiones vetitæ in poſterum fuerunt; Regiaque hujus ultimæ legis declaratione anni 1770. cautum extitit, in ea comprehendi etiam bona, quorum poſſeſſio anteriori, ſive coæva quacumque contradictione Eccleſiaſticis Collegiis in dubium fuerit revocata; hinc ſequi viſum fuit, quod etſi validitas prioris renunciationis dubia eſſet, ac renunciatarii in adimplementum ei objici poſſet, lis de ea agebatur, antequam altera fieret renunciatio anno 1769. in beneficium Ill. Ducis Ceppaluni, & Rev. D. Vincentia, ac Monaſterium ex ejus perſona non poterat poſterioribus declaratione, & renunciatione jus aliquod Ill. Duci transferre.

His præhabitis, firmataque ſic renunciatione anni 1761, ad detractiones ex ſorte, ac fructibus dotium Ill. Ducisſæ D. Eliſabeth Laenzina Ulloa, ab eo deductas, deventum.

Prima eorum ducatorum 5000. ex ducatis 6000. reſervatis in eadem renunciatione, alteroque ex inſtrumentis anni 1769. per filiam ei renunciatorum, ſatis apte negata eſt. Eam quippe in inſtrumento renunciationis anni 1761. non ex ſorte dotium, ſed ex fructibus bonorum D. Cyro Laenzina Ulloa renunciatorum ſibi Rev. D. Vincentia reſervavit; eamque S. C. in beneficium ipſius Ill. Ducis, ejuſdemque Rev. D. Vincentiæ ſartam tectamque ſervavit præſenti ſententia, qua juxta convēnta, annuos ducatos biſcentum ex reditibus maternæ dotis ab Ill. Duce debitis percipi mandavit, quouſque compleretur, facto computo integrorum fructuum ab anno 1761., reſervata quantitas ducatorum 6000.

6000. Altera pariter ducatorum 5000. prætenſa detractio viſa fuit merito inepta.

Libera quantitas hæc infra dotes ducatorum 30000 fuit per dotantem ſponſo ſoluta, ac dicebatur converſa pro expenſis matrimonii, ejuſque reſtitutio, ſoluto matrimonio, in tabulis nuptialibus infra quadriennium (quod pluries elapſum erat ab anno 1740., quo diem clauſit extremum Ill. Duciſſa D. Eliſabeth) ſtatuta fuit, convento poſtea intereſſe pro ducatis quatuor in ſingulis ducatis 100 quotannis. Prorſus hinc rejicienda erat eorum retentio, quæ jure expenſarum matrimonii fulciebatur, quibus nunc primum ex ipſa dote virum teneri auditum fuit, & ab ea deduci poſſe. Jure igitur S. C. pactum ſervando, inter dotes eoſdem ducatos 5000 recenſuit, & ad ipſorum reſtitutionem, ab anno 1744. jam debitam, Ill. Ducem Ceppaluni damnavit. Ne autem ingenti debito unica ſolutione is prægravaretur, ea in quatuor vices diſtinxit, ſervando æquitatem, juſtitiæ non adverſam, ob conventi interuſurii interim præſtationem decretam favore D. Cyri Laenzina Ulloa.

Legatorum inſuper quantitatis in teſtamento Ill. Duciſſæ Ceppaluni relictorum detractio facienda erat ex ſorte dotium, tum quia Ill. Dux Ceppaluni filiæ impuberis matris heredis tutor relictus inventarium non fecit; tum etiam quia pingues dotis fructus exegit ab anno 1740, quo uxor obiit, ad annum uſque 1761., quo Rev. D. Vincentia ſolemnem Regularem Profeſſionem emiſit, ac bona ſua renunciavit, nullo alio ſuſcepto onere, quam annuorum duc. 70, pro ejus alimentis Regali Monaſterio S. Claræ, ubi educata fuit, præſtitorum.

Sic pariter detractioni legitimæ haud locum eſſe S. C. cenſuit, obſtante pacto Capuanæ, & Nidi, quo nuptiæ inter Ill. Ducem Ceppaluni, ac Ill. D. Eliſabeth Laenzina Ulloa initæ fuere, etſi Rev. D. Vincentiæ renunciatio teſtamento potius, quam actui inter vivos exequa-

Digitized by Google

quaretur. Renunciatum enim fuiſſe per conjuges, tam teſtatæ, quam inteſtatæ ſucceſſioni filiorum, ac præcipue legitimæ in bonis, quæ ab alterutro ipſorum eis obvenerunt, tenor pacti a Matthæo Afflicto in *dec.* 237. integre ac fuſius, quam a Camillo Salerno in Conſuetudine *Si quis, vel ſi qua* relatus, teſtatur, rerumque judicatarum, ſenſuſque Prudentum; & Imperator noſter Severus (ut ait *L.* 38. *de legib.*) reſcripſit, *in ambiguitatibus, quæ ex Legibus* (cui vi pacti uſus Capuanæ, & Nidi æquari poteſt) *proficiſcuntur, conſuetudinem, aut rerum perpetuo ſimiliter judicatarum vim Legis obtinere debere*.

Merito contra viſum eſt, ex dote deducere, & ex ſorte ducatorum 5000 reſtituendorum cautum reddere onus annuorum duc. 72. per eandem Ill. Duciſſam D. Eliſabeth filiæ heredi teſtamento injunctum, pro piis ſuffragiis æternæ animæ ſuæ ſaluti præſtandis per Sacerdotem eligendum ab Ill. Duciſſa Ceppaluni D. Lucretia Caracciolo, ejuſque heredibus, aſſignato hujuſmodi præſtationi capitale, quod in præſentiarum reddit annuos ducatos 72. Ac jure pariter in beneficium Ill. Ducis D. Fabii deberi ſancitum ex ipſa ſorte dotium ducatos 2500, mutuo ab eo in ſolidum cum Rev. D. Vincentia filia ſua ex eiſdem bonis dotalibus acceptos, pro expenſis ingreſſus in Novitiatum, eorumque ſecuritati providere, decreta converſione in emptionem ſortis prædictæ ducatorum 5000. Cautum enim eſt *L.* 7. *C. de dotis promiſſ.* ex bonis filiæ divitis (qualis Rev. D. Vincentia cenſenda erat) non ex inope patre, dotem profeciſſe videri; ac doti S. C. æquavit æs alienum ſuſceptum pro hujuſmodi impenſis, eo maxime quia S. C. decreto anni 1768. ex fructibus dotium maternarum retentio interuſurii, mutuanti debiti, Ill. Duci conceſſa fuit.

Ab uſusfructus demum quoad vixerit detractione viſum

eſt

eſt S. C. Ill. Ducem repellere. Neapolitana ſiquidem Conſuetudo *Filius familias*, filiis familias, perinde ac ſi pater, & mater familias eſſent, de bonis maternis teſtari ſinit, ſalvo patri debito bonorum ſubſidio, quod uſusfructus vicem obtinet. Et Conſuetudo *Si mulier nupta*, vivente filio, cum nolit, vel non poſſit ſtare cum patre (ut fuit in præſenti caſu) negat uſumfructum patri in bonis maternis, verbis diſertis, quibus dotem, ac bona maternæ lineæ *ad filium reverti*, *reſtitui incontinenti*, ſtatuit; ſic corrigendo jus Romanorum, quo bonorum maternorum uſusfructus patri debetur, etiam filio præmortuo, *L.4. C. de bonis mater. L. ult. C. de uſufr. & habit.*

Nec ratio ulla habita eſt beneficii *deducto ne egeat*, quod per Ill. Ducem fuit exoptatum, ne uſufructu maternarum dotium, quoad viveret, orbaretur, tum quia nulla probatio edita fuit egeſtatis Ill. Ducis, quæ beneficio *ne egeat*, aut ſaltem ſubſidiariis alimentis contra filiam locum daret; tum quia Conſuetudo *Ubi dos* ad dotis reſtitutionem maritum compellit, non obſtante Lege., quæ in caſibus dotis reſtituendæ condemnationem, & exactionem fieri vult in quantum ipſe, qui ad reſtituendam dotem tenetur, facere poteſt, habita ratione, ne egeat. Additumque his fuit, in renunciatione anni 1761. Rev. D. Vincentiam patri conſuluiſſe, injuncto renunciatario onere ei præſtandi medietatem fructuum maternæ dotis, qui reſervationes ſibi ad ſuique commodum converſas excederent: qua ratione viſum fuit S. C., ut cautelæ Ill. Ducis etiam proſpiceret, vinculum tutæ emptionis ducatorum 5000. prædicto D. Cyro ſolvendorum imponere.

Quæ omnia cum ita eſſent, debuiſſet S. C. hac præſenti ſententia a die, quo renunciatio expleta fuit, Ill. Ducem damnare ad ſolutionem conventi interuſurii ducatorum 5000 libere in computum dotium receptorum,

& annualitatum debitarum pro ducatis quinque in ſingulis centum reliquorum duc. 25000 creditoribus ejuſdem Ill Ducis ſolutorum, deductis tantum quantitatibus virtute decreti S. C. anni 1768. depoſitis. At ne prægravi hoc debito, alteroque ducatorum 5000 deſuper expoſito obrueretur, cenſuit, annualitates ducatorum 25000 ad ducatos quatuor pro 100 reducere; & pro nunc a die præſentis ſententiæ jus ſuum D. Cyro Laenzina Ulloa tribuere, atque renunciationi an. 1761. executionem præbere; reſervata proviſione pro interuſurio, & annualitatibus præteriti temporis; ſalvo tamen tunc jure recipiendi ducatos 200 proprio ære, & præter pacta renunciationis Rev. D. Vincentiæ ſolutos; nec impedita tamen eidem ex annuo fructu debito Ill. Duci Ceppaluni perceptione ducatorum 125, quos præſtat mutuanti pro ducatis 2500 impenſis in Regulari Profeſſione ſuæ neptis.

Poſtremo inſuper hujus ſententiæ capite jus dictum eſt Ill. Monti triginta Familiarum Nobilium. Is enim dotem ingreſſarum ducatorum 1500 fœminis familiarum, quæ Montis erectionem ſtatuerunt; ſpectantem, ſolvere negavit, ob inadimplementum conditionis ſtatutis Montis adjectæ, renunciationis ſcilicet faciendæ patri, fratribus, ceteriſque de jure onus dotandi habentibus. Sed S. C. cenſuit, hujuſmodi ſive conditionis, ſive modi defectum non obſtare Rev. D. Vincentiæ, ex propria perſona in ſtatutis vocatæ, ejuſque ceſſionario D. Cyro Laenzina Ulloa; ac depoſitum factum per Ill. Montem eidem D. Cyro eſſe liberandum, ſervata per dictum Ill. Montem conditione impoſita ſolvendi mutuanti ducatos 2500 pro expenſis Profeſſionis Rev. D. Vincentiæ, cui eſſe ſolvendos annuos ducatos 50, Monialibus debitos, & per Ill. Montem ei a die Regularis Profeſſionis ſolutos; cum enim per Ill. Ducem Ceppaluni ſteterit, non ſibi, ſed avunculo juſta de cauſa, ut ſupra

rela.

relatum fuit, renunciationem fieri; legatum, cui ſive modus, ſive conditio adjecta fuit, debetur, etſi non fuerit impleta, *L. Si Titio* 85. *ff. de legat.* 1. Eoque magis dos prædictæ Rev. D. Vincentiæ, ac ceſſionario ſuo debebatur, quia in eiſdem Ill. Montis ſtatutis cautum legitur, tam dotem, quam annuos ducatos 50 deberi Moniali, eique, favore cujus diſponeret; ſi ab alio Monte, Monaſterium ingreſſarum dotem reciperet: quod certe cauſæ huic aptari poterat, cum non ab alio Monte, ſed a D. Cyro Laenzina Ulloa Monaſterium S. Claræ ejus dotem recepit, juraque ſua ceſſit contra Ill. Montem triginta Familiarum pro ea ſibi reficienda. Nec ulla ratio habita fuit atteſtationis Rev. Abbatiſſæ, quæ dotes Monialium hujus Monaſterii eſſe ſive ducatorum 800, ſive ducatorum 1000 fatetur *fol.* 595.; dos enim Rev. D. Vincentiæ, Regali Monaſterio ſoluta, fuit duc. 1500, beneficioque ceſſionarii D. Cyri cedere debebat dos, forte major ſolita dote, per Ill. Montem debita. Ab intereſſe tamen per prædictum D. Cyrum prætenſo uſque ad ann. 1770., quo depoſitum per Ill Montem ducatorum 1500 fuit expletum, eumdem abſolvere S. C. decrevit; quippe qui juſtam cauſam differendi hujuſmodi dotis ſolutionem habuit, ſi S. C. deciſione indigebat dubium, quod ex ſtatutis oriebatur, an dos deberetur, non impleta conditione ſive modo renunciationis in beneficium conjunctorum, quorum eſſet onus dotandi; & an alteri Monti, qui dotem Monaſterio ſolveret, avunculus, qui dotem pro nepte præbuit, exæquari poſſet; & jure cautum eſt moram, qua intereſſe non conventum debetur, non contrahi ab eo, qui juſta, aut dubia cauſa debiti differt ſolutionem, *L.* 9. *§.* 1. *L.* 17. *§.* 3. *L.* 21. 24. 27. *ff. de uſuris, & fruct.* Hiſque addebatur, non ſatis liquere, ducatos 1500 ex cauſa dotis prædictæ Rev. D. Vincentiæ Regali Monaſterio per D. Cyrum ſolutos,

 aliun-

aliunde proveniſſe, quam ex ducatis 2500 ipſi mutuatis pro impenſis ejus Profeſſionis; & hinc jam fuiſſe indemnitati ceſſionarii D. Cyri conſultum, eumque fructus ſolutæ dotis recipere ex annua in ejus beneficium decreta ab anno 1768. ſolutione ducatorum 125 mutuanti ducatos 2500. debitorum.

Ad expenſas denique neutra pars damnata eſt, ob dubium litis eventum, quæ certe S. C. ſententiam merebatur.

Baſilius Baſile Act. Mag. Joſeph Santelia Scriba.

In cauſa inter Rev. Abbates S. Petri in Curtem, & S. Mariæ Mater Domini, *Rev. Epiſcopum Civitatis Nuceriæ Paganorum, & Ven. Monaſterium Trinitatis Cavæ ex una, & Ill. Principem D. Gilibertum Pium a Sabaudia Ducem Civitatis Nuceriæ Paganorum ex altera. Die* 11. *Februarii* 1775.

Poſſeſſio antiquiſſima, quam Eccleſiæ quædam, Monaſteria, & laici habent juriſdictionem exercendi ſuper quibuſdam familiis in alienis feudis, ſervanda eſt.

IN hac cauſa S. R. M. die 24. Octobris elapſi anni 1774. reſcripſit quæ ſequuntur.

Ha riferito il Conſiglio, che colla compilazione del termine ſiaſi legittimamente provato, che l'Abate di S. Pietro in Curte, l'Abate di S. Maria Materdomini, la Menſa Veſcovile di Nocera de' Pagani, ed il Monaſtero della Trinità della Cava, ſieno in uno immemorabile antichiſſimo poſſeſſo di eſercitare, ciaſcheduno di loro, giuriſdizione civile ſopra alcune particolari reſpettive famiglie, e perſone dello Stato di Nocera; e che vi mantengano i reſpettivi Governadori coll' eſercizio della giuriſdizione ſuddetta: Ha ſoggiunto, che queſte quattro riſpettive giuriſdizioni ſi poſſedevano, prima che Filippo IV. concedeſſe nel 1658 *lo Stato di Nocera al Marcheſe di Caſtel Rodrigo D. Franceſco de Mora y Corte Real, dal quale ha cauſa l' odierno Principe D. Gilberto Pio di Savoja Duca di Nocera: che il Re Filippo IV. nel concedere l' inveſtitura dello Stato, e Caſali di Nocera, volle, che rimaneſſe intiero, ed il-*

leſo

leſo il dritto di qualunque terzo : e finalmente ha dimoſtrato, non eſſer nuovo di poſſederſi nel Regno sì fatte giuriſdizioni Civili dalle Chieſe, Moniſteri, e Laici su di certe particolari famiglie negli altrui Feudi; e ne ha addotto diverſi eſempj ; ed a tal effetto con uniformità di voti è concorſo nel ſentimento, che all' odierno Duca di Nocera niun dritto appartenga di moleſtare i Poſſeſſori ſuddetti, con pretendere di reſtrignere tutta la giuriſdizione alla ſola Corte Locale, e Bajulare della Città di Nocera. E perchè ha conſiderato che il Principe Pio, odierno Poſſeſſore dello Stato di Nocera, trovaſi ſenza legittimo ſucceſſore ne' feudali; ſicchè potrebbe eſſervi pel Regio Fiſco probabile ſperanza di devoluzione ; ed all' incontro queſto giudizio per iſpeziale Real ordine ſi è trattato in Conſiglio, e non è ſtato nelle forme legittime inteſo il Fiſco ; ha perciò ſoggiunto, che accadendo il caſo della devoluzione, debbano reſtar ſalve ed illeſe tutte e qualſivogliano ragioni, ſe mai gli competono, al Regio Fiſco, da poterle ſperimentare a ſuo tempo nel ſuo Tribunale competente. Il Re ne rimane informato. Vuole che il Conſiglio intimi il ſuo decreto, colla propoſta riſerva di ragioni in beneficio del Fiſco in caſo di devoluzione, e dia luogo a' gravami legittimi ; e mi comanda prevenire V.S.Ill., acciò ne diſponga l' eſecuzione. Palazzo 29. Ottobre 1774. Carlo Demarco. fol. 331. Attentis his,

Ad relationem R. Conſ. D. Horatii Guidotti cauſa Comm.

S. R. C. dixit : *Nullum jus competere Ill. Duci Nuceriæ Paganorum pro prætenſa juriſdictione cauſarum civilium ſuper certas perſonas, atque familias, ut ex actis ; ac proinde Rev. Abbates S. Petri in Curtem, & S. Mariæ* Materdomini, *Rev. Epiſcopum Civitatis Nuceriæ Paganorum, & Ven. Monaſterium Trinitatis Cavæ eſſe abſolvendos ab impetitis nomine præfati Ill. Ducis : ſalvis tamen juribus, ſi quæ competunt, Regio Fiſco, coram*

ram proprio Judice experiundis in caſu devolutionis, ſive reverſionis in ejus beneficium prædictæ Civitatis, & Status Nuceriæ.

Ratio judicandi ſatis ſuperque ex ſuperius relato Regio Reſcripto habetur.

Doct. Euphebius Girardi Act. Mag. Cajetanus Angarano. Scriba.

In cauſa inter magn. Curatorem Patrimonii magn. Joſephi Gargiulo ex una, & magn. Petrum Marano ex altera. Die 15. Februarii 1775.

Filius familias obligatus pro re patris, ipſiuſque juſſu, ſi conſtiterit de minis, & verberibus; de patria poteſtate; atque minore ætate paullo ante obligationem finita, non tenetur de proprio, neque ultra vires paternæ hereditatis.

MAgn Curator Patrimonii Joſephi Gargiulo reclamavit a ſententia lata per S. R. C. die 1. Septembris 1773. *fol.* 104., qua Petrus Marano qu. Bartholomæi filius condemnatur ad ſolvendum in bonis hereditariis paternis ducatos 200 favore dicti Curatoris, non obſtante, quod duabus apochis bancariis ſe obligaviſſet anno 1752. & & 1753. cum ejus patre in ſolidum favore præcitati Gargiulo *fol.* 2. & 3. Excipiebat vero Petrus Marano, ſe obligaviſſe metu reverentiali erga patrem, & dum erat ſub patria poteſtate pro debito patris, cujus hereditatem licet adierit; attamen ſolemne confecit inventarium, citato ſignanter creditore Gargiulo *fol.* 34.; ac propterea non teneri nomine proprio; & ſententiam S. C. recte prolatam, fore confirmandam, reclamatione rejecta.

Secundum ea, quæ ex actis liquent, clarum eſt, diſpoſita per Sen. Conſ. Maced. a præſenti cauſa eſſe prorſus aliena. Filius quippe mutuo pecuniam non accepit, ut ipſa abuteretur, ſed juſſu, & pro re patris, minis, ac verberibus præcedentibus (juxta teſtimonia *fol* 45. *ad* 58.) ſe in ſolidum obligavit: quo caſu, expreſſi ſunt textus in *L.* 2. & 4. *C. quod cum eo &c.*, non teneri filium de proprio, nec ultra vires paternæ hereditatis, præſertim permanente patria poteſtate, ac attenta ætate filii,

filii, qui de recenti compleverat annos decem & octo, ut ex fide Baptiſmatis *fol.* 119. : quæ omnia abunde demonſtrant allatæ ſententiæ juſtitiam. Eapropter

Ad relationem R. Conſ. D. Antonii Carpentiero cauſæ Comm.

S. R. C. dixit: *Bene fuiſſe per S. R. C. ſententiatum, & male fuiſſe reclamatum per dictum magn. Curatorem; ac proinde allata ſententia executioni mandetur in bonis hereditariis qu. Bartholomæi Marano, etiam pro aliis ducatis* 49, *& aſſ.* 43.

Marcus Antonius Quaranta Act. Mag. Salvator de Nicola Scriba.

In cauſa magn. D. Nicolai Topputo ex una, & Ill. Marchionem D. Scipionem, alioſque de Brancia ex altera. Die 15. *Februarii* 1775.

Hieronymus Taurellius anno 1700. conſtituit dotem duc. 3000, adjecta omnium ejus bonorum obligatione cum conſtituto & precario *fol.* 182. *ad* 188., Æmiliæ filiæ nuptæ Marchioni Onuphrio Brancia; cujus ſummæ idem Taurellius ducatos 1725 ſolvit; reliquos conſtat ejus filios & heredes, Marchionem Scipionem, Ferdinandum, & Hieronymum, mortuo jam eorum patre, integre ſolviſſe; ſcilicet ducatos 646, & aſſes 38, quibuſdam ſtabilibus aſſignatis; ducatos 316, & aſſes 17, in ſolutum datis quorumdam debitorum nominibus, pro reliquis ducatis 316, & aſſ. 45. fenus annuum promiſiſſe ducatorum quinorum pro ſingulis centenis, inito inter eos inſtrumento die 22. Novembris 1719, bonis eorundem itidem hypothecæ ſubjectis cum conſtituto, & precario *fol.* 47. *ad* 61. Cum autem hujuſmodi debitorum nomina difficilia eſſent, ab eiſdem alio inſtrumento die 17. Aprilis 1737. ceſſa fuerunt fratribus Taurelliis pro pretio ducatorum 200, quos quocumque vellent tempore, ſolvere ſe obligaverunt, atque interim annuos ducatos ſex pendere pro centenis qui-

Creditori hypothecario, cum clauſula conſtituti, & precarii, ac pacti executivi, præſtatur adſiſtentia, etiamſi debitoris bona exćuſſa non ſint, ac licet tertius poſſeſſor ceſſionem oſtendat jurium antecedentis hypothecarii creditoris, ſi ceſſio hujuſmodi facta ſit, ut jura extinguerentur, non ut transferrentur.

Digitized by Google

quibuſque, cum hypotheca pariter omnium bonorum, conſtituto. & precario; inter quæ tunc erat prædium dictum *Albaroſa fol.* 62. *ad* 64. Quapropter duplex creditum ortum eſt: alterum ducatorum 316. 45; tam ex inſtrumento anni 1709. Hieronymi dotantis, quam ex alio anni 1719.: alterum vero ducatorum 200. anni 1737. Præterire non licet. ab anno jam 1721. Maurum Nicolaum Taurellium Hieronymi filium uxorem duxiſſe Annam Mariam Capaſina, eundemque Hieronymum mariti patrem tabulis nuptialibus intervenientem, quo ejus dotibus ducatorum 7000 cautum eſſet, idem prædium *Alberoſa* hypothecæ una cum filio, præter alia bona, ſubjeciſſe *fol.* 95. Tum Maurellii fratres ad inopiam vergentes prædium hoc, quod prius anno 1721. hypothecæ erat obnoxium pro ejuſdem Annæ Mariæ Capaſinæ dotibus, deinde anno ſaltem 1729. creditis fratrum de Brancia ſimiliter obnoxium, vendiderunt Nicolao Topputo anno 1752., accedente etiam eadem Anna Maria Capaſina, Mauri Nicolai Taurelli venditoris uxore; quæ, ut ſtabilis emtio eſſet, renunciavit hypothecæ dotali ſuper ipſo prædio, & ne ab ea unquam evinceretur, Regium Aſſenſum impetravit pro validitate obligationis *fol.* 29. *ad* 33. Reſciſſis tandem per M. C. contractibus ob moram ad ſolvendum commiſſam, auditoque in judicio debitore, cujus bona ſolvendo non apparebant *fol.* 29. 66. 177. 178. 179., judicatum fuit pro *aſſiſtentia* adverſus emptorem D. Nicolaum Topputo, qui appellatione ad S. R. C. excepit, actores non recte agere, ex defectu clauſulæ *conſtituti & precarii, pactique executivi de capiendo*: 2. priuſquam excuteretur principalis in judicio aſſiſtentiæ moto poſt mortem debitoris: tertio demum anterioris crediti ceſſione eidem facta. Quare iterum in judicio appellationis, ſive ſupplicationis diſputatur nunc, an bene judicatum per M. C.?

Cre-

Digitized by Google

Creditorem hypothecarium cum clauſula conſtituti, precarii, pactique executivi, recte avocare in judicio, quod aſſiſtentiæ dicimus, interverſam poſſeſſionem a tertio poſſeſſore, ne antea quidem excuſſo debitore, incerti juris non eſt, *Pragm.* I. *de aſſiſt.*; quandoquidem creditori ex conſtituto agenti contra tertium poſſeſſorem neque non factæ excuſſionis debitoris exceptio, neque decennii, aut vicennii præſcriptio nocet: excuſſionis, inquam, nam contra poſſidentem hujuſmodi non tribuitur exceptio: præſcriptionis, cum in eum non valeat præſcriptio, qui condictione ex lege agit, quæ perpetua eſt. Qui rem ſuam alieno nomine ſe conſtituit poſſidere, alium poſſeſſorem miniſterio ſuo facit, quo & is realem nanciſcitur, & civilem ejus rei poſſeſſionem, *L.* 18. *D. de acquir. vel amitt. poſſ.* Nihil vero refert, an vivo, vel defuncto debitore judicium motum ſit, ut agi poſſit non excuſſis debitoris bonis; quia heres non ut talis, ſed veluti poſſeſſor & cuſtos ejus rei ſuccedit, quam debitor conſtituerat, ſe alieno nomine poſſidere, quamque cuſtodiæ cauſa poſſidebat, *L.* 2. *C. ſi unus ex pluribus heredibus*; tum quia Interdicta retinendæ poſſeſſionis, maxime Salvianum Interdictum adipiſcendæ, in hujuſmodi judicio comprehenduntur: quæ omnia in rem ſcripta ſunt, nec quoquo modo morte conſtitutoris intermoritura. Siquidem tam eſt favorabile hujuſce Legis auxilium, quo plenius commodo, & ſecuritati contrahentium civium conſuleretur, ut ſi creditor ex vi pacti executivi, quod ſimiliter in rem ſcriptum eſt, rem ſibi hypothecario nexu obligatam propria auctoritate occupaverit, vim non feciſſe dicatur; civilius tamen exiſtimatum, ſi officium Judicis, ut ſibi aſſiſtentiam interponat, imploraverit. At tertius poſſeſſor, cui ab aliquo creditore anteriore, puta, a muliere jura dotalia ceſſa fuerint, non ut in eum transferantur, ſed ut extinguantur, hoc eſt, ne emptio ab ea turba-

 retur,

retur, & tutior ac firmior eſſet, tantum contra eam ceſſionis ope ſe tuebitur, *L. Jubemus D. ad Sen. Conſ. Vellej.*; alios tamen creditores poſt mulierem, &c. ante emptorem recte agere palam eſt; ita res, ut ajunt, *ponitur in circulo*, *L. 16. D. qui pot. in pign.* Emptor igitur in re, qua de hic agitur, quique ab eodem conſtitutore cauſam habet, neque excuſſionis, neque præfatæ ceſſionis exceptione ſe tuebitur contra creditorem conſtitutarium; ea nempe Juris fictione poſſidentem, quam Prætor ipſe ex antiquioribus moribus ceſſionis in Jure, vel ex Jure Quiritium mancipationis duxit, ita ad hypothecas nuda conventione conſtitutus, ut ficta dominii translatione, arbitrio ſit creditoris, priuſne agat adverſus debitorem, an hypothecaria actione adverſus poſſeſſorem, *L. 14. & 24. C. de pign.*; quamquam noviſſimo Jure hypothecariæ actiones, ſublato nimirum antiquo eo Juris more transferendi dominium & poſſeſſionem, ad rem tantum creditori ſupponendam intellectæ fuerint; *Nov. 4. cap. 2.* Denique Judicium præſertim non differendum eſſe placuit, ubi excuſſionis exceptio, aperta debitoris inopia, dilatoria appareat, atque inutilis ad excludendum id, quod in intentionem, condemnationemve deductum fuerit. Hinc

Referente D. Stephano Patritio R. Conſ. & cauſæ Comm.

S. R. C. definivit: *Bene fuiſſe & eſſe judicatum per M. C. V. die 10. Junii 1766. fol. 194., & male fuiſſe & eſſe appellatum ex parte magn. D. Nicolai Topputo fol. 197.*

Antonius Baſile Act. Mag. Vincentius Baſile Scriba.

In cauſa magn. D. Paſchalis Oneſti, & Rev. Primicerii D. Pauli Colavecchia, cum Rev. Canonico D. Antonio Leonetti. Die 17. Februarii 1775.

Ejuſdem prædii minore parte, quæ aliis prædiis finitima eſt, permu-

D. Paſchalis Oneſti actionem intendit D. Antonio Leonetti ad retrahendum prædium per eum comparatum a Philippo Santacroce. Hujuſmodi actioni ſocios ſe

ſe deinde adjunxerunt fratres de Colavecchia, & D. Antonius Friſari, poſſeſſores pariter finitimi prædio per Leonetti quæſito. Excepit Conventus, prædia vicinorum retrahentium non attingere eam prædii portionem per ipſum emptionis titulo quæſitam, verum alteram portionem, permutationis contractu cum eodem Santacroce inito, quæ ſibi obvenit. Actores autem contractum permutationis manifeſtam redolere ſimulationem obtendebant, ut ipſis facultas retrahendi prædium adimeretur, quod alioquin ex ſimplici facti enarratione S. C. pro explorato habuit. Cum enim D. Antonius Leonetti conſtituiſſet acquirere prædium modiationum treſdecim a Philippo Santacroce, duplici contractu eodem die geſto rem abſolvit, quorum altero modiationes tres ejuſdem prædii cum Santacroce permutavit, & illam ſigillatim partem, quæ Actorum prædiis erat contermina, altero autem inſtrumento emit reliquam prædii portionem. Ex geminatione itaque contractuum diverſæ qualitatis ſuper eadem re, eadem die geſtorum, validiſſima ſumebatur conjectura, colorem fuiſſe a contrahentibus quæſitum, ut a retractu vicini arcerentur. Quod eo vel maxime evincebatur inſpecta circumſtantia, permutationem fuiſſe executioni demandatam in ea parte, quæ retrahentium prædia reſpiciebat. Nulla præterea rationabilis cauſa ſuberat, qua emptor adduci merito potuiſſet, partem prædii emere, & alteram partem permutationis contractu adipiſci. Quinimo ex duobus hiſce contractibus, diſtinctis inſtrumentis eodem die initis, certior reddebatur ſimulatio propter nimiam cautelam ſubdole excogitatam, ut contractibus ipſis ea præberetur fides, quam nullimode promerebant. Potius vero ex hujuſmodi affectata actuum multiplicatione ſequebatur, ut recte dici poſſet, unum eundemque contractum, permutationis ſcilicet, & venditionis, unico inſtrumento fuiſſe initum, ex regula textus in *L.* 40. *§. quæſitum ff. ſi certum petatur*, ut

tata, majore vendita, in fraudem vicinorum contractus celebratus videtur; ac proinde datur locus retractui.

quæ incontinenti fiunt, dicantur ineſſe. Si namque unus idemque contractus erat cenſendus, ille nimirum permutationis, & alter venditionis unius prædii antea indiviſi, permutatio aſſumebat naturam venditionis, cum portio vendita fuerit longe major portione permutata. Potiſſimum concurrente cauſa ſimulandi, ut aditus vicinis petendi retractum intercluderetur. Quæ calliditatis, & fallaciæ argumenta majorem in modum patefacta per contrahentes ipſos fuerant ex eo, quod minor portio permutata attingebat ſpeciatim prædia retrahentium; imo portioni permutatæ fuerat a peritis conſtitutum pretium ducatorum 370: quæ quidem æſtimatio venditionem potius arguëbat, quam permutationis contractum. Cumque jure perſpecto permutatio proxima ſit contractui venditionis, *L. 2. ff. de rerum permutat.*; imo vicem emptionis obtineat, *L. 2. Cod. eod.*; proinde habita ratione ad ſupra enarratas circumſtantias, contractus permutationis, initus inter Leonetti, & Santacroce, procul dubio habendus erat uti contractus veræ venditionis, retractui obnoxiæ.

Denique animadvertebatur ſub permutationis ſpecie doloſam fuiſſem adhibitam machinationem, quæ cum verteret in perniciem vicinorum, contractum prorſus infirmabat per *text. in L. 7. §. dolo ff. de pactis*. Dolus enim tunc dicitur contractui ineſſe, cum circumſcribendi alterius cauſa, aliud agitur, aliud agi ſimulatur *dict. §. dolo*. Proinde in contractibus rei veritas potius, quam ſcriptura perſpici debet; quinimmo acta ſimulata veritatis ſubſtantiam mutare non poſſunt, *L. 1. & toto tit. Cod. plus valere quod agitur*. Ex quibus omnibus S. C. certo agnovit permutationem a contrahentibus fuiſſe cauſatam, ut jus vicinorum læderetur. Quapropter decrevit:

Per S. R. C. proviſum eſt, quod nulla habita ratione inſtrumenti permutationis initi inter Philippum Santacroce,

ce, & Rev. Canonicum D. Antonium Leonetti ſub die 30. Aprilis 1771. fol. 13. ad 16., idem Rev. Canonicus Leonetti relaxet jure congrui in beneficium tam D. Paſchalis Oneſti, etiam nomine ejus filiarum, quam in beneficium fratrum de Colavecchia, & D. Antonii, & D. Johannis Friſari, prout ex eorum comparitionibus, fol. 17. & 21, integrum territorium deductum in ſupplicatione fol. 1., pro rata contactus territoriorum cujuſcumque ipſorum: ſoluto prius per eoſdem nedum pretio reſpectivarum portionum territorii prædicti; verum etiam meliorationibus forſan in eo factis per dictum Rev. Canonicum, æſtimandis per Peritum localem eligendum, partibus non ſuſpectum.

Nicolaus Gerace Act. Mag. Januarius Baſciani Scriba.

Verba fecit de his in S. R. C. D. Joſeph Criſconio R. C. & cauſ. Comm.

In cauſa inter magn. Cajetanum Settimo virum & legitimum adminiſtratorem Candidæ Caputo, cum heredibus qu. D. Franciſci Antonii de Coſtanzo, & heredibus qu. D. Caſimiri Mareſca, ac Ven. Monaſterio S. Mariæ Conſolationis Monialium hujus Civitatis. Die 18. Februarii 1775.

EX capitulis matrimonialibus qu. Catharinæ Mareſca, Marthæ Mareſca matris, conſtat, ex dotibus ducatorum 300 ei conſtitutis, tantum ducatos 150 fuiſſe ſolutos, ac pro reliquis ducatis 150 quandocumque ſolvendis, Rev. D. Joannem Laurentium, & fratres Mareſca dotantes annuos ducatos ſex pro centenario ſpopondiſſe, pro eis etiam obligando rus quoddam in Plano Surrenti poſitum. Inſtrumento anni 1707. *fol.* 8. Martha Mareſca heres ab inteſtato qu. Catharinæ, ut ex præambulo *fol.* 14., dictos ducatos 150 dotis maternæ, nondum ſolutos, Vincentio Caputo ceſſit, expreſſe tamen retento eorum intereſſe uſque ad primum Junii 1694. nondum exacto. Et alio inſtrumento anni 1721. *fol.* 15. eadem

Ex annuis reditibus uſuræ præſtari poſſunt; quare & eos in ſortem converti, non prohibetur.

Soluta ſorte, uſuræ, quæ ex obligatione pendent, recte petuntur; contra peti nequeunt, quæ officio Judicis præſtantur.

Donatarius univerſalis creditoribus donantis tenetur ſatis facere.

Digitized by Google

eadem Martha hoc intereſſe non exactum prædicto Vincentio Caputo donavit. Verum inſtrumento anni 1714. *fol.* 18. conventionem inter ſe inierunt Caſimirus Mareſca nepos & heres (prout ex fide præambuli *fol.* 90.) qu. Rev. D. Joannis Laurentii, & fratrum de Mareſca, & Vincentius Caputo, qua (facta prius aſſertione anno 1655. dictum D. Joannem Laurentium, & fratres vendidiſſe Rev. D. Joanni Angelo Mareſca annuos ducatos ſeptem pretio ducatorum 100 ſuper prædicto rure, hac penſione annua conſtituta, & pacto adjecto redimendi; quo jure redimendi a Caſimiro dicto Vincentio ceſſo, Vincentium ipſum ſortis, & annuæ penſionis creditum ſibi comparaſſe) Vincentius hoc creditum, ob tertias non ſolutas auctum ad ſummam uſque ducatorum 243, donavit, ac in ſolutum dedit prædicto Caſimiro; Caſimirus e contrario ſe obligavit infra biennium perſolvere ex dictis ducatis 243 tantum ducatos 220 cum intereſſe ducatorum quinque pro centenario, ceteris ducatis 23 ab eodem Vincentio donatis. Moriens Caſimirus Mareſca inſtituit heredem quoad proprietatem Ven. Monaſterium S. Mariæ Conſolationis hujus Civitatis, quoad vero uſumfructum Roſam, Barbaram, Thereſiam, & Fortunatam Mareſca, eis etiam præcipiens venditionem illius ruris Plani Surrenti, & ex pretio dicto Caputo ducatos 100 perſolvi; ex ducatis enim 220 vigore inſtrumenti 1714. debitis, ducatos 120 antea ſolvit, ut ex notamento ſolutionis *fol.* 24., & ex replicatione quadam ipſius Caputi colligitur *fol.* 117. *proc. Catharinæ Mareſca*. Verum Agnellus Caputo filius ac donatarius Vincentii Caputo petiit condemnari Roſam, Barbaram, Thereſiam, & Fortunatam Mareſca heredes qu. Caſimiri Mareſca, ad ſolvendum nedum ducatos 156, & eorum intereſſe cauſa donationis a qu. Martha Mareſca ejus patri factæ annuarum quantitatum, ſive tertiarum capitalis ducatorum 150 dotis maternæ a die

1. Ju-

1. Junii 1681. uſque ad diem 1. Julii 1694. exigendarum; verum etiam ducatos 140, una cum intereſſe virtute inſtrumenti diei 14. Decembris 1714., quo Caſimirus Mareſca prædicto Vincentio ducatos 220 debere confeſſus eſt; nec non præſtari aſſiſtentiam ſuper rure in Plano Surrenti, pro iis debitis ſpecialiter obligato, & poſtea vendito D. Carolo, & fratribus de Mareſca *fol.* 1. Mortuo dein Agnello, Cajetanus Settimo vir ac legitimus adminiſtrator Candidæ Caputo ſororis atque heredis qu. Agnelli, ut ex præambulo *fol.* 57.) hoc nomine petiit prædictarum quantitatum ſolutionem contra heredes Caſimiri Mareſca, & aſſiſtentiam contra poſſeſſores dicti ruris *fol.* 53. *&* 108. E contra inſtitit Ven. Monaſterium S. Mariæ Conſolationis, & negavit eſſe heredem *fol.* 64. Exhibitum autem eſt inſtrumentum conventionis anni 1744. *fol.* 65. initæ inter Fortunatam, & Barbaram Mareſca (Roſa, & Thereſia jam mortuis), ac Ven. Monaſterium S. Mariæ Conſolationis, quo conſtat ex pretio ducatorum 3050 illius ruris Plani Surrenti, D. Carolo, & fratribus de Mareſca jam primum venditi, prædictas ſorores ducatos 800 dicto Monaſterio aſſignaſſe, eodem proprietatem, ac omnia jura in hereditate Caſimiri dictis ſororibus renunciante, cum obligatione tamen ad omnia onera hereditaria per æs & libram contribuendi. Interim Barbara Mareſca heres univerſalis qu. Caſimiri, ut ex præambulo *fol.* 88. omnia bona ſua donat D. Franciſco Antonio de Coſtanzo *fol.* 87. Exceptiones propoſitæ ſunt a dicto Ven. Monaſterio, ab heredibus dicti qu. D. Franciſci Antonii de Coſtanzo, & a fratribus de Mareſca ruris prædicti poſſeſſoribus *fol.* 127. 132. 225. 231. 233. 243. *&* 253., quarum præcipuæ hæ ſunt. Creditum ducatorum 100 in compenſationem deducendum eſſe cum alio debito, a D. Joanne Angelo Mareſca dicto Caſimiro luendo cauſa dotium alterius Catharinæ Mareſca,

reſca, cujus ipſe Caſimirus per intermediam perſonam fuit ceſſionarius. Præterea cum conſtet tertias in ſortem fuiſſe redactas, ex eis non deberi intereſſe, ne locus detur anatociſmo: Et demum creditum intereſſe dotalis præſumi debere ſatisfactum. His omnibus viſis,

Referente R. Conſ. D. Franciſco Maſtellone cauſæ Comm.

S. R. C. judicavit: *Heredes qu. Caſimiri Mareſca eſſe condemnandos ad ſolvendum in beneficium Cajetani Settimo nomine ut ex actis tam ducatos* 100 *ſortis, cum annualitatibus decurſis, & non ſolutis ab anno* 1721. *ad rationem ducatorum quinque pro dicta ſorte ducatorum* 100, *quam alios ducatos* 156 *donatos in anno* 1721. *Vincentio Caputo a qu. Martha Mareſca, una cum intereſſe ad eandem rationem ducatorum quinque pro ſingulis* 100 *a die conteſtationis litis, in die* 15. *Decembris.* 1768. *ad inſtantiam præfati Cajetani Settimo fol.*62.*a t. proc. curr., & pro quantitatibus prædictis præſtandam eſſe aſſiſtentiam ſuper rure, & domo ſita in Plano Surrenti, ſub nomine Caſſano ad finem vendendi, vel adjudicandi in forma. Necnon eſſe condemnandos prædictos heredes ad reficiendum in beneficium fratrum de Mareſca omne id quod intererit in judicio aſſiſtentiæ pro executione præſentis ſententiæ.*

Ambigendum quidem non eſt, Caſimirum Mareſca conventione anni 1714. ad ſolvendum ducatos 220 ſeſe obligaſſe. Idque ſufficit, ut oſtendatur obligationem præſtandi quantitatem conventam non eum obſtrinxiſſe tantum, *L.* 1. *L.* 7. *§.* 7. *de pactis*, *L.* 11. *D. de action. empti, & vend.*, ſed etiam & ſuos heredes, *L.* 48. *D. de obligat. & action.* Et perperam huic credito objicitur anatociſmus, ea ratione quod conſtet de quantitate debita, & uſuris, ſeu, ut vulgo dicitur, capitali, & tertiis in unam ſortem redactis. Annui enim redditus venditi, nec uſuræ ſunt, nec fructus, quos in ſortem redigere vetitum eſt, *L.* 28. *Cod. de uſuris*, *L.* 15. *D.*
de

Digitized by Google

de uſuris, ſed annua quantitas eſt merx, ſeu res, quæ venditur; & pecunia, quæ datur, eſt pretium. Annuorum redditunm valet alienatio, *L.* 22. *D. de annuis legatis*; hinc ergo in hujuſmodi venditionibus non annua penſio accedit ſorti, ſed ipſa annua penſio eſt ſors, quæ emitur. Uſuræ uſuras non pariunt, nec fructus fructus, quia acceſſiones ſunt, ne detur acceſſio acceſſionis, & commodi commodum, *L.* 20. *C. ex quibus cauſis infamia irrogatur*. Sed fructuum etiam debentur uſuræ, quoties non ut acceſſiones veniunt, ſed ex ſe, veluti ut pars hereditatis, *L. Heres* 54. *L. Item veniunt D. de petit. heredit.* Annui igitur redditus cum ſortis acceſſio non ſint, ſed ipſa res vendita, facile patet ex iis uſuras præſtari poſſe, ideoque in ſortem converti non prohiberi. Hiſque additur, reſpectu Caſimiri Mareſca, crediti ſortis, ac fructuum emptoris, ſive ceſſionarii, integrum ejus debitum, ſive ſortis, ſive intereſſe, uti ſortem eſſe cenſendam, ex qua novæ uſuræ conſtitui poterant. Nec pariter in hac cauſa compenſatio ulla locum poteſt habere; ei enim locus eſt inter eos, qui ſibi invicem debent, *L.* 1. *&* 11. *D. de compenſat.* Caſimiri debitor revera fuit Agnellus Mareſca, at Agnelli non heres, ſed ſimplex ſingularis ceſſionarius fuit Vincentius Caputo; & indubium eſt, non donatarii, emptoris legatarii, vel cujuslibet in re certa ſucceſſoris ſingularis, ſed auctoris ſui eſſe onera, *L.* 15. *D. de donat.* Quod vero attinet ad creditum ex donatione qu. Marthæ quæſitum, res eſt brevis & expedita. Dotantes pro medietate dotis non ſolutæ intereſſe promittunt uſque ad diem ſolutionis; tenebatur igitur Caſimirus, uti heres dotantium, condictione certi ex ſtipulatu, vel in rem actione propter hypothecam ad dotis intereſſe præſtandum Marthæ Mareſca, quæ fuit Catharinæ unica & univerſalis heres, ergo & Vincentio Caputo ipſius Marthæ donatario, *L.* 21. *in fin. C. mandati*. Nec obſtat ſor-

ſortem antea fuiſſe ſolutam ; ac proinde uſuras tolli, ſorte ſublata, *L. 51. D. de actionibus empti*. Hæ enim non officio Judicis præſtantur, & ex mora, ſed ex conventione veniunt, id eſt ex nova obligatione, *L. 121. D. de verb. ſignif.*, quia duæ ſunt obligationes, una ſortis, altera uſurarum, *L. 75. §. penult. D. de verb. obligat.*; ſoluta ſorte, uſuras peti non poſſe tradit Hermogenianus *dict. L. 51.*; ſed hoc locum habet in iis uſuris, quæ non ſunt in obligatione, ſed officio Judicis præſtantur. Jure igitur hæc duo credita ſunt ex hereditate Caſimiri Mareſca ſatisfacienda. Caſimiri extiterunt heredes Ven. Monaſterium S. Mariæ Conſolationis, & Roſa, Barbara, Thereſia, & Fortunata Mareſca ejus ſorores. Harum nemo eſt heres, ſed univerſalis donatarius fuit D. Franciſcus Antonius de Coſtanzo; donatarius univerſalis loco heredis non eſt; ſed quamquam loco heredis non ſit, cogitur tamen creditoribus donantis facere ſatis; dant enim leges actionem vel adverſus donantem, ut donationem revocet, vel contra ipſum donatarium, quaſi in fraudem donatio facta ſit, quia non plus eſſe poteſt in promiſſione bonorum, quam quod ſupereſt, deducto ære alieno, *L. 73. D. de jure dotium*, & pariter qui creditores habere ſe ſcit, & univerſa bona ſua alienet, intelligendum eſt fraudandi conſilium habuiſſe, *L. 17. §. 2. D. quæ in fraud. creditor.* Ex dictis itaque legibus tenetur donatarius univerſalis creditoribus donantis ſatisfacere, præſertim cum donanti nullus heres extet. Hinc palam eſt jure ſententia S.R.C. heredes Caſimiri Mareſca ad ſolutionem utriuſque debiti fuiſſe damnatos: ex uno ducatorum 100, jure pariter conventas annualitates a die ceſſionis fuiſſe in beneficium creditoris decretas: ab altero ducatorum 156, pro quo nulla adfuit conventio, intereſſe merito a die poſtremæ conteſtationis litis factæ ab ipſo actore Settimo anno 1768. ob moram debitoris, & ratione lucri

ceſ-

Digitized by Google

ceſſantis, damnique emergentis deberi. Cumque rus nuncupatum *lo Caſſano* fuerit in bonis debitoris, utrique debito hypothecatum, jure pariter contra tertium poſſeſſorem aſſiſtentia præſtanda erat. Neutram denique litigantium partem ad expenſas litis teneri S. R. C. viſum eſt, cum dubia, ac factis involuta, cujuſque eorum cauſa Judicis ſententiam merebatur.

Cum vero Ven. Monaſterium gravamen in integrum reſtitutionis produxiſſet adverſus præinſertam ſententiam, fuit ab eodem S. R. C. decretum: *Non eſſe deferendum petitæ in integrum reſtitutioni pro parte Ven. Monaſterii S. Mariæ Conſolationis Civitatis Surrenti; ac proinde executioni mandetur ſententia lata die* 18. *menſis Februarii elapſi anni* 1775., *una cum expenſis erogatis poſt ſententiam.*

Capobianco a Secr. Marcus Antonius Quaranta Act. Mag. Salſanus Scriba.

In cauſa criminali vertente inter D. Philippum Roſſi ex una, & D. Dominicum Cicconardi ex altera. Die 22. *Februarii* 1775.

PHilippus Roſſi traditis Dominico Cicconardi duc. 5000, mandavit, ut de ea pecunia tantundem olei per loca Cajetæ finitima ſibi compararet. Poſtquam vero ipſe Philippus perſpexit Cicconardum, nedum in ſuſcepto mandato oleariæ, verum etiam alterius frumentariæ negotiationis male doloſeque fuiſſe verſatum, furti, & fraudis eum poſtulavit. Peracta per M. C. V. criminis inquiſitione, reus in carceres fuit conjectus; tandem vero ipſamet M. C. decrevit, quod ſuſpenſa criminalitate, civiliter agatur. Interpoſita per Philippum Roſſi appellatione ad S. C., inſpectio in eo fuit, an facinus a Cicconardo admiſſum delictum contineret animadverſione dignum, itaut criminale judicium proſequi omnino, atque abſolvi oporteret. Liquebat enim, Cicconardum

Conſilium fraudandi, & eventus criminali actioni dant locum.

Qui mandatum inficiatur, atque in proprios uſus pecuniam convertit, licet furti accuſari non poſſit; judicio tamen mandati, & fraudis condignam pœnam meretur. Saltem dubitari nequit, in crimen ſtellionatus eum incidiſſe; cujus criminale judicium non aliter perimitur, quam pretio a Reo oblato.

dum recepiſſe a Philippo Roſſi ducatos 5000, ſimulque ſuſcepiſſe mandatum commercandi oleum, in quo tamen explendo partem pecuniæ inſumpſit, alteram vero partem ad ſe vertit. Ad circumveniendum autem Philippum Roſſi commentus eſt, ſe reliquam pecuniam collocaturum in coemendo frumento, ex quo inde promercio prægrande lucrum facturum eidem Roſſi perſuaſit. Tali quidem ſpe illectus ipſe Roſſi alios ducatos circiter 3000 Cicconardo credidit. Putans autem eumdem Cicconardum implevisse mandatum, de eo frumenti genere vendidit modios 2000 Aloyſio Simeone, qui veritus, ne Cicconardus fidem falleret, ſciſcitatum eum fecit a D. Bernardo Maguel, ſi vere frumentum Philippo Roſſi emiſſet, qui reſponſum tulit, ſe frumentum quidem comparaſſe Philippo Roſſi, ſed de menſura certe nil poſſe adhuc affirmare. His porro adhibitis diligentiis fretus emptor Simeone navem conduxit onerariam, qua Cajetam appulſa, ſignificatoque Cicconardo, ut frumentum traderet, audacter per eum eſt aſſeveratum, Philippum Roſſi hominem ſibi eſſe ignotiſſimum. Ex his S. C. perſpectum exploratumque habuit dolum, atque fraudem a Cicconardo fuiſſe patratam in gerendis negotiis Philippi Roſſi, id quod meritam expoſcebat pœnam: etenim ut criminali actioni locus eſſe poſſit, & Judex ad condemnationem devenire, duo porro requiruntur, conſilium ſcilicet fraudandi, & eventus, ad *text. in L. 1. Cod. ut nemo ad ſuum patrocinium, L. 11. Gloſ. in L. Fraudis ff. de reg. jur.* Hæc ex enarrata ſucceſſus ſerie adamuſſim comprobari S. C. agnovit (ex facti enim qualitate comprehenditur, an dolo quid factum ſit *L. 1. §. 3. ff. de dol. mal. except.*). Retentio partis pecuniæ ad coemptionem olei traditæ; ablatio ultro facta alterius frumentariæ negotiationis, confeſſio commercationis frumenti, inficiatio denique perſonæ uſque Philippi Roſſi, & magna pars pecuniæ ad ſe verſa animi

mi propoſitum adverſus Cicconardum inducunt percallidas machinationes fraudandi ingentem pecuniæ quantitatem. His addebatur per Cicconardum, dum in vinculis eſſet, adhibito conciliatore, fuiſſe propoſitam concordiam, quæ ad effectum perduci non potuit propter malefidam hominis qualitatem. Et licet deficiente contrectatione, & ablatione rei invito domino, furti nomen admiſſis a Cicconardo non congrueret; ex doloſa tamen inficiatione, & converſione pecuniæ in proprios uſus, judicium mandati, & fraudis, non minus turpe, quam furti, per leges conſtitutum, condignam a reo pœnam repetebat, *L. 1. §. ſi rem, & L. Inficiando ff. de furtis*, *L. Qui furtum Cod. de condict. furtiva*, *L. Proc. ff. mandati*. Saltim vero in dubium vocari non poterat, quin Cicconardus in crimen ſtellionatus incidiſſet, ut pœnis a jure in *Legib. 2. & 3. ff. de crimine ſtellionatus* præſcriptis plecteretur. Has porro ob cauſas S. C. cenſuit, decretum M. C., quo criminale judicium ad irritum cadebat, juri, & rerum judicatarum exemplis adverſari. Ad cujus rei fidem, firmitatemque adjungendam perpendit S. C. leges indulgere peremptionem criminalis judicii inſtituendi ſuper ſtellionatu in eo tantummodo caſu, quo reus offerat pretium, *L. 1. C. de crim. ſtellion.*, quod peculiare eſt in hujus delicti ſpecie; nam in furtis nemo pœnitentia ſua nocens eſſe deſiit, *L. 67. ff. de furtis*. Si ergo jure inſpecto, ſola oblatio ejus, quod intereſt, remoratur proſecutionem judicii in crimine ſtellionatus, dicendum erat perperam M. C. V. judicaſſe, quod ſuſpenſa criminalitate, civiliter agatur, cum exiſtentibus requiſitis conſilii ad fraudandum, & eventus, quæ Cicconardum noxium arguebant, reum peragere potius, quam ad civilem actionem experiundam accuſatorem rejicere debuiſſet. Viſis his omnibus,

Referente R. Conſil. D. Joſepho Criſtonib cauſæ Comm.

S. R. C. definivit: *Male fuiſſe, &c. eſſe judicatum per M. C. V.*

M.C.V, in decreto diei 17. Auguſti elapſi anni fol.362.; & bene fuiſſe, & eſſe appellatum pro parte D. Philippi Roſſi; ac proinde moneantur partes ad audiendam proviſionem faciendam per S. R. C. ſuper judicio criminali.

Franciſcus d'Amora Act. Mag.

In cauſa Rev. Cleri Terræ S. Eliæ petentis præſtationem decimarum omnium frugum ad rationem quadrageſimæ, etiam reſpectu tritici turcici, ſeu indiani, pro executione ſententiæ S. R. C. contra Univerſitatem, ſive Cives præfatæ Terræ. Die 4. Martii 1775.

Sub nomine frugum comprehenditur etiam triticum turcicum, ſive indianum.

CLerus Terræ S. Eliæ petiit præſtationem decimarum, etiam reſpectu frumenti indiani, ad rationem quadrageſimæ, a Civibus, & Univerſitate dictæ Terræ, aſſerens id liquere ex informatione tunc temporis capta per Regiam Audientiam Provincialem circa ſolitum exactionis decimarum cujuſcumque generis frugum, & ſpecifice enunciati tritici turcici. Super qua Conſiliarius D. Franciſcus Antonius Pertelli tunc cauſæ Commiſſarius decrevit obſervari ſolitum per dictam Regiam Audientiam liquidatum *fol.* 90. Revera decreto S. R. C. diei 18. Septembris 1756., ordinatum fuit, quod Rev. Clerus dictæ Terræ manuteneatur in exactione decimarum omnium frugum, & fructuum pervenientium a territoriis aratoriis, & reſpectu civium non ſerentium territoria, ſervetur ſolitum, & contra formam ſoliti nihil innovetur *fol.* 95. Patet autem ex fide Cataſti Univerſitatis ejuſdem de anno 1747., inter alias fruges, de quibus præfatus Rev. Clerus exigebat decimas, deſcriptum fuiſſe dictum triticum *fol.* 100. Stat etiam pro dicto Clero aliud decretum S. R. C. de die 2. Maji 1755. in gradu reſtitutionis in integrum petitæ pro parte Univerſitatis, & Civium ejuſdem Terræ, cum quo declaratum fuit non eſſe deferendum petitæ in integrum reſti-

reſtitutioni ; & quod terminus alias datus curreret reſpectu quantitatis, ſive quartæ in poſterum ſolvendæ in cauſa decimarum in beneficium Parochi, & Cleri Terræ prædictæ *fol.* 138. Et cum die 13. Maji 1769. ad relationem Domini Regii Conſiliarii Ferri tunc cauſæ Commiſſarii ſucceſſoris, ordinatum fuiſſet, quod citra præjudicium jurium partium committatur Scribæ Bernardo Priſcolo, qui recognitis actis, & ſcripturis omnibus, & partibus auditis, relationem faciat ſuper prætenſis & deductis per ambas partes, qua relatione facta, providebitur etiam ſuper liberatione depoſiti ; & interim in currenti anno fiat exactio pro victualiis, tantum ad normam vigeſimæ per duos deputatos, unum eligendum a Clero, alterum ab Univerſitate, & victualia prædicta depoſitentur cum diſtinctione quantitatum reſpective, ſalva proviſione facienda ſuper liberatione, viſo exitu diſcuſſionis dictæ relationis *fol.* 233. ; Clerus petiit præſtationem tritici turcici, utpote comprehenſi ſub nomine victualium ; ac decreto ejuſdem Regii Conſiliarii D. Didaci Ferri tunc cauſæ Commiſſarii diei 22. Septembris dicti anni 1769., habito colloquio cum Dominis de Aula, mandatum eſt, quod dictum triticum recollectum in territorio Terræ S. Eliæ adnotetur, prævia cautione Civium de reſtituendo in beneficium Cleri *fol.* 365. Quare perducta res eſt in S.R.C., quod ſententia diei 7. Aprilis 1772. inter alia declaravit: *Præſtationes decimales exactas per Clerum S. Eliæ reducendas eſſe ad quadrageſimam partem frugum, repartiendam quolibet anno inter decem Presbyteros, & Rev. Archipresbyterum pro æquis portionibus fol.* 472. ; confirmata in gradu nullitatum pro parte Civium, & reſtitutionis in integrum pro parte Univerſitatis *fol.* 660. Hinc in nova contentione præſtationis frumenti turcici

Referente D. Salvatore Gentile R. Conſ. & cauſæ Commiſſ.

Idem S. R. C. decrevit, *pro executione citatæ ſententiæ S.R.C.*

S. R. C. in præſtatione quadrageſimæ frugum eſſe comprehenſum etiam triticum turcicum, ſive indianum; ac proinde depoſitum ejuſdem tritici repartiendum inter Rev. Archipresbyterum, & reliquos decem Presbyteros dicti Cleri pro æquis portionibus, ſervata forma enunciatæ ſententiæ: Etiam quia de jure cautum reperitur in *L.* 77. *ff. de verb. ſignif.* ſub nomine frugum omne comprehendi frumentum, tam quod ſub ariſta, quam quod ſub ſiliqua contineatur, ſicut lupinum, & fabam, Servius apud Alfenum, in frumento contineri, putavit, *cit. L.* 77.

Priſcolus Act. Mag. Paſchalis Scafura Scriba.

In cauſa magn. D. Franciſci Martucci adverſus magn. D. Donatum ejus fratrem. Die 6. Martii 1775.

Filiis invicem ſubſtitutis, rogatiſque eorum filiis hereditatem reſtituere, non videtur fideicommiſſum familiæ relictum; itaut ſufficiat, ad unum ex familia bona pervenire.

Ad fideicommiſſum paternum vocatus, ſi, facto teſtamento, jus quodcumque in bonis patris ſibi competens verbis expreſſis in heredē tranſmiſerit, licet huic ex fideicommiſſi bonis legitimam detrahere, quæ teſtatori debebatur.

In reſtitutione rerum fideicommiſſo ſubjectarum, earum incrementa

ANdreas Martuccius ſenior, Civitatis Averſæ, die 3. Decembris 1708. relictis heredibus Franciſco, & Bartholomæo filiis impuberibus, quos invicem ſubſtituit, eos reſtituere rogavit eorum filiis maſculis, iiſque deficientibus, fœminis, vetita quacumque detractione, nominatim Falcidiæ, & Trebellianicæ. Legavit Conſtantiæ, & Beatrici filiabus, unicuique ſcilicet, ſi nupſerit, ducatos 1500, & ſi Monialium ſepta ingrederentur, ducatos 1200: Beatrici vero ſorori, præter ducatos 1000 eidem a patre relictos, ducatos 300. Mox eo defuncto, Anna Maria Trenca uxor, cui dote prælegata, hereditatis uſumfructum legaverat, ſolemne inventarium confecit, in quo, ultra bona ſtabilia, mobilia, credita, deſcripſit prælegatam dotem, & legatum ducatorum 1300, relictum Beatrici Martucciæ ſeniori *fol.* 30. *&* 35. *ad* 38. Iidem fratres heredes inſtituti cum eorum matre nuptui tradiderunt Beatricem ſororem, cui dos fuit conſtituta ducatorum 2200, comprehenſis ducatis 1500 a patre legatis, alteram vero ſororem Conſtantiam

tiam Monialem, obſequentes præcepto patris, dotaverunt, etiam pro expenſis, duc. 1200. *fol.*96. Obiit inteſtatus Franciſcus anno 1740., quo tota patris hereditas, vi reciprocæ ſubſtitutionis, ad alterum ſuperſtitem fratrem Bartholomæum pervenit *fol.* 93. Hic paterna charitate filiabus ſuis conſuluit, quarum unam nupſit Joanni Baptiſtæ Pagano, alias, dotibus ſolutis, in Monialium clauſtris incluſit; eademque charitate conſuluit maſculis, Donato primogenito, qui uxorem duxit Claram de Auxilio, promiſſis dotibus ducatorum 2500; Franciſco, qui caſtra ſequitur, & Andreæ juniori Sacris addicto *fol.*95. 184. 119. 132. Tandem idem Bartholomæus die 4. Februarii 1767. teſtamentum ſcripſit, inſtituitque ex aſſe heredem Donatum primogenitum; Franciſcum vero, & Andream filios in certa re, qua ſe alerentur, *pro omni & quocumque eorum jure etiam in hereditate Andreæ ſenioris*. Is priuſquam obiret, ne ullam iidem fratres inter ſe diſcordiam excitarent, omnia ejus bona, etiam ea, quæ erant ſubſtitutionis vinculo obnoxia, inter eoſdem filios diviſit; aſſignavitque Franciſco filio prædium quoddam pretii ducatorum 2500. *fol.*49., Andreæ alteri filio ſeptem prædiorum modia; reliqua autem bona omnia, & *quæcumque jura, quæ ad ſe pertinebant in hereditate Andreæ patris*, Donato ex aſſe heredi aſſignavit *fol.* 52. Poſtea ipſe Donatus patris adiit hereditatem, obtinuitque decretum præambuli, intermedia perſona patris, hereditatum Annæ Mariæ Trenca aviæ, Beatricis Martucciæ amitæ magnæ, & Franciſci patrui, quibus ab inteſtato defunctis, ipſe unus legitimus heres ſuperſtes extitit *fol.* . . . Franciſcus filius anno 1770. a S.R.C. petiit, ut ſibi primogenitus frater heres ex aſſe inſtitutus, tertiam hereditatis partem Andreæ ſenioris fideicommittentis reſtitueret; atque apud M.C., ubi lis pendet, dixit inofficioſum eſſe patris teſtamentum. Rogatus reſtituere

minime detrahuntur, niſi gravatus ex ſuis ſumptibus enata probaverit.

tuere frater non abnuit petitori, ut ex facti ſummario patet *n.* 1. *fol.* 401., deinde aucto litis calore, excepit exequenda eſſe patris ſuprema; ait enim, poſſe patrem hereditatem, quam per fideicommiſſum acceperat, cuilibet familiæ relinquere, petiitque amplius, Prædiatoris judicium ſequutus, incrementa prædiorum avitæ hereditatis, quæſita curis, laboribus, atque paternis expenſis, id eſt, incrementa ex temporis mutationibus, in ducatis 2400; ex prædiorum ſoli alimento, in ducatis 2043; ex re meliori reddita, & ex expenſo, in ducatis 2043, & aſſ. 35. *fol.* 80. Quæritur nunc I. an fideicommiſſum familiæ habendum ſit? II. an detractiones ſupraſcriptæ debeantur?

Si ſic legatum, vel fideicommiſſum relictum ſit, *inſtituo filios heredes meos*; *& ſi ſine filiis deceſſerint, invicem ſubſtituo, eorumque filios maſculos in proprietate heredes inſtituo*, non videri unum ex familia vocatum, res in expedito eſt; non enim in eorum voluntatem collatum, cui filiorum voluerint reſtituere, ſed omnibus vocatis filiis pro æquis partibus, *L.* 67. *§.* 1. *&* 2. *ff. de leg. & fideicomm.* 2. Heres quidem cogi poteſt reſtituere hereditatem, deductis tamen oneribus hereditariis, legatis, quæ exſolverit, creditis inſuper, ceteriſque rebus, quæ proprio jure queat expediri; quoniam quod relictum eſt, non videtur compenſandi cauſa relictum eſſe, niſi voluntas teſtatoris compenſare volentis evidenter oſtenderetur, *L.* 81. *ff. de leg. & fideicomm.* 2. *L.* 2. *ff. ad Sen. Conſ. Trebell.* Quid ergo ſi teſtator prohibuerit Falcidiæ, Trebellianicæ, & generaliter quamcumque rei deductionem? Minime eo ſermone id prohibuit teſtator, quod ipſe in eodem præcepit teſtamento ſervari, ſcilicet, dotem uxori prælegatam, filiabus ſuis, ſorori, aliiſque agnatis, cognatiſque ſuis legata relicta, atque omnia onera, quæ & ipſe ſolvere teneretur. Numquid deduci non poſſit legitima, quæ patri, ejuſque

que fratri, cujus fuit heres, ſine ullo onere debebatur, quam neque infra quinquennium, neque poſtea patrem, vel patruum reciproca ſubſtitutione reſtituere rogatos, petiiſſe conſtet? Sane agenti querela inofficioſi teſtamenti, quæ injuriarum eſt actio, recte quinquennii præſcriptionem objicimus, *L.* 8. *§. ult. C. de inoff. teſtam.* Qui tamen non exheredatus, vel præteritus, qui condictione ex lege agit pro repletione legitimæ, vel ad onus impoſitum rejiciendum, poſt quinquennium, querela inofficioſi quieſcente, admittitur, *Inſt. lib.* 2. *tit.* 18. *§.* 3., hancque actionem perpetuam, ut favorabilem eſſe crebrius placuit, *L.* 3. *C. de præſcript.* 30. *annor.*, eo potiſſimum caſu, quo quis in reſtituenda hereditate ea actione ad exceptionis modum uteretur; quæ enim temporaria ſunt ad agendum, perpetua videntur eſſe ad excipiendum: quapropter actionem, alioquin non præparatam, quam querelæ inofficioſi taciturnitate amittimus, quoties explendæ legitimæ cauſa experimur, in noſtros heredes tranſituram putamus, niſi ita is, qui legitimæ repletionem petere poterat, in patris judicio adquieverit, ut vel minimum de ea dixerit, aut non in alium, quandiu vixerit, ſua quodammodo jura tranſmiſerit; aliter vero arbitrari oportet, ſi filius ſe verecunditer non petere, ſed aliquo pacto conſervare ſignificaverit jus ſuum, nunquam interiturum, quoad non fuerit probatum, filii acceptatione nullam ei ſupereſſe de repletione quæſtionem, *L.* 33. *C. de inoffic. teſtam.*; alter enim filius tacuit omnino; alter vero quodcumque jus in bonis paternis ſibi competens verbis expreſſis in ſuum heredem tranſmiſit, ut ex facto apud amplíſſimum Senatum tractatum eſt. Ceterum haud illatum legitimæ gravamen videtur eſſe, quum filius fuerit reciproca ſubſtitutione ſubſtitutus: nam ex hujuſmodi reſtitutione tam matris, quam patris ejus portio poterat pervenire, *L.* 12. *Cod. de inoffic. teſtam.*; filius tamen

ita rogatus non gravari eatenus ipſa legis ratione videtur, quatenus pater poſteriores ſubſtitutionis gradus non fuerit prætergreſſus. Ulterius videndum, an reliquæ detractiones ſint admittendæ in judicio reſtitutionis, ut puta, ſumptus pro colendis conſervandiſque bonis hereditariis; eorumdem bonorum incrementa, doteſque ab eodem herede rogato ſuis filiabus conſtitutæ? Sumptus neque pro cultura & cura, neque pro neceſſariis refectionibus detrahet heres; debet enim is bona ſarta tecta habere, & ſumptus neceſſarios facere, nam ejus temporis omnia opera agnoſcit; ſed & ipſe, ſi quem ſumptum fecerit in res hereditarias, quo res meliores factæ ſint, detrahet, *L.* 19. *L.* 22. *ff. ad Trebell. L.* 58. *ff. de leg.* 1. Incrementa vero rerum hereditariarum, maxime ſi eſſe non probaverit heres ex ſuis ſumptibus enata, ut Agrimenſoris fide conſtat, arguenda profecto ſunt ex prolixitate temporis, atque alterna vice annorum, ſoli natura, cælique indulgentia, eidemque prædiorum ſolo cohærere & cedere videntur. Similiter in propoſito heres non detrahet dotes, quas ſuis filiabus conſtituit; explevit enim is officium paternum: ſi vero bona deeſſent paterna, tunc aſcendentium fideicommiſſariæ hereditates, implorato prius ſollemni legum ſubſidio, convertuntur jure optimo ad ſupplendum hujuſmodi officium pietatis.

Referente D. Stephano Patritio R. Conſ. & cauſa Comm.

S. R. C. declaravit: *Tertiam partem bonorum hereditariorum qu. D. Andreæ Martucci, & ſubſtitutioni ſubjectorum, ſpectare & ſpectaviſſe ad magn. D. Franciſcum Martuccium, cum fructibus a die mortis D. Bartholomæi ejus patris, cum vinculis, & conditionibus in eadem ſubſtitutione ordinatis, ac proinde condemnandum eſſe magn. D. Donatum ejus fratrem, & heredem univerſalem ad eam relinquendam cum iiſdem fructibus, in biduo., requiſitis partibus, pro quantitate liquidandis; factis*

factis tamen pro eodem D. Donato detractionibus dotis qu. D. Annæ Mariæ Trenca in ducatis 1700., & ejus antefati in ducatis quingentis; legati relicti ab eodem D. Andrea Beatrici Martucciæ ejus ſorori in ducatis 1300; dotis conſtitutæ Beatrici juniori, nuptui traditæ, in ducatis 1500; dotis Conſtantiæ, monialis, in ducatis 1200; legitimæ debitæ Bartholomæo in bonis patris, in biduo, requiſitis partibus, pro quantitate liquidanda. Quod ad alias propoſitas detractiones, & quantitates eundem D. Franciſcum abſolvendum eſſe ab impetitis ex parte magn. D. Donati ejus fratris.

Marcus Antonius Quaranta Act. Mag. Joannes Santonicandro Scriba.

In cauſa inter magn. Baronem D. Balthaſſarem Linares, ac D. Hilarium, & D. Roſarium fratres de Totino ex una, & magn. D. Antonium Pellicano, & Dominicum de Felice ex altera. Die 11. Martii 1775.

Alveus a flumine in univerſum derelictus adquiri poteſt; cum vero ope & induſtria hominis fluminis curſus avertitur, atque in ejus alveo ædificatur, ædificium deſtruendum eſt, atque damnum vicinis illatum ſarciendum.

MAgn. Baro D. Balthaſſar Linares, & fratres de Totino teſtium depoſitionibus exhibitis, ex quibus liquet, fratres de Pellicano annis præteritis, ſpecie tuendi proprium prædium ab alluvione fluminis *Gallizzi*, conſtruxiſſe parietem ſive vallum, confinia proprii prædii haud longe progredientem, de quo propterea vicini minime conqueſti; deinde vero ipſos de Pellicano, eorumque emphyteutam de Neapoli, libidine idem prædium protrahendi, ſibique partem alvei fluminis prædicti vindicandi, anno 1773. conſtruxiſſe novum parietem, atque novam ſepem, ſive palationem; unde averſo ejuſdem fluminis curſu, ac mutato alveo, maximum vicinorum prædiis illatum fuerit damnum, & prædio præſertim eorundem fratrum de Totino *fol.* 46. *ad* 71.; petierunt reduci ad priſtinum innovata per magn. fratres de Pellicano, eorumque emphyteutam Dominicum de Neapoli, utilem dominum prædii dicti *Agliocane*, prope ripam fluminis, quod vocant *Gallizzi*, eoſque damnari ad

ad ſarcienda damna ejus feudo, quod vocant *Cicchetto*, e contraria regione ejuſdem fluminis poſito, ob novum parietem in alveo fluminis prædicti conſtructum, illata *fol.* 2. *&* 3. Altero ſupplici libello D. Hilarius & D. Roſarius fratres de Totino poſſeſſores quoque prædiorum, quæ vocant *Micciò*, prope idem flumen, petitioni præfati de Linares inhæſerunt *fol.* 11.

Fratres de Pellicano e contra probarunt fide Scribæ Regiæ Audientiæ Provincialis, & quatuor civium Terræ Giojoſæ, partem parietis noviter a ſe ipſis conſtructi inundatione fluminis fuiſſe everſam, & ſupereſſe dumtaxat antiquum parietem annis retro elapſis conſtructum *fol.* 83. *&* 108.

Et inſtantibus D. Hilario de Totino, & D. Balthaſſare Linares, I. parietem, atque ſepem ſive palationem in alveo fluminis a fratribus de Pellicano, eorumque emphyteuta conſtructam, eorum ſumptibus eſſe deſtruendam: II. mandari iiſdem de Pellicano, & de Neapoli, ut nulla in poſterum per eos in flumine publico, ſive in ejus alveo innovatio fieret: III. demum damnari illos ad reficienda damna, atque litis expenſas *fol.* 98: Contra, fratribus de Pellicano objicientibus, ſe jure, ultra antiquum, novum parietem ſive vallum conſtruxiſſe, ut proprium prædium a fluminis inundatione ſervarent; eorumque emphyteutam jure quoque occupaſſe partem alvei jam a flumine derelicti *fol.* 105.

S.R.C. decrevit, *ut omnia innovata per fratres de Pellicano, eorumque emphyteutam Dominicum de Neapoli, in flumine, quod vocant* Gallizzi, *ſive in ejus alveo, præter antiquum parietem in proprio eorum fundo conſtructum, reducantur ad priſtinum; ac proinde tam novus paries (ſi aliquid ſupereſt poſt everſionem illius a nova fluminis inundatione partam) quam vallum, & ſepes in eo conſtructa ſumptibus eorumdem de Pellicano, & præfati Dominici de Neapoli, deſtruatur; qui ſolvant*

vant etiam litis expenſas: neque ipſi, nec quilibet in poſterum audeant in flumine prædicto, ſive in ejus alveo aliquid novi facere, ſub pœna ducatorum 500 *per quemlibet perſolvenda.*

Quoad prætenſa damna ex averſo fluminis curſu, induſtria eorumdem de Pellicano, & de Neapoli, fratribus de Tutino, & Baroni D. Balthaſſari de Linares illata, capiatur ſummaria informatio, ad finem providendi. Et executio committatur Regiæ Audientiæ Provinciali.

Hujus deciſionis ratio, tam pro interdicto reſtitutorio, & prohibitorio, quam pro reparatione damnorum, ex averſo fluminis curſu illatorum, bene habetur in *L. Ait Prætor* 1. *de fluminib.*, *& ne quid in flumine publico, ripave ejus fiat:* Nil penitus adverſante §. 23. *Inſtit. lib.* 2. *tit. de rerum diviſ.*, *& acquir. ipſarum dominio*, qui e contraria parte objiciebatur, ſiquidem ibi Imperator de naturali alveo a flumine in univerſum (non vero ope, atque induſtria hominis) derelicto, loquitur.

Verba fecit de his in S. R. C. D. Horatius Guidotti R. Conſ. & cauſæ Comm.

In cauſa inter Ill. Principem D. Salvatorem Pignatelli, & Ill. Ducem Coriolani D. Jacobum Salluzzi virum & legitimum adminiſtratorem D. Joſephæ Pignatelli. Die 11. *Martii* 1775.

INſtrumento inito die 19. Januarii 1743, attento decreto junctis Aulis per M. C. V. interpoſito, & a S. R. C. etiam junctis Aulis confirmato, pro ducatis 30000 promiſſis infra dotes Ill. Duciſſæ Coriolani D. Joſephæ Pignatelli, qq. Princeps Strongoli ejus pater, ac Principiſſa D. Lucretia Pignatelli ejus mater obligaverunt bona ſubjecta majoratui inſtituto per qu. Principem Strongoli D. Hieronymum Pignatelli, & pendente ſolutione eorundem correſpondere a die contracti matrimonii inter dictam Ill. Duciſſam, ac Ill. Ducem D. Jacobum Sal-

Remiſſio uſurarum ex temporis decurſu argui poteſt, non item fructuſ; præcipue cum nulla appareat remiſſionis cauſa.

Cum præcedente Magiſtratus auctoritate ſuper fideicommiſſi bonis dos promittatur, principaliter obligatū fideicommiſſum in-

telligitur: qua de re annualitate non ſoluta ab eo, qui dotes promiſit, ad ipſius ſolutionem tenetur ſequens fideicommiſſi poſſeſſor.

Salluzzi annualitatem ad rationem ducatorum quatuor pro centenario, cum Regio aſſenſu reſpectu hypothecæ feudalis *fol.* 12. Idem Ill. Dux chirographo diei 6. Julii 1748. promiſit relaxare ac donare dictis qq. Principi, ac Principiſſæ Strongoli ducatos 15000 ex dictis ducatis 30000, cum annualitate decurrenda a die, qua fuerit contractum matrimonium inter Ill. Duciſſam D. Joannam Pignatelli cum qu. Ill. Duce Montiscalvi *fol.*41. Anno vero 1773. præfatus Ill. Dux petiit, reſciſſo contractu prædicto, condemnari dictum hodiernum Principem Strongoli ad ſolvendum præcitatas dotes cum annualitatibus decurſis *fol.*2. Liquidum autem apparet hoc debitum ex fide inventarii per dictum hodiernum Ill. Principem Strongoli ob mortem ejus patris confecti anno 1768. *fol.* 46. E contra hodiernus Ill. Princeps aſſerens poſſidere tantum bona ſubjecta majoratui prædicto, oppoſuit quoad annualitates decurſas in vita ejus patris, nedum tacitam remiſſionem, ſed etiam inefficientiam obligationis bonorum prædictorum, nam cum ſit reputanda ſubſidiaria, non poteſt creditor vigore obligationis prædictæ agere, ſi ex ejus negligentia debitor fieret non ſolvendo ſuper bonis propriis principaliter obligatis *fol.* 40.

S. R. C., perpenſis tam majoratu prædicto inſtituto per citatum qu. Principem D. Hieronymum in ejus teſtamento *fol.*4., quam capitulis confectis occaſione matrimonii contracti inter citatos qq. Principem D. Ferdinandum, & Principiſſam D. Lucretiam, in quibus dictus qu. Princeps D. Hieronymus, pendente ſolutione ducatorum 25000, ſolvi promiſſorum infra dotes dictæ qu. Principiſſæ D. Lucretiæ ejus filiæ, ſe obligavit correſpondere intereſſe ad rationem duc. trium pro centenario:

Referente R. Conſ. D. Nicolao Veſpoli cauſæ Comm.

Decrevit: *Reſciſſo contractu prædicto, condemnari Ill. Principem D. Salvatorem Pignatelli ad ſolvendum in bene-*

beneficium Ill. Ducis Coriolani D. Jacobi Saluzzi viri ac legitimi adminiſtratoris Ill. Duciſſæ D. Joſephæ Pignatelli ducatos 15000 pro complemento dotium dictæ Ill. Duciſſæ, nam alii ducati 15000 fuerunt relaxati vigore ſupraenunciati chirographi; necnon ad ſolvendum etiam in beneficium dicti Ill. Ducis annualitates decurſas ex integris ducatis 30000 a die matrimonii contracti inter dictos Ill. Ducem, & Duciſſam Coriolani uſque ad diem contracti matrimonii inter qu. Ducem Montiſcalvi, & Ill. Duciſſam D. Joannam Pignatelli, & deinde decurſas ex dictis ducatis 15000 tantum, ad rationem tamen ducatorum trium pro centenario, & ad eandem rationem intereſſe in poſterum, & uſque ad ſatisfactionem dictorum ducatorum 15000, ſuper bonis ſubjectis majoratui prædicto inſtituto per dictum qu. Principem Strongoli D. Hieronymum, & quoad annualitates decurſas a die mortis qu. Principiſſæ D. Lucretiæ Pignatelli, & intereſſe prædictum ad eandem rationem decurrendum, etiam ſuper bonis propriis præcitati Ill. Principis D. Salvatoris. Verum omnes quantitates prædictæ ſolvantur ad rationem annuorum ducatorum 2000, qui cedant prius in cauſam annualitatum decurſarum, & intereſſe decurrendi, & deinde in cauſam ſortis prædictæ ducatorum 15000 cum intereſſe ſcalari. Si vero infra ſex menſes dictus Ill. Princeps ſolverit omnes annualitates prædictas, ſuperſedeatur a reſciſſione.

Nullius momenti habita fuit exceptio præſumptæ remiſſionis annualitatum tempore decurſo non petitarum, nam non agebatur de uſuris, prout in *L. cum quidam §. Divus Pius ff. de uſuris*; nec in termino fuit probata cauſa prætenſæ remiſſionis; imo anno 1748. creditor reſervavit in ſui beneficium ſatisfactionem annualitatum, & anno 1768. ipſemet reus conventus agnovit debitum earumdem. Nec etiam cenſuit S. R. C. eſſe attendendam exceptionem teneri poſſeſſorem majoratus fidejuſſo-

 rio

rio nomine, nam ob defectum bonorum liberorum tempore conſtitutionis dotium vigore decreti interpoſiti ſervata forma Regiæ Pragmaticæ ſub *tit. de Vinc. ſeu cond.* remanſit fideicommiſſum principaliter obligatum, attenta diſpoſitione textus in *Auth. Res quæ Cod. comm. de leg.* Exiſtimavit vero S.C. reduci annualitates ad ratam fructuum bonorum ſubjectorum dicto majoratui, ſuper quibus detractio pro dote fuit permiſſa, etiam attenta eadem ratione ducatorum trium pro centenario ab eodem fideicommittente habita in conſtituenda dote pro dicta qu. Principiſſa D. Lucretia ejus filia.

Franciſcus d'Amora Act. Mag. Laurentius Pagano Scriba.

In cauſa Univerſitatis Terræ Roccæ Quinque-Milliarium cum Venantio Cerelli, & Joanne Thoma Marcheſano ejuſdem Terræ. Die 15. Martii 1775.

Poſſeſſio recte probatur per testium depoſitiones, & libros unciarii; ſecundū autem poſſeſſionem pronunciandum eſſe, certi juris eſt.

UNiverſitas Terræ Roccæ Quinque-Milliarium die 6. Decembris anni 1755. petiit a S. R. C., ut interdicto eam tueretur in quaſi poſſeſſione, cujus in contrarium memoria non extat, exigendi a poſſeſſoribus omnibus arvorum, pratorumque ab ipſa conceſſorum, quæ in ejus Territorio ſita ſunt, annuam tritici, pecuniæque præſtationem titulo dati, redditique *fol.* 32. Et præſertim anno 1754. contra Venantium Cerelli ejuſdem civem in judicio contendit, ut iſtiuſmodi præſtationem ſolveret quotannis, modiorum ſcilicet ſex, & menſurarum duarum tritici, & carolenorum tredecim, aſſium novem cum dodrante *fol.* 1. *& ſeq.*; ac teſtium dictis, rogatorum in termino ſummario a locali Curia conceſſo, probavit quaſi poſſeſſionem exigendi a dicto Cerelli ſupradictam annuam in tritico pecuniaque ob prædia omnia, quæ poſſidebat, præſtationem *fol.* 15. *ad* 19. Inſtititque eadem Univerſitas pro poſſeſſorio judicio adverſus omnes eorum prædiorum, quæ huic præſtationi obnoxia ſunt, poſſeſſores;

ſores; & potiſſimum contra Venantium Cerelli; & Joannem Thomam Marcheſano repugnantes renovavit *fol.* 34. *&* 46. Notificationibus adverſus cives poſſeſſores, maxime vero adverſus eoſdem Cerelli, & Marcheſano, nec non contumaciis incuſatis *fol.* 31. 37. 40. *ad* 45., a Dom. Commiſſario in contumaciam die 28. Septembris 1757. terminus ſummarius circa poſſeſſorium datus eſt, auditis omnibus, quorum intereſſet, *fol.* 47.

Auditis igitur quorum intereſſet in hoc novo termino ſummario, & præcipue Venantio Cerelli, & Joanne Marcheſano, Univerſitas probavit quaſi poſſeſſionem annuam præſtationem, ſive quartam in tritico, & pecunia exigendi a civibus ſuorum prædiorum poſſeſſoribus, quos inter a Cerelli annuos modios ſex cum menſuris duabus tritici, & carolenos tredecim, ac aſſes novem, & a Marcheſano annuos modios quinque cum coppella, ut dicunt, una, & menſuris duabus tritici, & ducatos duos, ac aſſes trigintaquinque *fol.* 55. *ad* 72.: idque ex fidibus a libro unciario ejuſdem Univerſitatis Regiæ Audientiæ Provincialis auctoritate deſumptis, ex quibus patet, Venantium Cerelli, & Joannem Marcheſano eas præſtationes tritici, pecuniæque Univerſitati ſingulis quibuſque annis debere *fol.* 73. *&* 74.

Econtra Venantius hic excipiebat, prædia illa ab Univerſitate majoribus ſuis ſub hac annua præſtatione, quæ vulgo *quarta* dicitur., aſſignata, partim quidem a ſe detineri, partim vero ab ipſamet Univerſitate, partim denique ab eadem civibus aliis aſſignata eſſe *fol.* 9. 26.

Referente R. Conſ. D. Hectore Capycielatro cauſa Comm.

Per S. R. C. declaratum eſt, *quod Univerſitas Terræ Roccæ Quinque-Milliarium manuteneatur in poſſeſſione, ſeu quaſi, exigendi annuas præſtationes, ut ex actis, ſignanter a Venantio Cerelli tumulos ſex, & menſuras duas tritici, carolenos treſdecim, aſſeſque novem cum dodrante quolibet anno; atque a Joanne Thoma Marcheſano an-*

annuos tumulos quinque, copellam unam, ut dicunt, cum menſuris duabus tritici, & carolenos vigintitres, & aſſes quinque, ut ex actis; & pariter Cerelli, & Marcheſano ſolvant quantitates huc uſque decurſas tam in tritico, quam in pecunia; itaut pretii tritici liquidandi, reſpectu quantitatum decurſarum, fiat calculus per Scribam cauſæ, partibus requiſitis.

Quum enim poſſeſſio Univerſitatis Terræ Roccæ Quinquemilliarium exigendi a Civibus dictæ Terræ præſtationes omnes annuas in tritico, & pecunia, titulo dati, & redditi, liqueat tam ex teſtium depoſitionibus, quam ex fidibus libri unciarii ejuſdem Univerſitatis habentis apud omnes certam fidem, immo & paratam executionem; quumque jus publicum, & leges Romanæ in hoc conſpirent, ut poſſeſſoribus ſemper faveatur; non abs re putari debet factum, ſi ii & in judiciis, quæ dicuntur poſſeſſoria, ceteris omnibus præferantur. Et quidem *L. 2. ff. uti poſſidetis*, ſatis docuit, poſſeſſorem, qualiſcumque ſit, hoc ipſo quod poſſidet, plus juris habere, quam quemcumque alium, qui non poſſideat. Immo in *L. 170. ff. de reg. jur.* diſertis verbis præcipitur, ut in pari cauſa poſſeſſor potior habeatur; quibus addenda eſt *L. 163. ff. eod.*, ex qua diſcimus, quum de lucro duorum quæritur, meliorem eſſe cauſam poſſidentis.

Capobiance a Secr. Laurentius Pagane Scriba.

In cauſa inter magn. D. Cajetanum Campagna contra heredes D. Xaverii Cavalcante, & magn. Advocatum nomine omnium creditorum Patrimonii ejuſdem D. Xaverii ſuper revocatione feudi Terræ Sartani. Die 18. Martii 1775.

In revocatoria actione feudi id agitur, ut emptor pretium cum uſuris, venditor feudum cum fructibus

DIe 28. Julii 1763. D. Cajetanus Campagna petiit revocationem venditionis factæ D. Carolo ejus patri feudi Sartani a D. Xaverio Cavalcante, adſerente, ſe poſſidere idem feudum immediate, & in capite a Regia Curia,

ria, ſecundum Regni Conſtitutionem *Conſtitutionem Divæ memoriæ*, & ſpeciatim ex cauſa Aſſenſus non regiſtrati in Quaternionibus Regiæ Cameræ, quum hoc præſenti tempore feudum reperiatur deſcriptum nomine qu. Fabii Caputo antiquioris emptoris *fol.1.* & 2. Dato termino ordinario *fol.5.*, magn. D. Daniel Cavalcante Curator D. Raphaelis Cavalcante filii ipſius D. Xaverii, & magn. Advocatus Creditorum exceperunt, regiſtrationem Aſſenſus factam non eſſe culpa emptoris; & nullo modo revocationem concedi, quum feudum deductum ſit in judicio concurſus, & in præjudicium Creditorum *fol.* 58. S. R. C. die 8. Aprilis 1769. ordinavit, *quod D. Daniel Cavalcante nomine ut ex actis, & magn. Advocatus nomine omnium Creditorum Patrimonii D. Caroli Campagna procurent præciſe & peremptorie infra tres menſes regiſtrationem Aſſenſus, & inteſtationem feudi Sartani, quo tempore elapſo, providebitur ſuper revocatione venditionis prædicti feudi, petita ex parte D. Cajetani Campagna, & D. Roſanæ Rinaldi matris & tutricis ejus filiorum fol.60.*

habeat; ex diſputatione autem fori, in uſurarum ſolutione, & reſtitutione fructuum decernenda illud maxime inſpicitur, quiſnam contrahentium primus revocaverit, vel cujuſnam culpa, vel dolus revocationi cauſam dederit.

Feudo in judicio concurſus creditorum deducto, cum nolint creditores revocatoriam actionem experiri, ea competit emptori; modo quidquid ei à venditore reſtituetur, creditorum juribus relinquatur.

Et cum denuo Advocatus Creditorum inſtitiſſet *fol.* 73.

Referente R. Conſ. D. Stephano Patritio cauſæ Comm.

S. R. C. dixit, *eſſe locum revocationi venditionis feudi Sartani, petitæ a magn. D. Cajetano Campagna filio primogenito & herede qu. D. Caroli emptoris; ac proinde ipſum D. Cajetanum, & magn. Curatorem Patrimonii ejuſdem D. Caroli condemnandum ad reſtituendum idem feudum, cum fructibus a die poſſeſſionis ejuſdem, magn. heredibus qu. Xaverii Cavalcante venditoris; & magn. heredes ipſius D. Xaverii ad ſolvendum pretium pro eodem feudo ſolutum, cum intereſſe a die ſolutionis dicti pretii eidem D. Cajetano: pro quorum fructuum, & intereſſe liquidatione, in biduo audiantur partes; ſalvis tamen juribus ſuper pretio, cum ejus intereſſe, Creditoribus Patrimonii prædicti qu. D. Caroli Campagna; & libe-*

liberationes faciendæ ejuſdem pretii , & intereſſe non fiant, niſi auditis iiſdem Creditoribus ejuſdem Patrimonii, aliiſque magn. fratribus ipſius D. Cajetani. Quod vero ad melioramenta feudi, prætenſa ab eodem D. Cajetano, committatur magn. Tabulario S. R.C. prævia buſſula eligendo, qui partibus requiſitis videat, & in ſcriptis referat cum duabus lecturis , prout impenſum , & prout melioratum, ad finem providendi per S. R.C.

Sublata antiquorum feudalium morum , ac Lotharii , & Friderici I. legum aſperitate circa feudorum alienationes ſine Aſſenſu Domini ; id quod Rogerius I. Rex juſſerat Conſtit. *Scire volumus*, ut ne Regalium quid, nullo ingenio alienaretur , donaretur , vel venderetur ; Fridericus II. ampliavit , temperavitque , ita ut iiſdem contrahentibus jure proprio liceret contractum revocare , ut feudum , inſciente Domino alienatum , non illico ad eum devolveretur (Conſtit. *Conſtitutionem Divæ memoriæ*). Quæ vero pro forma actus ſtatuta ſunt, ea ipſius actus pars ſunt ; quamobrem Aſſenſus regiſtratio , quæ in quaternionibus Regiæ Cameræ fieri oportet infra biennium, quæque de forma Aſſenſus dicitur, pars Aſſenſus eſt (*Pragm.* 23. *de feudis*) , quam , ſi conſtituto tempore , venditor , vel emptor neglexerit , utrique ex eadem Regni Conſtitutione revocatoria competit actio , priuſquam contractus de ſpeciali Celſitudinis licentià confirmetur . Plane id exploratiſſimum eſt ab eo uſque tempore, quo Regentis Salernitani ſolertia mos invaluit Regiis hujuſmodi Aſſenſibus inſerendi irritantem clauſulam , quam in Aſſenſu , de quo agitur, legimus interpoſitam : *Volumus etiam quod præſens privilegium infra biennium a die datæ præinſerti memorialis regiſtretur in Quaternionibus Regiæ Cameræ , & infra biennium ſtatutum in Regia Pragmatica teneatur expediri facere litteras aſſecurationis vaſſallorum, ligii, & homagii , debitæ fidelitatis juramentum præſtare in mani-*

manibus, & poſſe perſonæ ad id ſpecialiter deſtinatæ, alias dicto termino elapſo, pro non præſtito habeatur. Venditor igitur ex vi reſolutæ conditionis rem cum fructibus conſequatur, emptor pretium cum uſuris: æquius vero diſputatione Fori introductum eſt, ut venditor, quoties primus revocaverit, pretii uſuras ſolvat; is enim eſt, qui, non ſine culpæ præſumptione, primus a contractu recedit: contra emptor, qui primus revocavit, ex ſua culpa, vel dolo, uſuras non repetat; eæque rectius cum fructibus, compenſationis miniſterio, extinguantur; meritoque emptor id genus damnum patitur; majores fere uſuræ ſolent eſſe fructibus. At ſi emptor juſta cauſa revocaverit, id eſt, feudum quod venditor dixerat ſe habere *immediatum*, *& in capite a Regia Curia*, reperiret in regiſtris alieno deſcriptum nomine, iſque fruſtra & inutiliter apud Regiam Curiam petiiſſet, ut ſuo nomine deſcriberetur, recte eum petere pretium cum uſuris, omneque id quod intereſt Judex arbitrabitur. Qui ſervum, vel animal morboſum, vel vitioſum pro bono vel ſano vendidit, vitio, vel morbo detecto, debet pretium cum uſuris reſtituere, *L. 29. ff. de Ædil. Edict.* Si tamen creditores emptoris, cujus Patrimonium, atque nominatim feudum in judicio concurſus fuerit deductum, revocatoriam actionem nollent experiri, competet & hæc actio emptori, modo quidquid ei a venditore reſtituendum erit, Creditorum juribus relinquamus. Is, qui bonis ceſſit, ante rerum venditionem bonis ſuis non caret, quare ſi paratus fuerit ſe defendere, bona ejus non veneunt, *L. 3. & 5. ff. de ceſſ. bonor.*

Cajetanus de Martino Act. Mag. Bernardus Priſcolo Scriba.

In

In cauſa inter Ill. fratres de Brancia, & Ill. Ducem Ceſalà coheredem qu. D. Franciſcæ Grimaldi. Die 20. Martii 1775.

Pacta, & promiſſa, quæ permixtim apponuntur, atque ſub unica conventione, unoque jurejurando continentur, licet reſpiciant duo negotia ſui natura inter ſe diviſa, inducunt tamen obligationis correſpectivitatem; ac proinde qui ex hujuſmodi conventione agit, niſi probaverit, ſe adimpleviſſe, non poteſt alterum contrahentem ad implementum cogere.

D. Joſeph Brancia inſtrumento, etiam proprio nomine, ſe obligavit, ducatos 6600 quandocumque, & annuos interim ducatos 330 ſolvere D. Franciſcæ Grimaldi mulieri D. Scipionis Brancia, inita tamen conventione, vigore cujus ipſamet D. Franciſca ære ſuo promiſit expignorare argenta inibi deſcripta, & poſt bimeſtrem ſuo periculo Neapolim adſportata conſignare D. Joſepho, qui infra biennium ſolvere teneretur ducatos 700; alias tranſactio quoad omnia eſſet nulla, reſervato dumtaxat unicuique regreſſu ad primæva jura; & conventum pariter fuit, quod D. Joſepho non ſolvente dictos ducatos 700, contractus a creditrice reſcindi poſſet, nedum pro iſtis, verum etiam pro aliis ducatis 6600 ſortis demortuæ annuorum ducatorum 330. Secundo autem inſtrumento, nonnullos poſt dies ſtipulato, firmum quoad omnia primum remanſit, ſolo pacto conſignationis argentorum reformato; quippe D. Franciſca ſe obligavit ſtatim ære ſuo illa expignorare, & conſervare tempore quamvis longiſſimo; & ſolutis a D. Joſepho prius ducatis 700, conſignare hic Neapoli, alias minime teneretur correſpondere annuos ducatos 330, ſed hi ſui beneficio cederent a die defectæ conſignationis.

Collitigantibus fratribus de Brancia heredibus dicti D. Joſephi cum Ill. Duce Ceſalà coherede etiam D. Franciſcæ Grimaldi, S. R. C. die 22. Martii 1774. dixit condemnari dictos fratres de Brancia ad ſolvendum Duci Ceſalà ducatos 6600 cum annualitatibus ab anno 1695. pro duabus ex tribus portionibus, impartito termino ſuper pretio argentorum. Nullitates propoſitæ fuere per fratres de Brancia, ex eo quia creditrix D. Franciſca non adimplevit contenta in inſtrumentis; ſuper his fuit facta

facta paritas *fol.* 130. Diſcuſſo iterum negotio, partibus pluries, ac plenius voce, ſcriptiſque auditis, viſum eſt, litis deciſionem pendere a qualitate contractuum anni 1660., quibus mature perpenſis, cenſuit S. C. tranſactionem dictis duobus inſtrumentis initam inter ipſam D. Franciſcam olim qu. D. Scipionis Brancia conjugem ex una, & qu. D. Joſephum Brancia D. Scipionis heredem ex altera, fuiſſe utrinque reſpective obligatoriam & correlativam. Pacta enim taliter concepta ſatis abunde correſpectivitatem promiſſorum una tranſactione, & ſub unico jurejurando demonſtrant; imo D. Joſeph ſe, ſuaque bona ultra vires hereditarias non obligaviſſet pro debito qu. Scipionis, niſi creditrix ad expignorandum, cuſtodiendum, & deinde conſignandum argenta ſe adſtrinxiſſet. Correſpectivitatem pariter probat tranſactionis contextus, ubi confuſe pacta utriuſque promiſſionis appoſita, & commixta fuere, ut ex illius patet lectura, ac proinde duo negotia ſui natura inter ſe diviſa, evaſerunt unita, correſpectiva, & contrahentium voluntate taliter correlativa, ut quamvis attenta *Pragm.* 1. *de cenſib.* ſi D. Joſeph exacte ſolviſſet annuos ducatos 330., & e contra defeciſſet a ſolutione aliorum ducatorum 700, D. Franciſca non potuiſſet reſciſſo contractu petere ſortem demortuam ducatorum 6600; attamen vigore pacti poterat ipſos petere, verificata deficientia ſolutionis ducatorum 700: & viceverſa ſi poſt ſolutos ducatos 700 D. Franciſca renuiſſet argenta conſignare, non obſtante, quod de jure intereſſe tantum ducatorum 700, ſcilicet ducati 35 D. Joſepho deberentur, argumento *L.* 40. *ff. de uſuris*; nihilominus hic vigore pacti lucrabatur annuos ducatos 330: quæ omnia nonniſi a correſpectivitate naſcuntur. Talis itaque cum fuerit tranſactio, neminem latet jure cautum eſſe, eum, qui ex hujuſmodi contractibus agit, probaturum eſſe prius ſe adimpleviſſe, ut poſſit alterum contrahentem ad implementum

cogere, ſecus exceptione doli repellatur; quod & in pactis innominatis obtinet, *L. Cum proponas* 21. *Cod. de pactis*, *L. Cum hi* §. *ſed & ſi ff. de tranſact.*, & *L. Sive apud acta* 28. *C. de tranſact. cum aliis concord.* Atqui actor nullas edidit probationes adimpletæ ſtatim expignorationis, ac diuturnæ conſervationis argenti; imo ingenue faſſus eſt, illa non exiſtere, ita ut culpa D. Franciſcæ hodie facta eſt impoſſibilis argentorum conſignatio: ergo Ill. Dux Ceſalà repellendus eſt ab actione. Nec obſtat, quod inter pretium argenti, & ducatos 6600 promiſſos nulla adſit proportio. Nam (prætermiſſo quod pretium, pondus, & manufactura argenti ignoratur.) correſpectivitas inſtrumenti non pendet a proportione prædicta, ſed a voluntate, & affectione contrahentium; qua de re innumera in Romanorum legibus occurrunt exempla, quibus ob non implementum modi, conditionis, aut oneris minimi momenti magnæ hereditates, legata, ac fideicommiſſa amittuntur, & pacta licet maxime contrahentibus proficua, reſolvuntur. Non obſtat ſecundum videlicet, quod in enunciatione viciſſim prætenſorum, ſeu in parte aſſertiva inſtrumenti nulla de argentis cautio legatur, etenim juxta *L.* 1. *ff. de tranſact.*, tranſactio fit de rebus dubiis, quas tantum recenſere oportet; de rebus certis paciſcitur, non tranſigitur. E contra pertinentia argentorum, quantitas ad ea expignorandum neceſſaria, illorumque reſtitutio favore D. Joſephi erat certa, ideoque inter prætenſiones dubias fuit prætermiſſa; nihilominus in tranſactione ſpeciali pacto conventa eſt, quod ſufficit ad correſpectivitatem fundandam. His adjicitur factum D. Franciſcæ. Ea namque octo annis poſt concordiam ſtipulatam comparuit in S. C., ubi facta illius mentione ſubjunxit, D. Joſephum defeciſſe ab annualitatis correſponſione, ac proinde vigore pacti remiſſionem majoris ſummæ, & quietationem generalem tranſactio-

ctione contentam eſſe reſolutam *fol.* 134.; hinc videtur ipſam a placitis receſſiſſe, nam eligit potius regreſſum ad primæva jura, quam concordiæ executionem petendo ſe declarari creditricem ducatorum 27000 ſuper hereditate Scipionis, non obſtante quod omnia ſolis ducatis 6600 tranſacta erant, & quamvis eadem in inſtantia proteſtata fuerit nolle ſuis juribus contra D. Joſephum præjudicare, attamen hæc proteſtatio, ceu contraria facto neutiquam eſt attendenda. Ex his igitur cum conſtet obligationem nomine proprio aſſumptam a D. Joſepho Brancia in citatis inſtrumentis eſſe reſolutam, & e converſo ambigi non poſſe de ſubſiſtentia, & veritate crediti in allata ſententia contenti; Idcirco

Per S. R. C. proviſum eſt: *Nullitates obſtare., ac proinde Ill. fratres de Brancia abſolvendos eſſe ab obligatione nomine proprio contracta a qu. D. Joſepho Brancia vigore inſtrumentorum* 13. *Januarii, & 11. Martii* 1660: *fol.* 15. *ad* 28., *& ſint ſalva jura Ill. Duci Ceſalà, & coheredibus qu. D. Franciſcæ Grimaldi, nedum pro credito in dicta ſententia liquidato, verum etiam pro omnibus aliis per ipſos prætenſis, tam in bonis hereditariis qu. D. Scipionis Brancia, inter quæ bona attento albarano præſentato per dictum Ill. Ducem fol.* 68. *computandum eſſe etiam pretium argentorum in actis deductorum, quam ſuper liberationibus forſan factis ex juribus dicti qu. Scipionis, in beneficium qu. D. Joſephi, ejuſque heredum poſt ſtipulationem dictorum inſtrumentorum anni* 1660.: *& reſtituatur depoſitum.*

Januarius Manſi Scriba:

Verba fecit de his in S. R. C. D. Dominicus Antonius Avena R. C. & cauſæ Comm., D. Nicolao Caracciolo, D. Salvatore Caruſo, & D. Antonio Carpentiero Adjunctis.

In cauſa inter D. Andream, & D. Joſeph Montemurro ex una, & Rev. D. Petrum Paulum Brunetti ex altera. Die 27. menſis Martii 1775.

Legato fundo ea lege, quod pretium legatarius ſolvat, non excluditur vicinus a retractu.

D. Andreas Montemurro actionem retractus intendit apud Judicem Terræ Maſſafræ adverſus D. Petrum Paulum Brunetti ad avocandum prædium quoddam, vulgo dictum *Piantata*, alteri ejus prædio finitimum. Quod etſi legati titulo per eundem Brunetti quæſitum eſſet, obtendebat tamen ipſe actor, hujuſmodi legatum naturam potius redolere venditionis, cum ea lege legatum fuerit, ut ſolveret legatarius pretium rei legatæ per expertos æſtimandum, ut ex teſtamento *fol.* 13.; quod non alia ratione factum aſſerebat, niſi ut ei retrahendi facultas adimeretur *fol.* 11. Excepit e contrario conventus, nullam actori, qui clericus erat, competere actionem retractus, nedum quia fundus eo tempore quæſitus fuerat, quo clericos jure congrui uti, ſive agebant, ſive conveniebantur, vetitum erat, quod ſuſtulit inde Regale diploma anni 1762.; verum etiam, quia ſolius pretii ſolutio non efficit, ut quod legatum eſt, venditum cenſeatur, ſi legatarii interſit fundum propter affectionem, & utilitatem potius habere, quam pretium, ex diſpoſitione *L.* 56. *ff. de legat.* 2. *fol.* 22. 26. 30. A decretis Judicis primæ, & ſecundæ inſtantiæ appellatum fuit ad Regiam Audientiam Provincialem, quæ dedit terminum ordinarium *fol.* 68. 76., in quo per actorem probatum fuit, fundum prædictum tres modios non excedere, ac longo ſpatio diſtare ab alio prædio ejuſdem Brunetti, & productæ fuerunt atteſtationes uxoris, & filiæ teſtatoris, quibus aſſertum eſt teſtatorem legaſſe animo vendendi, & animo emendi pretium a legatario exſolutum fuiſſe, nec non legatarium ipſum ſæpe uxorem teſtatoris precibus antea efflagitaſſe, ut ſuaſionibus ſuis virum induceret, non ut ſibi prædium legaret, ſed ut

ut venderet *fol.* 118. 124. 135. 152. Ex adverſo Brunetti conventus duobus teſtibus conatus fuit probare, uxorem teſtatoris ſic depoſuiſſe juſſu, & impulſione Sacerdotis, qui eam in ſpiritualibus dirigebat; ipſam vero mentis impotem fuiſſe, & ſic quoque filiam, quippe quæ erat impubes. Et inſuper ad demonſtrandam affectionem in prædium probavit ſuam conſanguinitatem cum teſtatore *fol.* 177. 180. 188. 196. 198. *&c.* Poſtquam vero Regia Audientia decrevit eſſe locum retractui, per novam appellationem cauſa ad M. C. V. delata eſt, quæ declaravit: *Bene appellatum per Rev. D. Petrum Paulum Brunetti, & male judicatum per Regiam Audientiam Provincialem.* Sed rurſus ab actore, qui ſententiæ huic non acquievit, appellationis remedio ad S. R. C. provocatum eſt.

Incerti juris non eſt, actum contra legem, vel in fraudem legis, non valere, *L.* 29. *&* 30. *ff. de leg. L.* 1. *ff. ſi quid in fraud. patr.* Cavit lex eum, qui velit extraneo vendere, teneri ei denunciare, cui actione congrui avocandi fundum jus eſt, Conſtit. *Sancimus*. Quoties ergo ſub alterius, quamvis liciti actus ſpecie, aliquis revera extraneo vendat, abſque vicini denunciatione, in fraudem legis facit, cum in fraudem legis faciat, qui ſalvis verbis legis, ſententiam ejus circumvenit *d. L.* 29. Sententiam Conſtit. *Sancimus* circumvenit, qui in Regno legat fundum centum dignum, ſi legatarius centum heredi, vel cuilibet alii dederit, quia revera vendit, non legat. Legatum eſt donatio, qua aliquid aufertur ei, a quo relictum eſt, *L.* 36. *ff. de legat.* 2. *L.* 1. *C. comm. de legat.*, & donare nihil aliud eſt, quam perdere *L.* 7. *ff. de donat.* Sed nihil perdit, nihil aufertur ei, qui pro re pretium habet, nam qui pretio fruitur, non minus habere intelligitur, quam qui re fruitur, *L.* 45. *ff. de uſufr.* E contrario, ſi pecuniam dem, ut rem accipiam, emptio venditio eſt, *L.* 5. *ff.* de

Digitized by Google

de præſcr. verb. Facile ergo deprehenditur, eum, qui legat, ut rei legatæ pretium accipiat, non legare, id eſt donare, ſed vendere. At uberrimum eſſe (quod opponitur) hujuſmodi legatum, cenſuit nedum Terentius Clemens in *L. 56. ff. de legat. 2.*, ſed & Cajus in *L. 69. ff. de legat. 1.*, & Paulus in *L. 65. ff. ad L. Falc.*; nec alia ratione, quam quod aliquando intereſt legatarii fundum potius habere, quam centum, & ſic lucri aliquid ei affertur, quod neceſſario requiritur, ut valeat legatum, *L. Circa ff. ad L. Falc.*; ſed ex eo quia maxime mea intereſt fundum habere, tu, qui eum juſto pretio mihi tradis, ita ut tibi nihil abſit, num liberalitatem aliquam exerces, cum donas? Si non donas, quod ſpectat ad te, venditio eſt. Uberrimum quidem eſt legatum, ſed opinione, & affectione legatarii; communi pretio, & utilitate inſpecta, inutile eſt. Quod adeo verum, ut ſi tantum ſit in pretio fundi, inquit Paulus *L. 125. ff. de legat. 1.*, quantum heredi dare juſſus eſt, non eſt cogendus legatarius fideicommiſſum a teſtatore relictum preſtare; quum nihil ex teſtamento videtur capere, qui tantum erogat, quantum accipit. Nihil ergo capit ex teſtamento; qui fundi legati pretium ſolvit; ergo teſtator nihil donat, ergo vendit. Quod & Cajus ipſe fatetur in *dict. L. 69.* dum inquit: *Etſi æquo pretio vendere juſſerit heredem ſuum teſtator &c.* Ut vero fraus legi fiat, ſufficit opinio ejus, qui alienat, quia dolum, tradit Ulpianus *L. 1. ff. ſi quid in fraud. patr.*, accipere nos oportet ejus, qui alienavit, non ejus, cui alienatum eſt, & non ex eventu dumtaxat, ſed ex conſilio quoque, fraudis interpretatio deſumitur, *L. 80. ff. de reg. jur.* Qui ergo ſic alienat, ut pretium rei recipiat, alienat animo vendendi, & revera vendit, quod cum a Conſtit. *Sancimus*, abſque vicini denunciatione, vetitum ſit, quocumque modo, etſi a lege non improbato id fiat, in fraudem legis fit, ergo

go

Digitized by Google

go revocandum. *Si enim*, inquit Ulpianus *dict. L. 1.*, *alienatio dolo facta ſit, non quærimus utrum mortis cauſa facta ſit* (loquitur de liberto, qui vivus donare benemerentibus amicis poteſt., *L. 9. ff. eod.*) *omni enim modo revocatur*.

Actori vero competebat jus retrahendi; quidquid enim fuerit de conſuetudine hujus Civitatis, jure quidem Conſtitut. *Sancimus* jus congrui Eccleſiaſticis perſonis ſervandum erat. His omnibus perpenſis,

Referente R. C. D. Franciſco Maſtellone cauſæ Comm.

S. R. C. dixit: *Bene fuiſſe appellatum per D. Andream, & D. Joſeph Montemurro, & male fuiſſe judicatum per M. C. V., ac proinde ſuſpenſo decreto dictæ M.C.V., exequendum decretum Regiæ Provincialis Audientiæ.*

Baſilius Baſile Act. Mag. Cajetanus Miſcinera Scriba.

In cauſa inter D. Januarium de Ruſſo, & D. Alexium Paſchalem Panſa. Die 27. Martii 1775.

D. Januarius de Ruſſo die 1. Martii 1756. vendidit D. Alexio Paſchali Panſa ſalmas, uti loquuntur, quingentas olei, poſtulante ipſo emptore, in Civitate Gallipolis ſtatim tradendas, pro pretio duc. 6500., ad rationem duc. 13 pro qualibet ſalma, hoc inter alia convento pacto: *E ſi è convenuto, che ſe per tutto il dì 10 del meſe di Novembre proſſimo venturo del corrente anno 1756 detto Sig. D. Aleſio Paſquale non ſi avrà ricevuti e fatti caricare detti ogli, in tal caſo dalli 11 del detto meſe di Novembre in poi l'affitto delle poſture di detti ogli, a ragione di un carlino per ciaſcuna ſalma l'anno, debba correre a carico e peſo di detto Sig. Panſa, reſtando in tanto gli ogli ſuddetti a cuſtodia e riſico di detto Sig. D. Gennaro, ſintantochè di quelli ne farà la conſegna*: Et cum hoc alio pacto: *E mancando detto Sig.*

Admittitur compenſatio de pecunia ad quantitatem; unde cum proponitur, debitorem generis, creditore conſentiente, pecuniam ſolviſſe, debitum generis imminui cenſendum eſt: hoc autem deminuto, incrementum pretii ejuſdem generis, pro concurrenti quantitate pecuniæ ſolutæ, imminuitur quoque.

Sig. D. Gennaro dalla conſegna di dette cinquecento ſalme d'ogli, ad ogni richieſta di detto Sig. D. Aleſſio Paſquale, in tutto, o in parte . . . ha voluto detto Sig. D. Gennaro eſſer tenuto a tutti i danni, ſpeſe, ed intereſſi, che detto Sig. Panſa ne veniſſe a patire, così di lucro ceſſante, come di danno emergente . . . . e le quantità di denari, che quelli importeranno, una colli ſuddetti ducati 6500, che ſi troveranno per detto Sig. D. Gennaro anticipatamente ricevuti per il prezzo di detti ogli, ſia eſſo Sig. D. Gennaro tenuto ed obbligato pagare e reſtituire quì in Napoli al detto Sig. Panſa. fol. 10. ad 12.

Anno 1760. D. Alexius Paſchalis Panſa aſſerens ſe emiſſe anno 1756. a D. Januario de Ruſſo ſalmas quingentas olei pro pretio convento ducatorum 6500, ad rationem ducatorum 13 pro qualibet ſalma, petiit admitti inter creditores Patrimonii ejuſdem, ſecundum æram inſtrumenti prædicti, pro ducatis 7750, quanti tunc temporis ſalmæ quingentæ olei valebant, ad rationem ducatorum 15. & aſſium 50. pro ſingulis ſalmis, una ſimul cum mercatorio fœnore ducatorum ſex pro ſingulis centum, ſibi, uſque donec fieret ſolutio ſortis, perſolvendo *fol.* 8.

Solviſſe vero D. Januarium Ruſſo nonnullas quantitates dicto Panſa apparet ex duabus ſchedis Menſæ argentariæ SS. Salvatoris, una ſcilicet duc. 900 diei 27. Julii 1757., altera duc. 100 diei 27. Auguſti ejuſdem anni, hac lege ſolutione facta, *per doverſene accreditare ſopra il prezzo dell' olio tra loro contrattato mediante iſtromento &c. fol.* 300.; & ex tribus apochis de recepto, una ſcilicet diei 1. Maji 1758. duc. 332, altera diei 29. Januarii 1759. ducatorum 82, & aſſ. 30, & tertia demum diei 2. Junii 1760. ducatorum 60, ab eodem Panſa receptorum, *per bonificarceli nel noſtro conto, fol.* 304. 306. *&* 312. Verum die 8. menſis Februarii anni 1762. heredes

redes præfati D. Alexii Paſchalis Panſa faſſi fuerunt, dictum D. Alexium, dum viveret, recepiſſe duc. 1474, & aſſ. 30, contentos in ſuperius relatis duabus ſchedis Menſæ argentariæ SS. Salvatoris, ac tribus apochis de recepto; ac proinde debere conſequi ducatos 5025, & aſſ. 70, atque alios ducatos 1250 ex cauſa pretii majoris olei prædicti *fol.* 374.

Quare decreto diſcuſſionis diei 17. Februarii 1762. lato a tunc temporis cauſæ Commiſſario D. Ferdinando Latilla, fuit mandatum; *ut creditum D. Alexii Paſchalis Panſa, ſecundum declarationem prædictam remaneret ſuper Patrimonio D. Januarii de Ruſſo pro ducatis* 5025, *& aſſ.* 70, *cum anterioritate enunciati inſtrumenti diei* 1. *Martii* 1756.; *& reſpectu tam deductionis prætenſæ a Curatore aliorum ducatorum* 70, *contentorum in tribus chirographis, quam majoris quantitatis pretii dicti olei; & ſuper omnibus aliis hinc inde deductis & prætenſis, in biduo audiantur Partes*, *fol.*54.*proc.graduat.creditor.*

Heic cum die 25. Septembris 1762. fuiſſent addicti in beneficium heredum D. Alexii Paſchalis Panſa ducati 4358, & aſſ. 5, pro abſolutione duc. 5025, & aſſ. 70, *fol.*124. hi petierunt abſolvi terminum ordinarium in decreto diei 17. Februarii 1762. impartitum, ut admitti poſſet creditum eorundem in aliis ducatis 1250, cum eadem anterioritate & hypotheca diei 1. Martii 1756., nulla habita mentione uſurarum ab olim D. Alexio Paſchale Panſa petitarum *fol.* 472. Et decreto diei 31. Auguſti 1763. fuit cautum, quod *terminus ordinarius alias datus, curreret a die ejuſdem decreti*, *fol.* 473.

Hinc Curator Patrimonii, poſt termini abſolutionem, exhibuit tres apochas, & ſeptem ſchedas, ex quarum primis habetur, D. Alexium Paſchalem Panſa, dum in humanis agebat, recepiſſe a D. Januario Ruſſo duc. 289, & aſſ. 20, & ex ſecundis eundem Panſa poſtulaſſe ducatos 852, & aſſ. 20. *fol.*490. *ad* 507.; & cum petiiſſet

recognoſci chirographa, & characterem præfati D. Alexii *fol.* 507., ſententia S. C. diei 20. Junii 1768. fuit damnatum Patrimonium D. Januarii de Ruſſo *ad ſolvendum in beneficium heredum D. Alexii Paſchalis Panſa pretium ſalmarum quingentarum olei, per dictum D. Januarium ei venditarum, ad rationem ducatorum 15, & aſſ. 25 pro qualibet ſalma, una cum intereſſe ejuſdem pretii ad rationem prædictam, pro ducatis quatuor in ſingulis centum ſortis a die deductionis Patrimonii, demptis tamen ex quantitatibus prædictis tam ſummis jam liberatis, pro quibus calculetur etiam intereſſe uſque ad diem earum receptionis, quam annuis ducatis 50 a die 11. Novembris 1756. uſque ad diem deductionis Patrimonii cauſa locationis poſturarum, in quibus oleum prædictum reponi ac ſervari debebat, ſervata forma inſtrumenti; ac etiam demptis ducatis 1474. & aſſ. 30, cum eorum intereſſe ad eandem rationem ducatorum quatuor in ſingulis centum, & ex eodem tempore deductionis Patrimonii uſque ad diem deductionis ipſorum jam factæ, pro quo effectu fiat calculus per Scribam cauſæ quantitatum ſortis & intereſſe reſpective debitarum, ad finem providendi ſuper liberatione reliqui crediti prædictorum heredum de Panſa. A prætenſa vero ante compilationem termini deductione ex eodem credito aliorum ducatorum 70 præfatos heredes abſolvi, & reſpectu deductionis aliarum quantitatum noviter prætenſæ per Curatorem in ejus comparitione fol. 507., in biduo audiri Partes, præſtita cautione ab heredibus prædictis de reſtituendo ſummas ei liberandas vigore ejuſdem ſententiæ, viſo exitu termini, fol. 516.*

Nullitates ab eodem Curatore productæ ſunt, in quarum tribus ad meliorem reduci frugem hujuſmodi ſententiam petiit quoad uſuras, ſive intereſſe ad rationem ducatorum quatuor in ſingulis centum, a die deductionis Patrimonii admiſſum: & in quarta moleſtam eſſe dixit Patri-

Patrimonio hanc ſententiam pro termino ordinario impartito ſuper apochis de recepto, quæ executive erant admittendæ *fol.*519. Quibus nullitatibus inhæſerunt tam Regius Conſiliarius Ill. Princeps Dentice, quam nonnulli Cives Genuenſes, creditores dicti Patrimonii, & petierunt dictam ſententiam nihili habendam, ea ratione, quia contractus venditionis olei initus inter D.Alexium Paſchalem Panſa, & D.Januarium de Ruſſo, conſenſu eorumdem habendus eſſet pro reſoluto, ob reſtitutionem partis pretii ab ipſo D.Januario in beneficium D. Alexii factam *fol.*555. 556. & 559.

Deinde decretis tunc cauſæ Commiſſari dierum 13. Januarii, & 25. Februarii 1769. mandatum fuit, quod fieret recognitio chirographorum, & characteris eorundem per duos Act. Mag. S.C., partibus non ſuſpectos *fol.* 537. Quibus per D. Joannem Rubino, & D. Franciſcum de Amora die 4. Aprilis 1769. recognitis, relatum eſt, apochas, & ſchedas omnes in actis exhibitas eſſe ejuſdem characteris præfati D. Alexii Paſchalis Panſa *fol.*542.

Referente igitur R. Conſ. D. Horatio Guidotti cauſæ Comm.

S. R. C. declarat: *Primam, ſecundam, & tertiam nullitatem obſtare; ac proinde ducatos 1474, & aſſ. 30. a D.Januario Ruſſo qu. D.Alexio Paſchali Panſa ſolutos, juxta declarationem factam per heredes ipſius D.Alexii, pro concurrenti eorum quantitate imminuiſſe debitum ſalmarum, uti vocant, quingentarum olei a D. Januario Ruſſo venditarum; pro quo effectu ſententia S.R.C. diei 20. Junii 1768., quoad incrementum pretii olei in ea ſtatutum, executioni mandetur pro totidem ſalmis, reſpondentibus pretio per dictum Panſa ſoluto, virtute inſtrumenti diei 1. Martii 1756., facta tamen detractione prædictorum ducatorum 1474, & aſſ. 30, & cum deductione pariter facienda ſuper reliquis quantitatibus caroleni unius pro qualibet ſalma a die 11. Novembris 1756. uſque ad diem deductionis Patrimonii factæ per*

 cun-

eundem D. Januarium de Ruſſo, cauſa piſcinarum, ſive, uti vocant, poſture, *in quibus oleum, ut ſupra venditum, juxta inſtrumentum prædictum, reponendum erat, & ſervandum. Terminus vero datus in eadem ſententia ſuper aliarum quantitatum prætenſa detractione, currat etiam pro intereſſe prætenſo ab heredibus ejuſdem Panſa fol.* 8.

Et demum, viſo ſupplici libello nomine eorundem heredum noviter exhibito fol. 567., *pro deductis in eodem ac prætenſis, quoad creditum Ill. Principis Dentice, ſint ſalva jura, ſi quæ competunt, tam Curatori Patrimonii, quam aliis perſonis legitimis.*

Cenſuit S R. C. tria prima nullitatum capita per Curatorem Patrimonii adverſus ſententiam ipſius S. R. C. propoſita, quæque ad incrementum pretii olei atque intereſſe ejuſdem pretii ſpectabant, obſtare. Ratio ita judicandi ex eo deprompta eſt, quod cum D. Alexius Paſchalis Panſa die 1. Martii 1756. ſalmas, uti vocant, quingentas olei, in Civitate Gallipolis ad ſui libitum tradendas, a D. Januario Ruſſo emiſſet, ſoluto pretio ducatorum 6500, ad rationem ducatorum treſdecim pro qualibet ſalma; cumque ob pretia ab illa die in poſterum ſatis decreſcentia, Panſa emptor olea non petierit, atque Ruſſus venditor (ipſo Panſa poſcente) annis 1757. 1758. 1759. 1760. ducatos 1474, & aſſ. 30 eidem ſolverit pro illis in pretium olei venditi referendis; perſpicuum ſane erat, eoſdem ducatos 1474, & aſſ. 30, debitum ſalmarum quingentarum olei imminuiſſe: quo deminuto, incrementum pretii ejuſdem olei, pro concurrenti quantitate pecuniæ ſolutæ, imminui par erat, etiam virtute compenſationis, quæ fit ipſo jure, *L.* 4. *&* 14. *C. de compenſat.*; quæque etiam recte fit tam de pecunia ad quantitatem, *Gloſſ. in L. Neque ſcriptura C. de compenſat.*, quam cum alter alteri pecuniam ſine uſuris, alter uſurariam debeat, *L.* 11. *de compenſat.*

Ver

Verba quippe ſchedarum Menſæ argentariæ SS. Salvatoris pro ducatis 1000 anno 1757. in duabus vicibus ſolutis, clara ſunt & aperta : *Per dovermene accreditare* (ſic loquitur Ruſſo venditor) *ſopra il prezzo dell'olio tra noi contrattato , mediante iſtromento* . Et quamvis in ſubſequentibus apochis de recepto pro aliis ducatis 474, & aſſ. 30 , annis 1758. 1759. & 1760. ſolutis , Panſa emptor iiſdem verbis uſus non fuerit ; attamen expreſſit , *per bonificarceli nel noſtro conto* . Hinc cum aliæ diverſæ rationes , quam illæ a contractu olei , & a ſuperioribus ſolutionibus proficiſcentes , inter eoſdem non fuiſſent ; aperte viſum fuit , quod verba illa ad hanc eandem cauſam eſſent referendæ . Et revera iidem heredes D. Alexii Panſa in eorum declaratione faſſi fuerunt , eundem , dum ætatem degebat , quantitates prædictas recepiſſe in computum ducatorum 6500 , cauſa contractus olei ſolutorum . Accedit quod cum tempore ſolutionis prædictorum ducatorum 1474 , & aſſ. 30, pretia olei retro abiſſent , & D. Januarius Ruſſo virtute inſtrumenti diei 1. Martii 1756. olei debitor , & non pretii , fuiſſet ; cumque quantitates prædictæ fuiſſent ſolutæ , adjecta lege , *per accreditarſene ſul prezzo dell'olio tra loro contrattato* ; verba hæc certe alias intelligi non poſſunt , niſi quod quantitates illæ imminuere deberent pretium ducatorum 6500 a D. Alexio Panſa virtute ejuſdem contractus ſolutorum ; ac per conſequens , quod pro concurrenti earum quantitate , ex ipſorum contrahentium voluntate , imminuere etiam deberent ſalmas quingentas olei , ad libitum ipſius Panſa ex eodem contractu tradendas.

Quo vero ad intereſſe in ipſorum heredum beneficium a die deductionis Patrimonii in eadem ſententia ſtatutum ad rationem duc. quatuor in ſingulis centum ; ſententia fuit ultra petita . Hoc intereſſe non fuit conventum , & ex mora tantummodo Judicis officio deberi poteſt . Cum-

Cumque de mora dubitaretur, & in libello heredum Panſa, ſuper quo terminus fuit abſolutus, dumtaxat pretii incrementum, non vero ejuſdem pretii intereſſe a die deductionis Patrimonii, fuiſſet poſtulatum; jure merito ſententia non erat exequenda, & novus terminus impartiendus, *L. Ut fundus 18. ff. de communi dividundo*, *L. Cum quidam 17. C. de fideicommiſſ. libertatib.*

Quartam demum nullitatem, quæ ad terminum ſuper aliarum quantitatum detractione, ab ipſo Curatore prætenſa, in eadem ſententia impartitum attinebat, recte cenſuit S. R. C. non obſtare. Siquidem apochæ, virtute quarum hæ novæ detractiones poſtulantur, poſt primi termini abſolutionem fuerunt exhibitæ. Erant igitur in termino comprobandæ, *Pragm. 7. de ord. judicior.* Et poſt ſententiam pronunciatam, diſcuſſione nullitatum adverſus eam propoſitarum adhuc pendente, peritia, ſive comparatio characteris earundem, quæ tantum ſemiplenam probationem efficit, perperam fuit peracta.

In cauſa vertente inter Ven. Parochialem Eccleſiam ſub invocatione SS. Priſci, & Agnelli, ac Conſervatorium Pauperum Puellarum ſub invocatione Divæ Virginis Septem Dolorum Plani Civitatis Surrenti, cum magn. fratribus de Ruſſo ejuſdem Plani, aliiſque, prout ex actis. Die 28. Martii 1775.

Conſuetudo Neapolitana, quæ medietatem bonorum antiquorum proximioribus conjunctis ſervat, non aliter Surrenti admiſſa cenſetur, quam favore filiorum adverſus ſupremas parentum voluntates.

Legata, quæ in beneficium venientium ab inteſtato

REv. D. Dominicus Caſtellano Parochus Ven. Eccleſiæ SS. Priſci, & Agnelli Plani Civitatis Surrenti, teſtamento condito die 25. Septembris 1739. *fol. 6. & ſeq. vol. 2.*, ſcripſit heredem ipſam ſuam Eccleſiam, onere eidem injuncto ſex Capellaniarum pro celebratione miſſarum ſingulis diebus, aliorumque piorum legatorum: ac legatis inſuper Urſulæ, Catharinæ, & Agneti ipſius ſororibus bonis omnibus mobilibus, habitatione in ejus domo, atque uſufructu aliorum ſtabilium, peculiariter in teſtamento deſcriptorum. Codicillis exinde confectis die 29. Martii 1742. *fol. 48. & ſeq.*, adempta Eccleſiæ pro-

proprietate domus, aliorumque ſtabilium ſororibus in uſufructu relictorum, illam poſt ipſarum mortem altero legato tranſtulit in Conſervatorium pauperum Puellarum in eadem ejus domo excitandum ſub titulo Divæ Virgini; Septem Dolorum: cui ulterius in proprietate, & uſufructu legavit alios fundos, ac capitalia annuorum reddituum recenter poſt teſtamentum quæſita. Bonorum autem adminiſtrationem pro Eccleſia, & Conſervatorio in teſtamento, & codicillis mandavit quatuor Gubernatoribus, nempe Rev. Parocho pro tempore ipſius Eccleſiæ, Gubernatori laico, qui de more ex filianis ejuſdem Eccleſiæ quolibet anno eligi ſolet, Rev. D. Andreæ Ceſaro, cui, quoad uſque viveret, tribuit munus Rationalis pro diſpungendis ſingulis annis adminiſtrationis rationibus, ac Doctori Phyſico D. Antonino Caſtellano, ipſi pariter demandata ad vitam bonorum Eccleſiæ, & Conſervatorii procuratione. Poſt teſtatoris mortem ejus ſorores haud conqueſtæ fraternæ diſpoſitionis, quinimo illam ratam habentes, ſupplici libello Regi Catholico, tunc temporis nobis feliciter imperanti, oblato, in eoque fratris diſpoſitione adamuſſim enarrata, ipſam Regia authoritate probari, ac exequi petierunt *fol.* 3. Quibus quidem precibus a Catholico Principe clementer ſuſceptis, piam diſpoſitionem ex facti circumſtantiis confovendam cenſuit; ac proinde die 29. Junii 1742. reſcripſit M.C.V., ut præambulum interponeret, ſervata forma teſtamenti & codicillorum, Regalibus ac generalibus ordinibus in contrarium non obſtantibus: publicam piamque cauſam Conſervatorii favorem merentem his in reſcripto Rex ipſe expreſſit verbis: *Attientas las circumſtancias, que concurren en el caſo preſiente*, *fol.* 4. Iſtiſque ex Regio Solio prolatis nutibus obſequens M.C.V., ac petentibus ipſis ſororibus, die 7. menſis Julii 1742. decrevit, eſſe expediendum præambulum juxta teſtamentum & codicilla, cum ſub-

relinquuntur, eo animo a teſtatore relicta cenſenda ſunt, ut jura penſaret legatariis ſuper ejus hereditate ſpectantia, inter quæ & medietas Conſuetudinaria numerari poteſt.

ſubſtitutionibus, conditionibus, & vinculis in iiſdem contentis, attento Regali Diplomate S. M. *fol* 2. Prout etiam, defuncta Urſula, altero decreto M. C. V. diei 21. Auguſti ejuſdem anni 1742., inſtantibus ſuperſtitibus ſororibus Catharina, & Agnete, ipſiſque denuo fratris diſpoſitionem ratam firmamque agnoſcentibus, fuit declaratum: *Portionem uſusfructus defectam ex morte ejuſdem Urſulæ ſpectare iiſdem duabus ſororibus, juxta teſtamenta & codicilla, in omnibus ſervata forma ipſorum*, *fol.* 1. Ac demum fatum paſſa altera ſorore Catharina, iterum noviſſima ex illis Agnes, in teſtamentum & codicilla conſentiens, petiit, obtinuitque ab eadem M. C. die 25. Septembris 1750. decretum ſpectaviſſe pro integro uſufructu, cum conditione: *Ut poſt ejus obitum uſusfructus conſolidari deberet in beneficium Conſervatorii, vigore pariter ſubſtitutionis per dictum Rev. D. Dominicum in ejus codicillo ordinatæ, & ſervata forma ipſorum*, *fol.* 106. Opus interim Conſervatorii inchoatum fuit ab ipſis Catharina, & Agnete, quoque ipſæ ſeſe receperunt, monialem habitum, & inſtitutum profitentes, cum aliis puellis in eodem cooptatis: qua de re præfata Agnes jam monialis, aſſumpto nomine Mariæ Magdalenæ, poſt mortem Catharinæ ejus ſororis, inſtrumento rogato die 9. Decembris 1751. bona omnia, quæ ipſi obvenerunt, ceſſit, ac donavit in beneficium Conſervatorii *fol.* 92. Hinc poſſidentibus Eccleſia, ac Conſervatorio reſpective bona ejuſdem Rev. D. Dominici, vigore ejus teſtamenti, & codicillorum, ac vigore etiam enarratæ donationis, ſuper bonis iiſdem adverſus Eccleſiam, & Conſervatorium menſe Decembris 1771. motum fuit judicium a Rev. D. Jacobo, & ab aliis ejus fratribus de Ruſſo, quo in S. C. quamplurimæ deductæ fuerunt actiones. Dixerunt enim ſe cognatos proximiores, ac heredes ab inteſtato prædictæ Agnetis poſtremæ ex ejus ſororibus defunctæ, tamquam deſcen-

deſcendentes ex qu. Franciſca Caſtellano eorum abavia, ac proinde in ipſos omnia ejuſdem Agnetis jura fuiſſe translata, una cum ejus inteſtata hereditate. Addebant, in hereditate ipſius Agnetis, cui delatæ etiam erant inteſtatæ ſucceſſiones prædefunctarum ſororum, fuiſſe, atque extare legitimam cunctis ſororibus debitam in bonis paternis, comprehenſam ſive confuſam inter bona hereditaria prædicti Rev. D. Dominici: ac ſpectaviſſe etiam iiſdem ſororibus, & per eas præfatæ Agneti, medietatem bonorum antiquorum qu. Rev. D. Antonii, & D. Joannis prædefunctorum fratrum ejuſdem Rev. D. Dominici, ac medietatem pariter bonorum antiquorum ipſius Rev. D. Dominici, juxta Conſuetudinem Neapolitanam, quam ajebant etiam Surrenti vigere: ac inſuper ſpectaviſſe & ſpectare ipſis proprio jure bona ſubjecta fideicommiſſo, ſive ſubſtitutioni a qu. Paulo Caſtellano, avo præfatæ Franciſcæ Caſtellano ipſorum abaviæ. Quæ quidem actiones inſtitutæ fuerunt, tanquam pertinentes iiſdem fratribus de Ruſſo pro quarta parte, ſiquidem extant etiam deſcendentes trium aliarum ſororum præfatæ qu. Franciſcæ Caſtellano, concurrentes in eodem gradu ſuper inteſtata ſucceſſione præfatæ Agnetis, prout ex ſupplicatione eorumdem fratrum de Ruſſo *fol.* 3. *vol.* 1. Procedente deinde ſuper actionibus prædictis judicio, plurimis aliis ſupplicationibus S. M. porrectis per eoſdem fratres de Ruſſo *fol.* 178. *&c.*, deductum fuit, acquiſitionem Eccleſiæ ex diſpoſitione prædicti Rev. D. Dominici eſſe revocandam juxta cenſuram legis amortizationis, Conſervatorium declarandum Collegium illicitum ex defectu aſſenſus in fundatione, atque ex ipſius incapacitate diſpoſitionem eſſe effectam caducam in beneficium venientium ab inteſtato. Addito etiam, eſſe hereditatem providendam de Curatore ob adminiſtrationem male geſtam a Gubernatoribus in teſtamento, & codicillis delectis, & ſpecifice a D. Antonino Caſtellano,

no, qui peculiariter de non recta verſatione in bonorum tam Eccleſiæ, quam Conſervatorii procuratione arguebatur.

Recte tamen rebus excuſſis, nullum actionibus petitæ bonorum pertinentiæ per fratres de Ruſſo propoſitis, S.C. cenſet eſſe locum. Siquidem quoad Eccleſiam incompetens prorſus eſt exceptio legis amortizationis, quippe cui hereditas, & bona quæſita fuerunt tempore habili, non vetito, & abſque ulla contradictione, nec iſta exceptio videtur deducta, niſi poſt compilationem termini. Quo vero ad Conſervatorium objecta incapacitas refragatur præcitato Regali Reſcripto Regis Catholici, quo ex facultate tributa M.C.V. expediendi præambulum, ſervata forma teſtamenti, & codicillorum, generalibus ordinibus in contrarium non obſtantibus, & ex clauſula etiam: *Attientas las circumſtancias, que concurren en el caſo preſiente*, bonorum acquiſitio favore Conſervatorii, ejuſque capacitas fulcitur Suprema, Regiaque authoritate ex Regali Solio emanata. Quod quidem compertius redditur ex recentiori reſcripto invictiſſimi Regis noſtri feliciter regnantis, ſignato ſub die 30. Julii 1774., jubente: *Eſſe præ oculis habendum, diſpoſitionem teſtamentariam qu. Rev. D. Dominici Caſtellano fuiſſe a Catholica Majeſtate anno* 1742. *comprobatam fol.* 203. *vol.* 2.

Reſpectu vero actionum pro legitima, & medietate bonorum antiquorum ſuper hereditate dicti qu. D. Dominici, quæ proponuntur, ejus ſororibus ſpectaviſſe, ac fuiſſe translatas in ipſos fratres de Ruſſo proximiores cognatos, & heredes inteſtatos præfatæ Agnetis; hujuſmodi actionum exiſtentia, vel pertinentia multis exploditur rationibus. Ex probationibus enim in judicio adductis haud compertum liquido eſt, in Civitate Surrenti, ac in ejus Suburbio, quod nuncupatur Planum, vigere Conſuetudinem Civitatis Neapolis, quoad medietatem bonorum

norum

Digitized by Google

norum antiquorum, ſervandam venientibus ab inteſtato contra teſtamentum. Quinimo juxta ea, quæ teſtatur Præſes de Franchis *deciſ.* 295. *n.* 1. cenſeri debet, non aliter Surrenti admiſſam Conſuetudinem medietatis bonorum antiquorum Neapoli vigentem, niſi favore filiorum adverſus ſupremas parentum voluntates. Quod ſi adhuc dubitari poſſit; in bonis Rev. D. Dominici Caſtellano exiſtere, ac fuiſſe legitimam paternam ejus ſororibus debitam, aut aliam quamlibet quotam bonorum antiquorum, erat hoc quidem jus ipſarum ſororum: attamen obſtat modo earum factum, & juris ratio, ut ejuſmodi qualeſcumque actiones judicari poſſent tranſmiſſæ in earum inteſtatos heredes. Quin imo in teſtamento, & codicillis præfati D. Dominici, legatum mobilium, habitationis in ejus domo, & uſusfructus ſtabilium favore ejus ſororum, eam cauſam in teſtatoris mente habuiſſe cenſendum eſt, ut penſaret omnia jura ipſis ſuper ejus hereditate ſpectantia. Sorores ratam habuerunt fratris diſpoſitionem; unde oberat iiſdem proprium factum, ne adverſus illam exaudiri amplius poſſent, prout cavetur in *L. Si quando* 35. *§. & generaliter C. de inoffic. teſtam.*, qua ſancitum eſt, nec etiam pro ſupplemento legitimæ ullam ſupereſſe amplius quæſtionem, ſi is, cui legitima debebatur, ſive in apocha, ſive in tranſactione ſcripſerit, quod contentus fuerit relicta, vel data parte. Neque ambigi poteſt ex acceptatione fraternæ diſpoſitionis, ipſas profeſſas fuiſſe ſe contentas, relicta ac data parte in fratris teſtamento, & codicillis. Accedit quod pro medietate bonorum antiquorum, licet fingatur delatum iiſdem ſororibus jus aliquod; minime tamen jus idem fuit ab illis agnitum. Et hinc explorati juris eſt contra fratres de Ruſſo jure hereditario prædictarum ſororum venientes, hereditatem non aditam, neque agnitam per defunctum ad ejus heredes non tranſmitti, ex Juſtiniani Reſcripto juxta ve-

terem regulam nos docentem : *Hereditas , niſi fuerit adita, tranſmitti nec veteres concedebant , nec nos patimur. L. unic. §. in noviſſimo D. de caduc. toll.*: Jus namque adeundi non habet niſi ille, cui delata eſt hereditas, qui ſolus eam poteſt acquirere, *L. delata 151. D. de verb. ſignif.*, *L. ſi is 22. D. de acquir. vel omitt. hered.* Heredi vero heredis non defertur hereditas, neque ex teſtamento, quia non eſt inſtitutus, neque ab inteſtato, quia non vocatur a lege, cum non ſit proximus. Quapropter fratribus de Ruſſo ex aſſumpta qualitate hereditaria, ſive omnium ſororum, ſive Agnetis Caſtellano, nullum pertinere poteſt jus, ſive agnoſcendi, ſive adeundi quaſcumque quotas bonorum hereditatis dicti D. Dominici juxta Conſuetudines Civitatis Neapolis, vel Surrenti.

Submovetur denique omnis dubitatio ex donatione anni 1751. facta ab Agnete in beneficium Conſervatorii, qua, cum quæſita fuerint eidem Conſervatorio omnia jura, & actiones prædictarum ſororum, & ſpecifice ipſius Agnetis heredis prædefunctarum ejus ſororum, nullæ in hereditate ejuſdem Agnetis ſuperfuerunt amplius actiones, vel jura ſuper bonis prædicti D. Dominici. Quo vero ad aliam quotam bonorum ex fideicommiſſo qu. Pauli Caſtellano petitam, nullum hujus extat perpetuum fideicommiſſum, ſed tantummodo reciproca ſubſtitutio inter ejus filios ipſis morientibus abſque filiis, quæ uſque ab initio defecit per filiorum exiſtentiam.

Reſpectu autem adminiſtrationis bonorum pro Eccleſia, & Conſervatorio, juris ratio non patitur, quouſque liquido non conſtet de mala verſatione, petitam remotionem vel omnium Gubernatorum, vel præfati D. Antonini Caſtellano, prætextu aſſertæ fraudis & doli; cum nequaquam permiſſum ſit, niſi ex legitima & cognita cauſa deſtruere teſtatoris diſpoſitionem, qui ipſe delegit Gubernatores, Rationalem, & Procuratorem, ac for-

formam etiam in teſtamento, & codicillis præcepit adminiſtrationis ejus bonorum in Eccleſia, & Conſervatorio; ex iis, quæ notat Ulpianus pro tutoribus in *L. 3. §. 1. D. de adminiſtr. tutor.* his verbis: *Si teſtator deſtinaverit teſtamento, quis tutorum adminiſtrationem gerat, illum debere gerere Prætor putavit, meritoque teſtatoris ſtatur voluntati; ut ſi ille declaravit, quem velit tutelam adminiſtrare, ille ſolus adminiſtret*; & idem deſumitur ex *L. 3. §. 5. D. Judic. ſol.* Iſtæ ſiquidem perſonæ a teſtatore electæ, injuncto onere quolibet anno reddendarum rationum, & ab eo ex certa ſcientia approbatæ, ut videre eſt *fol.24. &c.*, jam præſeferunt figuram, imaginem honeſtatis, nedum virtute ejus approbationis, verum etiam quia ex revolutione chartarum in actis ſiſtentium clare conſtat de redditione computorum a die inceptæ adminiſtrationis uſque ad tempus præſens, & de abſolutoriis obtentis: quo quidem caſu tantum abeſt, quod exceptio malæ verſationis veritati nitatur, ut potius reſultet in contrarium præſumptio; quippe miniſterio juris ceſſat malæ verſationis ſuſpicio; & ſubintrat præſumptio rectæ & probatæ jam adminiſtrationis, ſcilicet ex æquo & bono rationes redditas fuiſſe: *Conditio enim rationum reddendarum ſatis impleta videtur, ſi Adminiſtrator doceat, conſtare fidem omnibus, quæ ab eo geſta ſunt, ut neque ſubtraxerit quid ex his, quæ acceperit, neque expenſum rationibus præſcripſerit quod non dederat*, prout ſancitum eſt in *L.82.* & in *L.111. D. de condit. & demonſtr.* Et ratio affertur in *L.8. §.5. D. de liberat. legata*, his verbis: *Is qui reddere rationes juſſus ſit, videtur ſatisfacere, ſi editis rationibus, reliquum reddat*. Sane prorſus irrationabile eſſet, ex ſola criminatione fraudis, & doli, Adminiſtratores teſtamentarios removere, aut illos cogere ad rationes ex integro reddendas; cum regula juris ſit, quod rationes ſemel redditæ, non ſunt amplius reddendæ,

dæ, maxime ubi liberationes fuerint obtentæ. Et contrarium facere eſſet infligere pœnam; cum de jure ad effectum illos puniendi, requireretur dolus non præſumptus, ſed verus, ex quo reſultet delictum poſitivum, ſine quo non datur pœna, *ad textum in L. Sancimus Cod. de pœnis*, quo ſtatuitur: *Ibi eſſe pœnam, ubi & noxa eſt*: Eo magis quia dolus non præſumitur, & ab allegante dilucidis documentis eſt demonſtrandus; de quo quidem dolo poſitivo, nec tempore computorum redditorum, nec in curſu termini quidquam videtur probatum. His accedit, quod removere abſque noxa probata, & ſine ſententia condemnatoria Adminiſtratores teſtamentarios ab eorum reſpective muneribus, in quibus eos teſtator deſignavit, & conſtituit, eſſet evertere ſuprema hominum elogia, & teſtantium voluntates non ſervare, quod impium & iniquum eſſe ſancitur in *L.* 22. & in *L. Conſult. C. de teſtam.*; quoniam publice intereſt ſuprema hominum judicia ſuum ſortiri effectum, *L. Vel negare 5. D. teſtam. quemadm. aper.*, *& Inſtit. tit. de teſtam. ordinand.* Solent quandoque tamen Judices etiam ex officio, fortius vero inſtantibus pupilli conjunctis, vel intereſſe habentibus in Eccleſia, vel in alio pio Loco committere alicui probæ & cordatæ perſonæ non quidem ſolemnem & formalem reviſionem computorum, ſed quamdam ſpeciem ſummariæ reviſionis, ut prorſus indemnitati Eccleſiæ, aut pupilli conſulatur. His itaque juris, & facti rationibus perpenſis;

Referente R. Conſ. Marchione D. Joſepho Manri cauſæ Comm.

S. R. C. pronunciavit: *Tam Ven. Parochialem Eccleſiam SS. Priſci, & Agnelli, quam Conſervatorium ſub titulo S. Mariæ Septem Dolorum Plani Civitatis Surrenti abſolvendos eſſe ab impetitis per magn. fratres de Ruſſo. Et viſis Regalibus Reſcriptis fol. 94. 167. & 203. vol. 2., ac decreto S. C. diei 26. Aprilis 1774. fol. 171., explicando proviſionem in eodem decreto reſervatam, citra*

præ-

præjudicium jurium partium, computa adminiſtrationis geſtæ per D. Antoninum Caſtellano a die obitus qu. D. Dominici Caſtellano reſpectu prædictæ Eccleſiæ, & ab anno 1751. quoad ſupradictum Conſervatorium, revideantur, audito magn. Barone Advocato D. Joanne Baptiſta Gallotti, qui jura tam Eccleſiæ, quam Conſervatorii ad hunc actum tantum tueri valeat, ſalva proviſione facienda reſpectu petitæ per Cives Plani Civitatis Surrenti remotionis præfati D. Antonini Caſtellano ab adminiſtratione utriuſque Pii loci, viſo exitu ordinatæ reviſionis.

Cajetanus de Martino Act. Mag. Nicolaus Perrone Scriba.

In cauſa inter D. Mariannam Fogliani, & D. Eraſmum de Meo. Die 1. Aprilis 1775.

Prædia pupilli, quæ ab ejus parentibus pignori data ſunt, jure a tutoribus alienantur, etiamſi nullæ ſerventur in alienatione ſolemnitates, quæ ceteroquin in venditione rei pupillaris neceſſariæ ſunt.

D. Marianna Fogliani anno 1773. judicium inſtituit in S. R. C., quo petiit venditionem cujuſdam prædii, factam in anno 1756. ab iis, quorum ſub tutela ipſa erat, ex falſa æris alieni cauſa, declarari nullam, vel ſaltem, ob immodicam pretii læſionem, reſcindi *fol.* 1. Hinc denunciatus D. Eraſmus de Meo poſſeſſor & heres D. Andreæ emptoris *fol.* 11., in judicium vocavit venditores, ut ipſum indemnem præſtarent *fol.* 15. Dato termino *fol.* 14., coque renovato ſuper deductis in ſupplicatione, & comparitione prædicti D. Eraſmi *fol.* 25., probationibus factis pro parte ejuſdem *fol.* 32. *ad* 111., ac publicatis *fol.* 112., & denuo facta publicatione *fol.* 145. Super examine poſtmodum prolato ex parte actricis *fol.* 120. *ad* 144., atque inſtructo proceſſu:

Ad relationem R. Conſ. D. Joſephi Mauri cauſæ Comm.

S. R. C. hanc protulit ſententiam: *D. Eraſmum de Meo fuiſſe & eſſe abſolvendum ab impetitis pro parte D. Mariannæ Fogliani; eandemque fuiſſe & eſſe condemnandam ad litis ſumptus reficiendos.*

Ex-

Explorati enim juris eſt, quod *actore non probante, qui convenitur, etſi nihil ipſe præſtet, obtinebit*, *L.* 4. *C. de edendo*. Quemadmodum autem actrix nihil præſtitit ad ejus intentionem firmandam, hinc conſequitur jure merito reum conventum abſolvendum eſſe. In eaque ſententia libentius ivit S. C. inſpectis ſcripturis, & probationibus, quas poſſeſſor protulit *fol.* 32. *ad* 111. Eo enim redibant quæſtiones in judicium deductæ. I. An diſtractio rei pupillaris rite & recte, & præviis debitis ſolemnitatibus proceſſiſſet. II. Num condictio ex *L.* 2. *Cod. de reſcind. vendit.* ob immodicam pretii læſionem competeret. Quoad primum, in facto compertum eſt, parentes olim D. Mariannæ Fogliani prædictum prædium pro 200 ducatis pignori dediſſe *fol.* 52., & alioquin hypothecæ ſubjeciſſe ex cauſa alterius debiti *fol.* 72., quam ob rem jure diſtractio proceſſiſſet, etſi ſolemnitates omitterentur, cum jure creditoris fieret, qui agrum pignori a pupillæ parentibus acceperat. Extat in his terminis elegans oratio Imperatoris Severi in Senatu recitata, ut videre eſt in *L.* 1. *§.* 2. *ff. de reb. eor. qui ſub tutela ſine decreto non alienandis*, qua cavetur; *Si creditor, qui pignori agrum a parente pupilli acceperit, jus exequetur, nihil innovandum cenſeo*: & in *L.* 2. *Cod. Si adv. vendit. pignor.* ſancitum eſt: *Rem quam a patre veſtro quondam creditor ejus obligatam ſibi diſtraxit, per ætatem veſtram poſtulantium revocari deſiderium non habet rationem*. Reſtituuntur enim pupilli, & minores adverſus venditiones pignorum a creditoribus factas; niſi forte eorum pater pignori ea obligavit creditoribus, vel ut id fieret parentes teſtamento caverint; nam iſto caſu nec decreto judicis opus eſt, nec tutorum ſollicitudini eſt conſulendum; & ratio adfertur in *L.* 1. *Cod. quando decreto judicis opus non eſt*, his verbis: *Neque enim in ea re auctoritas Præſidis neceſſaria eſt, ut tutorum ſollicitudini conſulatur, ſi voluntati de-*

functi

Digitized by Google

functi pareant. *L.* 3. *Cod. eod.* & *L.* 5. §. 2. *ff. de reb. eor. qui ſub tutel.* Ceterum ſolemnitates, quæ, ut prædictum eſt, in diſtractione hujuſce rei pupillaris ad inſtantiam creditoris pignoratitii, & hypothecarii facta, de jure minime requirebantur, adamuſſim ſervatæ fuerunt. Nam uſque ab anno 1744. creditor D. Balthaxar de Meo adverſus D. Angelam Gizzarelli judicium inſtituerat, ut prædium prædictum venderetur, & ex pretio ſibi de creditis utriſque, ſcilicet pignoratitio, & hypothecario ſatisfieret *fol.* 70. Ipſa D. Angela mortua, cui D. Marianna Fogliani ſucceſſit, ejus tutores, inſtante impenſius creditore D. Balthaſſare, Curiam loci adierunt, & pro venditione prædicta inſtiterunt *fol.* 100.: quæ quidem Curia, dato Curatore, eoque audito *fol.* 101., informatione capta *fol.* 103., appretio *fol.* 105., pretio palam exquiſito *fol.* 107., & licitationibus factis *fol.* 108. ſuum pronunciavit decretum *fol.* 106., & ultimo licitatori, qui ducatos ſexaginta ſupra peritorum æſtimationem obtulerat, addixit *fol.* 111. Quibus rite peractis, tandem Tutores, & Curator vendirionem perfecerunt, & pretium ducatorum 380 prædicto creditori delegarunt, qui, acceptis illis, ac 42., qui reliqui erant, remiſſis pro utroque debito acceptilationem cavit *fol.* 5. Movit inſuper S. C. neque Tutores a poſſeſſore vocatos in judicium veniſſe, neque actricem aliquid intendiſſe adverſus ipſos, vel creditorem, cum ceteroquin in jure ſancitum ſit, præſertim in *L.* 2. *Cod. ſi adv. vendit. pignoris* : *Rem*, *quam a patre veſtro quondam creditor ejus obligatam ſibi diſtraxit per ætatem veſtram poſtulantium revocari deſiderium non habet rationem*; *quod juris eſt etiamſi extraneo ſucceſſeritis*: *nam ſi creditor non bona fide verſatus eſt*, *ipſum magis vel Tutores*, *ſive Curatores veſtros*, *qui bona venundari paſſi ſunt*, *convenite*. Sed in caſu, de quo agimus, ſatis ſuperque indemnitati tutorum quoque conſultum videtur, ubi rem ſibi

ſibi obligatam a patre pupilli, & ex illius voluntate creditor diſtraxit, & ſolemnitates omnes a jure præſcriptas in venditione rerum pupillarium adhibitæ fuerunt; unde palam eſt bonam fidem pro parte creditoris, & tutorum interveniſſe, ſi bona pupilli venundari paſſi ſunt, quæ a patre ſuo fuerant hypothecæ, & pignori ſuppoſita.

Quoad vero ſecundam quæſtionem, præterquam quod nihil actrix præſtitit ad immodicam pretii læſionem probandam, nedum ex æſtimatione peritorum, & auctionibus rite factis, ſed etiam ex æſtimo Terræ Maranulæ anni 1754. *fol.*52., & teſtium denique approbationibus *fol.*42. facillime deprehenditur, venditionem pretio pluſquam juſto proceſſiſſe. Nullimode igitur locum vindicare ſibi poterat condictio illa ex *L.* 2. *Cod. de reſcind. vendit.*, cum longe abſit, nec dimidiam partem veri pretii ſolutam fuiſſe. Ut victus denique victori litis ſumptus reficiat, jura civilia clamant, *L. Properandum*, & *L. Sancimus Cod. de judiciis*; nec aliter de jure Regni videtur ſtatutum per Conſtitutionem Friderici Imperatoris, quæ incipit *Divorum Principum*, *ſub tit. de expenſ.*

Joannes Rubinus Act. Mag. Franciſcus Santerſola Scriba.

In cauſa appellationis a decreto M. C. vertente inter D. Mariam Conſtantiam de Capua ex una, & Ven. Monaſterium S. Mariæ Succurſus hujus Civitatis ex altera. Die 3. Aprilis 1775.

Pactum dotis non reſtituendæ quocumque caſu a Monaſterio egrediatur mulier oblata, contra leges, & bonos mores initum cenſetur; ſed caſu egreſſionis ſecuto, in dotis reſtitutione ratio ha-

QUum anno 1761. D. Maria Conſtantia de Capua recepta fuiſſet in Conſervatorio S. Mariæ Succurſus, mediante inſtrumento rogato ſub die 21. Januarii ejuſdem anni, D. Jacobus Volpe nomine & pro parte Ill: Principis Ariciæ D. Bartholomæi de Capua promiſit, & per Bancum SS. Salvatoris ſub die 24. ejuſdem menſis ſolvit in beneficium ejuſdem Conſervatorii pro cauſa dotium ducatos 800. Inter alia conventum fuit, ut ſi dicta

ſta D. Maria Conſtantia qualibet ex cauſa juſta, vel injuſta a dicto Conſervatorio egrederetur, tali caſu dictum Conſervatorium non teneretur ad dictarum dotium reſtitutionem, ut clare liquet ex dicto inſtrumento, & notamento facto in calce ejuſdem *fol. 7.* Oblationem jam emiſit; ſed poſt lapſum annorum circiter undecim dicta D. Maria Conſtantia, cum de ſententia decederet, & egreſſa a dicto Conſervatorio, tranſiverit ad illud S. Nicolai ad Nidum, judicium inſtituit in M.C.V. adverſus dictum Conſervatorium Succurſus pro dotium reſtitutione, & pro aliis expenſis ab ea erogatis *fol. 4.* Prævio judicio ordinario, die 7. Maji 1774. per ipſam M. C. prolatum fuit ſequens decretum: *Per M. C. V. proviſum eſt, quod condemnetur Ven. Conſervatorium S. Mariæ Succurſus hujus Civitatis ad ſolvendum in beneficium D. Mariæ Conſtantiæ de Capua ducatos 500 pro omnibus ab eadem prætenſis, etiam pro contentis in proviſione reſervata in decreto fol. 20.*

betur alimentorũ, quæ Monaſterium præſtavit, quæque præſtare poterat uſque ad oblatæ mulieris mortem.

Cum de hac cauſa in gradu appellationis, ſervatis ſervandis, actum fuiſſet in S. R. C., conſideratum fuit juxta pacta in dicto inſtrumento appoſita, Conſervatorium abſolvendum fuiſſe; attamen S. C. expediti juris eſſe exiſtimavit, conventionem in inſtrumento poſitam, dotis non reſtituendæ in caſu egreſſus, ſive ex juſta injuſtave cauſa, carere juſtitia, & eſſe conventionem læſivam. Dos enim ducatorum 800 erat pretium oneris, quod ſibi aſſumpſit Conſervatorium, ut alimenta præſtaret dictæ D. Mariæ Conſtantiæ durante ejus vita, quæ tempore oblationis, quum annos viginti circiter nata eſſet, computabatur pro annis triginta, *L. Hereditatum D. ad L. Falcid.* Conſervatorium ſubſtinuit tale onus per undecim annos circiter; reliquus curſus vitæ ejuſdem, quæ quum ſit annorum circiter triginta, juxta dictum *text. in L. Hereditatum*, computari debet pro annis viginti duobus: quapropter adeſt læſio ultra dimidium juſti pretii,

quia ſi ducati 800 ſunt juſtum pretium in puella pro annis triginta a dicta lege computatis, juſtum non eſt pro annis undecim: & propterea argumento *text. in L. 2. Cod. de reſcind. vendit.*, dictum inſtrumentum reſcindendum eſt. Inſuper omnia pacta ſunt illicita, quæ adverſus leges, aut bonos mores fiunt, *L. 7. §. 7. & 16. L. 27. §. 4. L. 28. D. de pactis*, *L. 27. D. de reg. jur.* Pactum dotis non reſtituendæ in dicto inſtrumento appoſitum eſt contra leges, & bonos mores, quia tollit alimentorum obligationem, *arg. text. in L. 8. D. de tranſact.*: Ex his rationibus cenſuit S. C. aliquam partem dictarum dotium relinquere in beneficium dicti Conſervatorii in compenſationem oneris, quod ſubſtinuit per undecim circiter annos, reliqua reſtitui in beneficium D. Mariæ Conſtantiæ. Quapropter

Referente D. Dominico Antonio Avena R. Conſ. & cauſa Commiſſ.
lata fuit ſequens ſententia: *Bene fuiſſe, & eſſe judicatum per M. C. V., & male fuiſſe & eſſe appellatum per ambas partes.*

Franciſcus d'Amora Act. Mag. Ignatius Spadetta Scriba.

In cauſa inter magn. D. Andream Sylos, cum Secundogenitis de eadem domo, & familia, ſuper pertinentia piorum legatorum. Die 5. Aprilis 1775.

Conventio inter Patronos, diuturna obſervatione comprobata, vicem præſtat fundationis juris patronatus.

Jure patronatus activo pro deſcendentibus ex linea primigenia inſtituto, ad jus paſſivum vocatis omnibus ex familia,

ANno 1569. Nobilis Minerva Vulpano, ejuſque filii Michael, Nicolaus Antonius, Joannes Alphonſus, Leonardus, & Horatius Sylos, inſtrumento inter eos ſollemniter inito, jus patronatus cum jure primogenituræ nonnullorum piorum legatorum a Majoribus familiæ de Vulpano provenientium, ita fundaverunt, ut jus præſentandi Capellanos ad eandem Minervam eorum matrem ſpectaret, quoad vixerit, eaque defuncta, ad ſuperſtites ejus filios, *qui valerent & poſſent priorem & antiquiorem Sacerdotem ſive Clericum præſentare, de domo tamen*

men & familia domus de Sylos, ex eorum, & cujuslibet ipſorum corpore naturaliter, & legitime deſcendentem; hoc vero pacto, ne filii ſuperſtites ſubintrarent in locum eorum patris præmortui.

non eſt ita lex fundationis interpretanda, ut penitus deficiente linea primigenia, ad jus paſſivum vocati intelligantur ceteri de familia; ſed omnes ſimul vocati cenſentur, adeout in concurſu præferendus ſit antiquior Sacerdos.

Extinctis omnibus iis filiis, dictum juspatronatus, & ipſum jus præſentandi Rectorem, ſeu Rectores *devenire debeat pleno jure ad primogenitum magn. Michaelis ſui primogeniti, & deinde, ipſo præmortuo, a primogenito in primogenitum dicti ſui filii primogeniti.*

Deficientibus maſculis ex hujuſmodi linea primogeniti, *vadat ad filios ſecundogeniti*, hiſque deficientibus, ad alios ſecundogenitos, *ſervata tamen dictorum ætatis, & primogenituræ prærogativa, ita tamen quod ſolus primogenitus maſculus ſemper habeat jus præſentandi, & quod præſentatio ipſa poſt mortem omnium ipſorum fratrum ſemper fiat per unum de primogenito in primogenitum, gradatim ut ſupra in perpetuum.*

Quod vero ſpectat ad patronatum, ut loquuntur, paſſivum, ſic lex ſcripta eſt: *Qui primogenitus futurus patronus, & ſucceſſor in dicto jure patronatus teneatur præſentare priorem & antiquiorem Sacerdotem ſive Clericum factum, de domo tamen & familia ipſorum ut ſupra procreatorum, ac legitime, naturaliter, & non per fictionem, ſeu alio modo deſcendentem.*

Deficientibus Clericis de domo ipſorum de Sylos, ut ſupra procreatorum, tunc eadem pia legata præſentari poſſint uni Sacerdoti ſive Clerico prius procreato, ut ſupra, etiam naturali tantum, & de domo ipſorum, & capaci exiſtenti tempore vacationis eorumdem.

Tandem in eodem inſtrumento ſcriptum eſt: *Et non exiſtente Clerico vel Sacerdote de linea, & domo ipſorum modo prædicto ut ſupra, tunc, & eo caſu fiat præſentatio eorundem Beneficiorum uni Sacerdoti, ſive Clerico extraneo, cui melius videbitur, & placebit dicto primogenito futuro patrono, excluſis penitus fœminis, exiſtentibus*

Digitized by Google

tibus maſculis de linea ipſorum, in præſentatione ipſa, ac ipſo jure patronatus.

Quibus deficientibus, & non exiſtente aliquo maſculo ſuperſtite de domo & familia ipſorum, ſic legitime & naturaliter, deſcendente, tunc & eo caſu voluit, quod ſuccedant fœminæ in dicto jure patronatus, ac jure præſentandi, ſervata tamen ætatis, vel primogenituræ prærogativa, gradatim, modo, & forma, ut ſupra, & præſentatio ipſa ſemper fiat per unum ſive unam in caſu prædicto, cum omnibus oneribus, honoribus, bonis, juribus, redditibus beneficiorum ipſorum fol. 32.

Anno 1762. defuncto D. Joanne Michaele de Lerma, ultimo earundem Capellaniarum Rectore, orta eſt, in ſtatu illius vacationis, quæſtio ſuper eodem jurepatronatus activo, & paſſivo inter omnes ſuperſtites de familia Sylos, ex primoribus & antiquioribus Civitatis Bitunti, quorum unus D. Andreas eſt ejuſdem familiæ primogenitus, alii de linea ceterorum ſecundogenitorum, ex filiis ſecundogenitis ipſius Minervæ Vulpano, & Dydaci Sylos, factiſque probationibus in petitorio judicio de pertinentia patronatus, apud S. R. C. tractatum eſt I. an pactum familiæ, ſive conventio Minervæ Vulpano, & omnium ejus filiorum, circa vocationes antiqui juris patronatus, cujus leges temporum vicibus in obſcuro erant, obſervanda ſit? II. an jus activum privative ad lineam primogeniti, vel cumulative ad omnes de familia pertineat? III. an inter omnes de familia Sylos numerandus ſit hodiernus Dux Caſtrimediani, uti deſcendens a Joanna Sylos, quæ fuit hæres filii tertiogeniti eorundem Dydaci, & Minervæ conjugum? IV. an jus patronatus paſſivum privativum ſit lineæ primogeniti, vel ad omnes de domo & familia Sylos ſpectet cum ſola prælatione inter eos antiquioris Sacerdotis & Clerici.

Primum, ſententia 16. Junii 1772. *fol.*380. eandem Miner-

nervæ, ejuſque filiorum conventionem diuturna obſervantia comprobatam, primoris fundationis vicem præſtare: II. de jure patronatus activo pro linea primogeniti, ipſis verbis inſpectis ejuſdem fundationis, pronunciatum eſt: III. exiſtentibus maſculis primo vocatis, omnino excluſum eſſe a fœmina deſcendentem: IV. quod ad jus patronatus paſſivum hoc modo caput ſententiæ conceptum eſt: *Jus vero paſſivum ejuſdem juris patronatus ſpectare, & pertinere tam ad ipſum primogenitum D. Andream, ejuſque deſcendentes ex linea primogeniti, quam ad omnes ſecundogenitos deſcendentes ex filiis maſculis ſecundogenitis ipſius Minervæ, inter eos etiam de primogenito in primogenitum, excluſis pariter dictis magn. de Lerma, ita vero ut paſſivum nequeat exerceri niſi in beneficium antiquioris Sacerdotis vel Clerici, Ordinum initiatione antiquioris, inter ſupradictos omnes de domo & familia Sylos vocatos, exiſtentis, & forte tempore altarum vacationum extituri.*

Contendentium quiſque, proprio captus ſtudio, illa hujus capitis verba, *inter eos etiam de primogenito in primogenitum*, ſibi interpretatus eſt, nimirum,

Primogenitus ad lineam primogeniti adeo referenda eſſe ea verba *de primogenito in primogenitum* exiſtimavit, ut antiquior Sacerdos vel Clericus habendus ſit inter eos tantum de linea primogeniti, neque ad alios de linea ſecundogenitorum properandum, niſi deficientibus prorſus Clericis, cujuſque fuerint antiquitatis, de linea primogeniti; quod idem eſt, ac admitti antiquitatis prælationem ſolum inter Clericos, ſi extiterint, primogenialis lineæ. Contra vero ex poſterioribus lineis Deſcendentes arbitrati ſunt, ea verba, *inter eos etiam de primogenito in primogenitum*, intelligenda eſſe, prout eorum ſenſus pervius occurrit, ſcilicet, ad omnes cujuſcumque lineæ deſcendentes jus paſſivum pertinere, ita tamen, ut inter antiquiores, Eccleſiaſtici Ordinis initia-

tiatione, prælatio valeret, cujuſcumque fuerint lineæ, habita vero inter eos ratione de primogenito in primogenitum, id eſt, ut antiquior Sacerdos vel Clericus lineæ primogeniti præferretur Sacerdoti itidem antiquiori lineæ ſecundogeniti, hic vero antiquior, alteri antiquiori ulterioris lineæ, & ſic pariter de ceteris, ita ut inter antiquiores concurrentes valeret anterior linea.

In hac autem verborum, nempe *de primogenito in primogenitum*, contentione, ex inferioribus lineis Deſcendentes Spectabilem Præſidem adierunt, ut ampliſſimus Senatus verborum ambiguitatem explicaret, eoque a Præſide obtento, provocatum eſt a primogenito apud Regalem Cameram S. Claræ, ne id fieret ſuo periculo; reſcriptum eſt ideo, ut unaquæque pars gravamina ſibi forte illata ſollemnibus provocationibus ad S.R.C. experiretur. Ab iis ergo inferiorum linearum Deſcendentibus, ut rei ſuæ tutius conſulerent, nullitatum adverſus ſententiam judicium deductum eſt.

Quæritur iterum quid de hujuſmodi jure paſſivo definiendum ſit?

Rectæ interpretationis perpetua regula non alia videretur eſſe, niſi mentis collectio ex argumentis maxime probabilibus. Argumenta vero vel ex verbis, vel cum ea ambigua ſint, ex ſcripto ſententiam deducendam eſſe receptum eſt. Hac enim univerſa lege inter nos perpetuo utimur. Hoc caſu, fundationis verba talia ſunt, ut ne quid minimum dubitandum ſit jus activum patronatus iis primogeniæ lineæ privativum, ſive pleno jure tribuendum eſſe, ſicuti jus paſſivum omnibus linearum deſcendentibus relictum apparet.

Qui primogenitus futurus Patronus, & ſucceſſor in dicto jure patronatus teneatur præſentare priorem & antiquiorem Sacerdotem ſive Clericum factum, de domo tamen & familia ipſorum, ut ſupra procreatorum, ac legitime & naturaliter, & non per fictionem, ſeu alio modo deſcen-

ſcendentem. Siquidem patet, omnes cujuslibet lineæ deſcendentes de domo eſſe & familia Sylos. Quid autem intelligendum de adjunctis verbis, *ut ſupra procreatis*? Nonne ſentiendum tantum de iis, qui ex primigeniæ lineæ deſcendentibus procreati ſunt? Certe conſtat, Fundatores ſupra locutos eſſe de omnibus linearum deſcendentibus; quare ex horum omnium deſcendentium procreatis antiquiorem Sacerdotem juxta verborum proprietatem accipi oportet, niſi velimus univerſalia verba coarctare, atque anguſtiora reddere, in favorem totius primigeniæ lineæ deſcendentium: non enim ex opinionibus ſingulorum, ſed ex communi uſu nomina accipere debemus, & ut quiſque maxime nomine uſus ſit, quo id appellari ſolet, accipiendum eſt, nam vocis miniſterio utimur, *L.* 4. *§.* 2. *ff. de ſupell. leg.* *L.* 69. *pr.* *§.* 1. *de leg.* 3. *L.* 67. *de reg. jur.* Ubi autem verba, aut verborum complexio plures ſignificationes recipiant, conjecturis aſſumtis, ſive verborum ſententia opus eſt.

Ad verba ipſa accedit ex ſcripto ſententia, puta, eadem voluntas eorum, qui fundationis leges conſcripſerunt. Hi in jure patronatus activo legem dixerunt pro linea primigenia, quam enixe, variis ſucceſſionum gradibus, apertiſque verbis, proſequuti ſunt; in jure vero paſſivo apertam legem dixerunt pro omnium linearum deſcendentibus. Inveriſimile quippe videtur eſſe, quod is, qui tam clare in altera parte pro primogenito dixit, in altera vero parte nihil vel ſaltem obſcure pro eodem dixerit, *L.* 114. *ff. de reg. jur.* Æquior ergo eſſe videtur intellectus, quod is in jure activo pro linea primogeniti loquutus ſit, in jure autem paſſivo pro quacunque deſcendentium linea, in qua antiquior Sacerdos inveniretur; utique inveniri plures Sacerdotes poſſunt in pluribus lineis, quam in una.

Porro moribus noſtris jura patronatus inſtituuntur ab aſcendentibus, partim reſpicientia gratiam primigeniæ lineæ,

 præ-

præſertim in ea veluti nobiliori parte, quæ juris activi dicitur, partim favorem ceterorum deſcendentium in eo, quod ajunt, juris paſſivi, & aliquando gratiam extraneorum. Præterea in actibus aſcendentium ita eſt emollienda interpretatio, ut minus eorum pietatem, & verecundiam lædat erga eorum liberos, quos iis uno neceſſitudinis, atque charitatis vinculo natura copulavit.

Item interpretatio menſuram capit ab effectu, in quo præcipuum eſt, ſi vox ex uſu receptiore ſumta, exitum poſt ſe haberet a ratione alienum. Voces atque nomina, cum ambigua ſunt, ſic intelligi oportet, ut vitio careant, *L.* 19. *ff. de leg.* Plane, ſi ſermonem illum ad jus paſſivum, quo omnes de domo & familia, coarctare vellemus ad eos, qui tantum deſcendentes ſunt ex linea primogeniti, talis coercita interpretatio in caſum effectus a ratione alieni incideret; nam his, ſolum ex linea primogeniti intellectis, deficientibus, admitti deberent deſcendentes naturales ex eadem domo & familia, excluſis omnino ceteris deſcendentibus legitimis & naturalibus poſteriorum linearum, quod eſt a ratione tam alienum, quam eſt admitti liberos naturales tantum, excluſis legitimis & naturalibus contra ſenſum juris: neque ex hoc pravo interpretationis ordine fundationis verba poſt ſe diverſum atque abſurdiorem trahere poſſent effectum: *Verum deficientibus Clericis, ut ſupra legitimis & naturalibus de domo ipſorum de Sylos, ut ſupra procreatis, tunc, & eo caſu voluit, quod dicta Beneficia ſeu Remedia præſentari poſſint uni Sacerdoti, ſive Clerico prius procreato, ut ſupra, etiam naturali tantum de domo ipſorum, & capace exiſtenti tempore vacationis eorumdem.*

Hos vero omnium linearum deſcendentes ad jus paſſivum patronatus non admittendos cenſuimus, niſi inter eos etiam de primogenito in primogenitum, ſequuti ipſius fundationis ſententiam, qua circa jus activum undequa-

que

que apparet primigeniæ qualitatis prædilectio in omnibus remotioribus deſcendentium lineis. Æquum igitur viſum eſt, quod in jure paſſivo is præferatur antiquior Sacerdos, vel Clericus, qui alterum ſuperiore linea præceſſerit, ut, inquam antiquior Sacerdos vel Clericus primigeniæ lineæ præferatur alteri æqualiter antiquiori alterius inferioris lineæ, nempe, ſecundogeniti; hic vero præferatur alteri pariter antiquiori lineæ tertiogeniti, ea ſcilicet prælatione, qua inter, æque antiquiores ratio ſemper ſuperioris lineæ habenda ſit. Ideo

Per S. R. C. decretum eſt, *I. II. III. & IV. nullitatem non obſtare, V. & ultimam nullitatem obſtare; ac proinde jus paſſivum patronatus pertinere & ſpectare tam ad ipſum primogenitum D. Andream, ejuſque deſcendentes ex linea primogeniti, quam ad omnes ſecundogenitos deſcendentes ex filiis maſculis ſecundogenitis ipſius Minervæ Vulpano; excluſis magn. de Lerma; ita vero ut dictum jus paſſivum nequeat exerceri, niſi in beneficium antiquioris Sacerdotis vel Clerici, Ordinum Eccleſiaſticorum initiatione antiquioris, inter ſupradictos omnes de domo & familia Sylos vocatos exiſtentis, & forte tempore aliarum vacationum extituri; inter eos omnes deſcendentes omnium linearum etiam de primogenito in primogenitum videl. ut Sacerdos, vel Clericus antiquior lineæ primogeniti præferatur alteri Sacerdoti vel Clerico æqualiter antiquiori lineæ ſecundogeniti; Sacerdos vel Clericus antiquior lineæ ſecundogeniti præferatur Sacerdoti vel Clerico æqualiter antiquiori lineæ tertiogeniti, & ſic deinceps eodem modo.*

Verba fecit de his in S.R.C. D. Stephanus Patritius R.C. & cauſa Comm.

Digitized by Google

In cauſa appellationis inter Ill. Comitem D. Antonium del Medico ex una, cum magn. Doctore D. Joanne Fortunato appellante, parte ex altera. Die 3. Aprilis 1775.

Licet ſolutiones contra publicam ſcripturam nequeant per teſtes probari, niſi quinque fuerint numerationi præſentes; hoc tamen dicendum eſt de debito certo & liquido: eo vel magis quia Jus Romanum in hac parte correctum eſt in Regno.

Qui ſciens prudens plus debito ſolvit, nulla adhibita cautione, ut in futuram cauſam plus ſolutum intelligatur, donaſſe intelligitur.

CUm feuda Ajelli & Laci in Citeriori Calabria conduxiſſet Comes D. Antonius del Medico a Sereniſſima Ducifſa Maſſacarrariæ D. Thereſia Cibo in annis decem, explendis ad annum uſque 1772. *fol.* 41., publico deinde inſtrumento diei 19. Januarii 1764. Adminiſtratorem generalem conſtituit in feudis ipſis D. Joannem Fortunato, conventa mercede ducatorum vigintiquinque in menſes ſingulos *fol.* 6. Hic adminiſtrationem ſuſcepit die 24. Februarii ejuſdem anni 1764. *fol.* 3.1., ſed die 16. Novembris 1765. dimiſſa adminiſtratione, adiit M.C.V., & vigore præcitati inſtrumenti, petiit, atque obtinuit decreta, quod Ærarii loco feudi ſolverent ducatos 6000. pro lucrata mercede per biennium *fol.* 3. *ad* 12. *&* 29. Producto tamen gravamine ab Ærariis etiam nomine Comitis del Medico, factoque verbo in S.C., & propoſitis exceptionibus, nempe eundem de Fortunato per annum & menſes duos tantum adminiſtrationem exercuiſſe, atque interim recepiſſe tot vicibus ducatos uſque 500, itaut potius ipſe de Fortunato cogendus eſſet ad reſtituendas quantitates plus debito exactas *fol.* 47. Quumque tunc nec de tempore operæ præſtitæ, neque de ſolutionibus in promptu conſtaret, S.C. decrevit, *M.C. provideat, quod ſuper deductis, & prætenſis per ambas partes infra quatuor dies audiantur partes, fol.* 83. *a t.*

Hinc termino in M.C. compilato, nulliſque probationibus per Actorem adductis, ſed tantum pro parte Comitis del Medico teſtibus, & ſcripturis comprobatis exceptionibus *fol.* 31. *&c.*, M. C. referente tunc Judice D. Joſepho Criſconio decrevit die 14. Februarii 1770., *quod Partes abſolvantur ad invicem*. Actor inde poſt quadrien-

driennium ad S. C. appellavit *fol.* 175., itemque Reus appellationi adhæſit, ut indebite ſolutum iterum condictione repeteret *fol.*189. Sed in termino ad non probata probandum interpoſito, utraque pars minime probationes adduxit. Cum itaque a primordio de intentione Actoris non liqueret, neque in terminis probatoriis illa fundata fuerit, ſequitur, quod Actore non probante, Reus abſolvitur, *L.* 4. *Cod. de edend.*, *L.* 2. *Cod. de probat.*, *L.* 9. *Cod. de obligat.* Nec obſtat, quod ex *L.* 18. *Cod. de teſtib.*, & ex *Novell.* 90. ſolutiones contra publicam ſcripturam nequeunt per teſtes probari, niſi quinque fuerint numerationi præſentes, tum quia non agitur de debito certo & liquido ex publica ſcriptura, ſed in ea taxatur tantum ſalarium operæ præſtandæ, ac proinde termino indigebat pro liquidatione crediti, tum quia hoc jus correctum eſt in Regno per *Pragm.* 18. *de ordine judic.* §. 1. *n.* 15., qua ſtatutum fuit etiam per teſtes probari poſſe ſolutiones in termino contra publicam ſcripturam, numero non adjecto, itaut etiam duo ſufficiant teſtes, *L.* 12. *ff. de teſtib.*; & quamvis in inſtrumento fuerit declaratum, ſolutiones eſſe faciendas, exhibito Ærariis in feudo acceptilationis chirographo, attamen ſolutiones omnes commodo creditoris Neapolim factæ apparent, non item in feudis. Quod vero ſciens prudens Comes del Medico plus debito ſolviſſe contendit, id repetere nequit, cum nulla cautione obſtrinxerit accipientem, ut in cauſam operæ in futurum præſtandæ retineret: ac proinde donaſſe omnino videtur, *L.* 53. *de reg. jur.* *L.* 7. *Cod. de condict. ob cauſ.* *L.* 1. *in fin.* *L.* 50. *Cod. de condict. indeb.*

Referente R. Conſ. D. Salvatore Caruſo cauſa Comm.

S R.C. dixit: *Bene judicatum per M.C.V. in decreto definitivo diei* 14. *Februarii* 1770. *fol.* 274., *& male appellatum pro parte ſupradicti magn. Doctoris D. Joannis Fortunato.*

Cajetanus de Martino Act. Mag. Nicolaus Perrone Scriba.

Digitized by Google

In cauſa inter Ven. Monaſterium S. Claræ Civitatis Amantiæ, & magn. D. Jacobum Cavallo. Die 1. Aprilis 1775.

Licet ex æquitate Magiſtratus annualitates, ſive cenſus reducantur ad rationem reſpondentem interuſurio, quod a mercatoribus exigi ſolet; id tamen intelligendum eſt de annualitatibus decurrendis poſt debitoris petitionem, non vero de decurſis.

NObilis vir Civitatis Amantiæ, vulgo Amantheæ, D. Jacobus Cavallo debitor Ven. Monaſterii Monialium ſub titulo S. Claræ ejuſdem Civitatis, ex contractu cenſuali ad formam Bullæ, in capitali ducatorum 500, & in annualitate duc. 40, ad rationem octo in ſingulos centum, vigore inſtrumenti diei 12. Auguſti 1761., conventus fuit in M. C. V. die 31. Auguſti 1765. a præfato Ven. Monaſterio, ut ſolveret intra viginti dies annualitates ſive tertias decurſas uſque ad diem 12. Auguſti prædicti anni 1765., eoque termino elapſo, ſolveret capitale una cum tertiis; quas Monaſterium declaravit reliquas eſſe duc. 107, & aſſ. 34. *fol.* 1. *proc. M.C.* Hinc reſciſſo a M. C. contractu, condemnatoque debitore ad ſolvendum capitale, & tertias, ſervata forma Regalis Conſtitutionis anni 1738. *fol.* 18., Monaſterium obtinuit literas executoriales tam pro duc. 500 capitalis, quam pro tertiis adſcendentibus ad ſummam prædictam duc. 107, & aſſ. 34. uſque ad dictam diem 12. Auguſti 1765. *fol.* 22. Poſt hæc debitor inter alia petiit, ut tertiæ reducerentur ad rationem minorem ea, quæ conventa fuit; cumque S.R.C. nullitates adverſus decretum reſciſſionis, referente M.C., rejeciſſet, mandavit eidem M. C., ut provideret, quod ſuper petita reductione uſurarum in biduo audirentur Partes *fol.* 92. His geſtis in M. C. idem D. Jacobus Cavallo ſolvit ducatos 727 pro capitali, & tertiis decurſis uſque ad diem 12. Auguſti anni 1768.; verum cum ſolveret (quod die 28. Septembris 1768. evenit, *fol.* 18. *proc. S.R.C.*) expreſſe reſervavit ſibi jus petendi quantitates, quæ forſan tunc juſto majores, & per errorem ſolveret, & petendi reductionem earundem, inquiens, annualitates conventas, & quas tunc ex pacto ſolvebat, mor-

mordaces nimis eſſe, eaſque, quamvis ſolutas, minui debere *fol.* 18. Hinc non multo poſt petiit in S.R.C., ut Monaſterium reſtitueret ducatos 120, quos errore calculi ſe ſolviſſe querebatur, & tertiæ jam ſolutæ ad rationem ducatorum quatuor in ſingulos centum reducerentur *fol.* 1. Hac ſuper petitione S.R.C. terminum largitum eſt, quo, abſque examine, compilato, calculum juſſit fieri de quantitatibus vere debitis Ven. Monaſterio S. Claræ a præfato D. Jacobo Cavallo, & de quantitatibus ſolutis *fol.* 31., & dein, ut res magis magiſque clareſceret, juſſit acta M.C. ad S.C. tranſmitti, *fol.* 50., quibus tranſmiſſis, calculoque confecto,

Referente R. Conſ. D. Joſepho Mauri cauſæ Comm.

S. R. C. mandavit, *Ven. Monaſterium S. Claræ Civitatis Amantiæ fore & eſſe abſolvendum ab impetitis pro parte D. Jacobi Cavallo tam pro errore calculi in actis deducto, quam pro prætenſa reductione, & repetitione uſurarum jam ſolutarum. Neutram partem in expenſis.*

Duas enim D. Jacobus Cavallo inſtituit actiones, una nempe pro reſtitutione indebiti, tanquam per errorem, & plus juſto ſoluti, altera vero tertiarum reductionem reſpexit. Quoad primam nil D. Jacobus Cavallo de intentione ſua probavit; ſiquidem ab anno 1761. uſque ad tempus ſatisfactionis ſeptem elapſi erant anni; tertiæ horum ſeptem annorum, ad rationem ducatorum 40 in ſingulos annos, conſtituebant ducatos 280. Pro his ſolvit ducatos 227, quot, demptis quantitatibus jam ſolutis, Monaſterium revera conſequi debebat; neque aliquid ex actis M.C., vel ex calculo in contrarium apparuit. Defecerunt ergo probationes. Hinc Reus, Actore non probante, jure merito abſolvendus erat, ex *text. in L.* 4. *C. de edendo.*

Quoad alteram vero actionem, reductionis nimirum annualitatum jam ſolutarum, attinet, quamvis S.R.C. ſolitum fuerit deminuere tertias capitalium cenſualium ad for-

formam Bullæ ad rationem reſpondentem interuſurio, quod a mercatoribus ad præſens exigi ſolet, nihilominus nunquam devenit ad reductionem tertiarum jam decurſarum, antequam debitores eam peterent, & multo minus deminuit, ſeu reduxit tertias ante petitionem jam ſolutas, quod ſane non eſſet reducere, vel minuere tertias, ſed damnare creditores ad reſtituendum tertias juſta ex cauſa, nimirum ex contractu, & ex pacto jam ſolutas, contra *text. in L. 27. C. de uſuris*, quo permittitur creditoribus exigere uſuras pro tenore ſtipulationis, dummodo defluxerint ante legem, qua uſuræ prius permiſſæ deminuuntur.

Paſchalis Grandolino Scriba.

In cauſa Ill. Principis Petræſtornina D. Antonii Lotterii de Aquino, & D. Andreæ Lotterii cum D. Michaele, ac D. Philippo Capycielatro deſcendentibus a qu. D. Joanna Maſtrillo, & Curatore hereditatis jacentis qu. Ducis Teleſiæ. Die 28. Aprilis 1775.

Pacta contra fideicommiſſum, etſi ratihabita a muliere, quæ innupta adhuc eſt, & in Monaſterio degit, vel nulla cenſenda ſunt, vel ſaltem reſcindenda.

INſtrumento dieì 20. Novembris 1680., ſtipulato inter D. Joannam Maſtrillo, & qu. D. Joannem Baptiſtam Cevagrimaldi, alioſque ejus fratres, conventum fuit, quod pro omnibus prætenſis ſuper fideicommiſſo inſtituto anno 1607. a qu. D. Petro-Antonio Maſtrillo per citatos de Cevagrimaldi, eiſdem, eorumque filiis & deſcendentibus maſculis in infinitum cederetur quoddam palatium ſitum in hac Civitate prope Sedile Nidi, cum conditione, quod deficientibus maſculis prædictis, pervenire deberet ad filios & deſcendentes dictæ qu. D. Joannæ, & in eorum defectum, ad filios & deſcendentes qu. D. Franciſcæ Maſtrillo *fol.* 402: quod quidem inſtrumentum ratificatum eſt eadem die a dicta D. Franciſca; ſed ratificationis actus legitur, abſque inſertione integri tenoris dicti inſtrumenti *fol.* 442.

Alio

Digitized by Google

Alio inſtrumento diei 2. Januarii 1681. præfatæ qq. D. Joanna, tunc temporis jam nupta cum qu. D. Carolo Capyciolatro, & D. Franciſca, quæ pro educatione aderat in quodam Monaſterio Civitatis Nolæ, diviſerunt bona ſubjecta fideicommiſſo prædicto, ac inter ſe tranſegerunt jura, & actiones eiſdem reſpective competentes, virtute diſpoſitionum earum majorum cum mentione citati præcedentis inſtrumenti anni 1680. *fol.* 35. *vol. ſcript.* Anno 1683. occaſione matrimonii contrahendi, & inde contracti inter dictam D. Franciſcam, & qu. Marchionem D. Antonium Lottieri de Aquino ſeniorem, inſtrumentum dotale celebratum fuit, in quo eadem D. Franciſca proteſtata fuit adverſus conventiones contentas in inſtrumentis præcedentibus, tamquam nullas & læſivas *fol.* 262. Anno vero 1737. ſupplici libello in S. R. C. porrecto, deduxit D. Franciſca nullitatem ac læſionem prædictam; petiitque nedum medietatem prædictæ domus palatiatæ, ſed etiam integram medietatem tam aliorum bonorum ſubjectorum fideicommiſſo prædicto, quam hereditariorum ejus prædeceſſorum *fol.* 1.

Sententia per S. R. C. lata die 1. Septembris 1773. fuerunt condemnati D. Michael, & D. Philippus Capyciuslatro ad relaxandum in beneficium dictorum Ill. Principis D. Antonii, & D. Andreæ Lottieri de Aquino medietatem domus prædictæ remanſæ tempore mortis Ill. Ducis Teleſiæ, una cum fructibus a die mortis ejuſdem, liquidandis per Peritum eligendum a Domino cauſæ Commiſſario, deductis tamen meliorationibus forſan factis per D. Michaelem, & D. Philippum, liquidandis quoque per dictum Peritum, non impedita executione ſententiæ, etiam pendente liquidatione prædicta; & circa reliqua prætenſa per dictos de Lottieri fuerunt conventi abſoluti ab impetitis *fol.* 461. Adverſus hanc ſententiam nullitates produxit citatus D. Michael *fol.* 473., in quarum examine, pronunciatum eſt:

S. R. C. declarat: *Nullitates non obſtare; verum tempore executionis ſententiæ cedat etiam ad onus Ill. Principis D. Antonii, & D. Andreæ Lottieri d'Aquino medietas ducatorum* 1000 *ſolutorum in beneficium Regii Fiſci virtute decreti Regiæ Cameræ ennunciati in fide Actuarii Squatriti fol.* 389.; *& reſtituatur depoſitum*.

Quum enim non fuerit dubitatum, in eodem inſtrumento anni 1681. palatium eſſe ſubjectum fideicommiſſo prædicto; atque fideicommiſſum pro medietate competere qu. D. Joannæ, ejuſque deſcendentibus, & pro alia medietate qu. D. Franciſcæ, ejuſque deſcendentibus, cenſuit S. C. pactum de ſuccedendo in integro palatio, favore tantum deſcendentium qu. D. Joannæ, eſſe nullum, vel ſaltem reſcindendum, quia contra formam dicti fideicommiſſi, quod everti non poterat in præjudicium vocatorum, & præter voluntatem diſponentis, *L. Fideicommiſſa §. item ſi quis*, *& L. Quiſquis ff. de leg.* 3. Neque obſtare ratificationem prædictam S. C. judicavit, nedum quia fuit facta a muliere innupta, & in Monaſterio exiſtente, ac proinde parum inſtructa de ejus juribus, ſed etiam quia in bonæ fidei judiciis, quod inæqualiter factum eſſe conſtiterit, in melius eſt reformandum, juxta diſpoſitionem textus in *L.* 3. *C. communia utriuſque judicii*: Quoad vero fructus perceptos per dictos de Capyciolatro, non fuit dubitatum eſſe pro medietate reſtituendos, etiam attento judicio poſſeſſionis jam moto ſtatim ſecuto obitu dicti ultimi Ducis Teleſiæ, *L.* 2. *C. de fruct. & lit. expenſ. L. Fructus ff. de reivind.*; Neque retentio ex cauſa prætenſarum meliorationum erat admittenda, ex eo quia pretium meliorationum eſt compenſandum, quamvis pro concurrenti quantitate, cum fructibus prædictis.

Verba fecit de his in S. R. C. D. Nicolaus Maria Veſpoli R. Conſ. & cauſa Comm., Marchionibus D. Dominico Pruſabeni, & D. Joſepho Mauri Adjunctis.

In

In cauſa interpoſitionis decreti petiti per Helenam Narciſo uxorem Januarii Marino. Die 20. Maji 1775.

REgio Reſcripto Regalis Cameræ S. Claræ demandatum fuit S. C., ut provideret de decreto *Quod expedit* Helenæ Narciſo hujus Civitatis libere exigere ducatos 75. ex cauſa ſuarum dotium, ei liberatos a Patrimonio Januarii Marino ejus viri *fol.* 3. Dato termino ſummario, teſtes producti fuere; ex quorum depoſitionibus liquet, conjuges, eorumque filios extrema inopia laborare, utroſque ſenectuti proximos impotes eſſe agriculturæ, ex qua vivere poſſent *fol.* 5. Dotium diſtractio permittitur, ut mulier vivat; præcipue cum hæ ſint tenuis ſummæ.

S. C. declarat, *quod expedit Helenæ Narciſo libere exigere ducatos 75, ei liberatos ex cauſa ſuarum dotium, ut vivat. Ac proinde pro Regio aſſenſu Partes adeant Regalem Cameram S. Claræ.*

Conſuetudine enim Neapolitana, qua vetitum mulieribus, præter decimam, de dotibus ſuis diſponere, excipitur caſus, ut mulier vivat, quem ex actis probatum prætulit S. C. favori filiorum etiam extrema egeſtate laborantium; maxime cum ageretur de tenui ſumma, de diſtractione dotium; dum mater vivit adhuc; & ex ea indigentiæ ipſorum filiorum conſulitur.

Capobianco a Secr.

In cauſa D. Mariæ Olympiæ Carlini cum D. Paulo Carlini ejus patre. Die 5. Maji 1775.

D. Maria Olympia Carlini expoſuit, D. Paulum Carlini ejus patrem, avaritia, ſuoſque liberos maſculos ditandi ſtudio ductum, diu diſtuliſſe, ipſam jam vigintiquinque annis majorem nuptui collocare; ac proinde petiit declarari per S. R. C. ſibi licere matrimonio jungi cum D. Blaſio Contenti, juxta Regium Reſcriptum diei Licet ex Regiis litteris anni 1771. filia, quæ vigeſimum quintum annum impleverit, poſſit abſque conſenſu patris nuptias contrahere; contra-

 10.

riem tamen obtinet, quoties conſtet, neque avaritiam, neque inhumanitatem patris impedimento fuiſſe, quominus antecedenter nuberet; ac conſtet etiam nuptiarum indignitas, quas filia contrahere deſiderat.

10. Aprilis 1771. *fol.1.&c.* Super qua petitione S.R.C. die 26. Novembris 1773. decrevit, *quod capiatur ſummaria informatio ſuper deductis nomine D. Mariæ Olympiæ Carlini; & quod jura ejuſdem ad hunc actum tantum tueatur magn. Advocatus D. Philippus Sabbatinus de Anfora, fol.25.*

Excepit Pater, ſe humaniſſime ſemper atque amabiliter D. Mariam Olympiam ejus filiam accepiſſe, eamque mundo muliebri bene exornatam, artibus nedum fœmineis, verum etiam liberalibus, atque ingenuis, imo litteris inſtitutam, non culpa ſua, ſed congruentium opportunitatum defectu, uſque adhuc non collocaſſe; ob cauſas vero in libellis expreſſas, & ſigillatim ob turpem viri egeſtatem, prætenſo connubio ejus filiæ cum D.Blaſio Contenti obſtitit *fol. 19.&c.*

Ex actu Scribæ cauſæ diei 14. Januarii elapſi anni 1774. habetur, ſe ordine S.R.C. in Ven. Conſervatorium S.Mariæ, uti loquuntur, *del Conſiglio*, ubi ad præſens D.Maria Olympia commoratur, contuliſſe: ipſique, D. Pauli ejus patris nomine, unius ex quatuor condignis viris connubium, ab eadem D. Maria Olympia eligendum, propoſuiſſe: ipſamque hiſce verbis reſpondiſſe: *Di non voler contrarre matrimonio colle citate perſone, e nè tampoco volerci riflettere, ſul motivo di avere replicatamente con ſue iſtanze, e ricorſi, e colla viva voce al Signor Conſigliere Commeſſario comunicato i ſuoi ſentimenti, quali ſono di volere effettuire il matrimonio con D. Biagio-Contenti, e non con altri, fol. 46.*

Hinc Dom. cauſæ Commiſſarius decreto diei 24. Januarii 1774. mandavit, ut *terminus ſummarie datus virtute decreti S. R. C. currat etiam ſuper deductis nomine D. Pauli Carlini.*

Penes acta expoſuit D. Blaſius Contenti, nullam inter ſe ac D. Paulum Carlini generis diverſitatem adeſſe; atque nullo jure eundem D. Paulum ſe interponere poſſe, quominus

minus inter ipſum ac D. Mariam Olympiam ejus filiam nuptiæ fierent *fol.* 94.

D. Paulus ejus libello, ultra mundum muliebre, dotem ducatorum 4000 prædictæ D. Mariæ Olympiæ ejus filiæ obtulit ac promiſit, quotieſcumque in matrimonium duxerit virum a S.R.C. approbandum *fol.* 342.

Expleto ſummarie termino ſuper omnibus hinc inde deductis & prætenſis *fol.* 288. & 316., decrevit S.R.C. die 4. menſis Aprilis currentis anni: *Fiat relatio S. R. M. juxta appuntamentum in Aula factum*: cui reſpondit Regale Reſcriptum diei 29. Aprilis ejuſdem anni, hiſce verbis expreſſum: *Ho fatta preſente al Re la Conſulta del Conſiglio de' 4. del corrente, colla quale propone il dubbio, ſe debba permettere il matrimonio tra D. Biagio Contenti, e D. Maria Olimpia Carlini, ſenza il conſenſo del padre di coſtei, nelle circoſtanze, che detta Giovane è di 28. anni, ſenza che poſſa attribuirſi a ſua padre il non averla finora collocata, avendole per contrario eſibita dote molto conveniente, e di eſſere le due famiglie di egual condizione, colla differenza ſolamente, che il Carlini è bene agiato, ed il Contenti è povero, e la M. S. informata di tutto m' ha comandato di reſcrivere a V. S. Ill. per intelligenza del Conſiglio, che laſcia al Conſiglio medeſimo l' interpretazione della Legge, fol.* 344.

His omnibus conſideratis, & ceteris actis, atque altero libello.

Per S.R.C. proviſum eſt, *quod inhibitio facta D. Mariæ Olympiæ Carlini, inſtante D. Paulo ejus patre, de non contrahendis nuptiis cum D. Blaſio Contenti, firma remaneat: & quatenus opus, iterum fiat. Conſtitutio vero dotis in ducatis* 4000, *ultra mundum muliebre, ab eodem D. Paulo eidem D. Mariæ Olympiæ ejus filiæ promiſſæ, quotieſcumque nuptias contraxerit vel a patre, vel a S. R. C. approbandas, firma etiam remaneat.*

Jure

Jure civili, niſi volentibus parentibus, juſtæ nuptiæ non habentur; neque conſiſtere poſſunt, niſi conſentiunt omnes, ideſt, qui coeunt, iique, quorum in poteſtate ſunt, *L.* 2. *&* 18. *de ritu nuptiar.*; & in conjunctione filiarum, ſive in ſacris poſitarum, non ſui juris ſcilicet, ſive ſui juris ſint, patris explorandus eſt aſſenſus, atque expectandum arbitrium, *L.* 12 18. *&* 20. *C. de nuptiis*: quodque perſpicue in lege Regia diei 10. Aprilis 1771. hiſce verbis imperatum eſt; *Tutti i figli di famiglia di qualunque ſtato e condizione, che ſieno, eſiſtenti ſotto la patria poteſtà, o emancipati, non poſſano contrarre matrimonio, ſenza l'eſpreſſo conſenſo paterno, o di quei, che ne ſoſtengono le veci, ed eſercitano il dritto della padria Poteſtà.*

Et quamvis in eadem lege Regia tunc parentibus ſinatur, ut filios, filiaſque exheredare valeant, quotieſcumque primi ante trigeſimum, ſecundæ ante annum quintum & vigeſimum, ſpreto eorundem aſſenſu, in matrimonio ſe conjunxerint: quod pro filiabus ſigillatim ex *cap.* 3. *§.* 12. *Nov.* 115. *Juſtin. Imp.* depromptum videtur; & in comperto ſit, D. Mariam Olympiam Carlini octo & viginti annorum ætatem agere; nihilominus hoc ideo verum eſt, quia (verba ſunt legis) *ſi deve preſupporre, che in detta età abbiano baſtante lume, e forza da non farſi ſtraſcinare da sregolata paſſione: ed acciocchè l'avarizia, ed inumanità de' genitori non le faccia invecchiare, ſenza dar loro marito, fol.* 7.

Præſumptio hæc inhumanitatis atque avaritiæ adverſus patrem, in lege Regia perpenſa, ex probatis in termino hujus cauſæ omnino deficit. Contrarium verius eſſe liquet; filiamque hanc a patre benevolo ſemper bene habitam, mundo muliebri ſatis exornatam, artibuſque ingenuis, atque liberalibus inſtitutam. Et monitu dignum eſt (id quod in facto animadverſum fuit) quod tametſi unius ex quatuor viris condignum connubium, arbitratu

filiæ

filiæ eligendum, ac ſtatuta dote, plus æquo, ducatorum quatuor millium, ultra mundum muliebrem; pater ipſe ab initio cauſæ propoſuerit; attamen excepit iſta obloquendo: *di non voler contrarre matrimonio colle deſcritte perſone, e nè tampoco volerci riflettere, ſul motivo di voler effettuire il matrimonio con D. Biagio Contenti*.

Inhumanitatis igitur, atque avaritiæ ratio, & ſententia legis adverſus patrem conſiderata, facto non comprobatur. In filia potius incitatus animi motus, atque rationis expers habetur. Hinc S.R.C., cujus judicio Princeps Clementiſſimus legis Regiæ interpretationem putavit relinquendam, viſum fuit, jure patrem diſſentire, ne filia ex effrænata animi cupidine obducta viro pauperrimo, omniſque auxilii inopi (licet ejuſdem generis, non vero ejuſdem fortunæ) nuptui traderetur. Siquidem ex hoc nedum ipſius filiæ, verum etiam familiæ contemptus, atque dedecus oriretur: Quæ omnia potiſſimum in jure, atque in eadem lege Regia ſapientiſſime animadvertuntur; & ſummopere, uti par erat, æſtimantur.

Andreas Ripoli Scriba.

Verba fecit de his in S. R. C. D. Horatius Guidotti R. C. & cauſ. Comm.

In cauſa Annæ, & Magdalenæ Baſſo, Catharinæ, & Helenæ Gaudio cum Parochiali Eccleſia S. Mariæ Advocatæ. Die 5. Maji 1775.

Rev. D. Joannes Baptiſta Tipaldi ejus teſtamento in ſcriptis, quod, ſecuto ipſius obitu, apertum fuit die 27. menſis Aprilis anni 1750., inſtituit heredem Dominicum Tipaldi, quem aſſeruit filium Joannis ejus nepotis ex fratre prædefuncto, cum ſubſtitutione in caſu mortis ejuſdem in pupillari ætate, vel quandocumque abſque filiis in beneficium Parochialis Eccleſiæ S. Mariæ Advo-

Inſtitutione heredis caducata, quoad cetera firmum remanet teſtamentum; quapropter cum conventio inita ſit inter heredem, & ſubſtitutum, infirmari non poteſt, in quantum

Google

reſpicit ſubſtituti favorem, a legitimis heredibus; etſi ii de ſcripti heredis inſtitutione diſputandi jus habeant.

Advocatæ, cujus tunc ipſe teſtator Parochus erat, cum onere contribuendi annuos ducatos 200 quatuor Sacerdotibus, qui tenerentur nedum celebrare Miſſas in dicta Eccleſia, ſed etiam inſervire Parochiæ prædictæ, & reliquas quantitates, deductis oneribus, implicandi pariter pro celebratione Miſſarum *fol.*10.

Anno 1760. Curator heredis inſtituti hereditatem deduxit in S. C., ut jura defenderet ejuſdem adverſus eos, qui hereditatem prædictam prætendebant, eo prætextu, quod Dominicus heres inſtitutus non eſſet filius dicti Joannis, ſed partus ſuppoſitus *fol.* 1. Penes acta inſtiterunt Catharina, & Helena Gaudio, ut vel integra hereditas, vel pars ejuſdem eis addiceretur in concurſu Parochialis Eccleſiæ, attenta earum paupertate, & qualitate: qua de re obtinuerunt Regale Diploma diei 7. Junii 1761., quo mandatum fuit de juſtitia per S. C. provideri ſuper ipſarum petitione *fol.* 8.

Conventio interim inita eſt inter dictum Dominicum, intervenientem cum præſentia & conſenſu magn. Advocati D. Joſephi Cirillo ejus Curatoris, & Rev. Parochum tunc temporis dictæ Eccleſiæ, in qua aſſertis probationibus factis in M.C.V. in criminalibus circa dictam ſuppoſitionem partus, & prætenſis per dictam Parochialem Eccleſiam circa ſucceſſionem in dicta hereditate, uti ſubſtitutam in teſtamento prædicto; ſtatutum fuit, quod duæ tertiæ portiones tam dictæ hereditatis, quam implicationum ex fructibus factarum cederent in beneficium dictæ Parochialis Eccleſiæ; reliqua vero tertia pars in beneficium dicti Dominici, ejuſque deſcendentium, & in eorum defectu pariter pervenire deberet dictæ Parochiali Eccleſiæ *fol.*21. Quæ quidem conventio convalidata eſt decreto per S.C. die 12. Februarii 1762. interpoſito *fol.*53. Hiſce peractis, ſupplici libello deduxerunt Anna, & Magdalena Baſſo, item prædictæ Catharina, & Helena Gaudio, ipſis tamquam heredibus ab inteſta-

to

to qu. Rev. D. Joanni Baptiſtæ, competere hereditatem prædictam, nulla habita ratione dictæ conventionis, quia factæ cum perſona non legitima; & etiam virtute Regalium ordinum, attenta contradictione facta dictæ Parochiæ ob recurſum anno 1761. porrectum S.R.M. *fol. 56.*

Præmiſſa ordinaria cognitione, ac probationibus factis a citata Parochiali Eccleſia *fol. 89.*; conſideratis denique omnibus tam de jure, quam de facto conſiderandis:

Referente R. Conſ. D. Nicolao Maria Veſpoli cauſæ Comm.

S.R.C. pronunciavit, ***Ven. Eccleſiam Parochialem S. Mariæ Advocatæ abſolvendam eſſe ab impetitis per Annam & Magdalenam Baſſo, alioſque litis conſortes; ſalvis eiſdem juribus, ſi quæ competunt, in alio judicio, reſpectu tertiæ partis fructuum aſſignatorum Dominico Tipaldi vigore conventionis, ut ex actis.***

Quamvis enim, deficiente in perſona heredis inſtituti qualitate, quam aſſeruit & credidit teſtator, caducetur inſtitutio, *L. 4. C. de hered. inſtit. L. 5. Cod. de teſtam.*; attamen teſtamentum, quoad inſtitutionem tantum, irritum eſt, cetera vero firma remanent, ***Auth. Ex cauſa Cod. de liber. præter.*** Et proinde S. C. cenſuit validam eſſe conventionem prædictam quoad bona hereditaria delata in beneficium dictæ Parochialis Eccleſiæ, etiam attenta clauſula codicillari, contenta in eodem teſtamento, *L. 6. ff. ſi quis omiſſ. cauſ. teſtam.*; neque concurrere exiſtimavit allegatam contradictionem, etiam quia ad inſtantiam heredum ab inteſtato dicta Parochialis Eccleſia nunquam fuit judicialiter conventa.

Nicolaus Gerace Act. Mag. Vincentius Maria Dattilo Scriba.

In cauſa inter magn. D. Hierardum, & D. Jo: Baptiſtam Maraldi ex una, & Rev. Capitulum Terræ Atellarum ex altera. Die 16. Maji 1775.

Qui voluntate conductoris fundum colit, nullo contractu inito cum locatore, nequit conductione ſui auctoris adjuvari, ut beneficio gaudeat, quod longi temporis conductoribus noviſſimæ leges indulgent.

SAcerdos D. Paſchalis Maraldi anno 1765. conduxit ad ſexennium a Capitulo Terræ Atellarum agrum nuncupatum *li Perrotta* : expleto locationis tempore, Hierardus, & Jo: Baptiſta Maraldi ejus fratres, cauſa diuturnæ poſſeſſionis ejuſdem agri, quam conductionis titulo eorum avus, atque pater habuerunt, divalium conſtitutionum nuper editarum favore ſe tueri expoſcentes, in eadem permanere poſſeſſione inſtiterunt. In ſuſcipienda cauſæ cognitione pro comperto habitum eſt, fundum *delli Perrotta*, nedum per Rev. D. Paſchalem, verum etiam per ejus patruum Rev. D. Angelum Maraldi annis circiter viginti ſex pro conducto fuiſſe poſſeſſum, illumque coluiſſe patrem & avum Actorum, cum quibus ipſi D. Angelus, & D. Paſchalis communes habuerant lares. Neminem autem illorum contractum locationis geſſiſſe cum Capitulo, ex quo ſequebatur juri, atque rationi minime eſſe conſentaneam petitionem Actorum continuandi in agri conductione, cum eorum parentes non uti conductores Capituli, ſed adhibiti tantummodo fuerunt per prædictos D. Angelum, & D. Paſchalem ad colendum agrum, tanquam de eorum familia. His addebatur probatio conſuetudinis, quæ in Capitulo inoleverat præferendi in conductione fundorum Eccleſiæ ipſoſmet Capitulares ceteris quibuſcumque extraneis, ut ex conventis penſionibus compenſarent partitiones redditaum Eccleſiæ, quorum uti membra Capituli Sacerdotes ipſi erant conſortes, itaut ex locationibus a Capitulo toties renovatis cum iiſdem D. Angelo, & D. Paſchale manifeſte deprehendebatur, habitam ſingillatim fuiſſe rationem de perſonis eccleſiaſticis, tanquam membris Capituli. Quotieſcumque enim in contra-

tractibus magis reſpicitur qualitas perſonæ, quam rei; ut quandoque accidere animadvertit *text. in L. 50. ff. fam. erciſc.*, tunc beneficia a legibus elargita contractibus ipſis perſonam non egrediuntur, neque ad ejus heredem tranſeunt, *L. 1. ff. de conſtit. princ.*

Perpendit quoque S. C. D. Paſchalem conductum habuiſſe fundum a Capitulo, actionem vero inſtitutam eſſe per ejus fratres, vivo adhuc ipſo conductore, & expleto conductionis tempore, ac propterea nomina continuationis, & manutentionis facto non congruebant, neque idonea prorſus erant, cum actores neque conductores fuerant, neque conductorum heredes, ſed fundum coluerant jure quodam familiaritatis, & contubernii, quo vivebant cum eorum fratre D. Paſchale. Atqui jure inſpecto colonus, neque civiliter, neque naturaliter poſſidet, etiamſi colonus domini fundi ſit per *text. in L. 33. §. quod vulgo ff. de uſucap. L. certo §. Julianus ff. de precario*; conſectarium propterea erat, ut neque manutentionem, neque continuationem jure merito petere poſſent, eo vel magis quia ipſi non locatoris, ſed voluntate tantummodo conductoris in agri cultura permanſerunt. Animadvertit denique S. C., quod etiamſi actores acceptum a Capitulo poſſent referre fundum conductionis titulo, fruſtra tamen noviſſimarum legum præſidium implorabant, cum nec annorum triginta intervallo ejus poſſeſſionem tenuerint, ut longævi temporis curſus impleretur, *L. In omnibus ff. de act. oblig. L. Nolle C. de Sacroſ. Eccl.*; nec locationis primævæ contractus a decennio initium ſumpſerat, ut noviſſimis Regiis declarationibus cautum eſt. Deficientibus propterea hujuſmodi requiſitis, manutentioni locus eſſe non poterat. Hinc

Referente R. Conſil. D. Joſepho Criſconio cauſæ Comm.

S. C. pronunciavit: *Non eſſe locum petitis pro parte D. Hierardi, & D. Joannis Baptiſtæ Maraldi.*

Baſilius Baſile Act. Mag.

In cauſa hereditatis Ill. Duciſſæ Montis D. Agathæ Ferraro. Die 20. Maji 1775.

Acceſſiones non mutant bonorum qualitates; & quæ ex aliorum venditione comparantur, venditis ſubrogata cenſentur.

Referente R. C. D. Nicolao Maria Veſpoli cauſæ Comm.

S. R. C. ſequentem pronunciavit ſententiam:

Tam domum cum meliorationibus in actis deductis, quam partitam functionum fiſcalium ſuper Univerſitate Civitatis Cavæ ſpectaviſſe, & ſpectare in beneficium Ill. Marchionis D. Joſephi Cardone, una cum fructibus a die mortis Ill. Duciſſæ D. Agathæ Ferraro, immunes a debitis, etiam contractis pro meliorationibus prædictis, ac pro emptione dictæ partitæ; quæ debita cedant ad onus Ill. Marchionis D. Franciſci, & D. Agnelli Mazzarotti: nulla habita ratione deductorum per Ill. Ducem Montis in ejus comparitione fol. 626.

Ex eo quia qu. D. Hieronymus Ferrari liberis, & agnatione defectus, ſuperſtite tantum qu. D. Agatha ſorore, ipſam heredem in uſufructu inſtituit, & mobilia, & dotes ejuſmet Agathæ teſtatori quæſitas, eidem in proprietate reliquit; omnia autem bona, quæ teſtator poſſidebat, voluit, quod poſt D. Agathæ mortem, in duas rubricas diviſa, paterna ſcilicet, & materna; paterna (multo ampliora) ad fratres de Mazzarotta pervenirent: ea tamen ſubjecit oneribus & hypothecis hereditatis; materna ad patrem & filios de Cardona, prout in teſtamento habetur *fol.* 21. Atqui domus, de qua agitur, a matre obvenerat teſtatori, *ut fol.* 263. *&* 419.; ad maternorum itaque rubricam pertinet, una cum refectionibus & meliorationibus a teſtatore in ea factis, etiamſi propria pecunia, non materna, feciſſet; acceſſiones enim ſunt, quæ domus qualitatem maternam non mutant, *L.* 28. *de acquir. rer. dom.*, *L.* 2. *C. de reivind. cum concord.*, nec paternam faciunt. At refectiones ipſæ factæ pro majori ſaltem parte fuerunt de pecunia perventa ex nominibus maternis, atque ideo materni

terni patrimonii dici debent. Eademmet ratione ad maternam, non ad paternam rubricam pertinere debet nomen ſeu partita duc. 2761. ſuper juribus fiſcalibus Civitatis Cavæ; hanc enim teſtator comparavit ex nominibus ſeu partitis jurium fiſcalium maternis a Fiſco redemptis pro ſumma duc. 1941, ſuppleta per teſtatorem majori quantitate ex propria pecunia, non paterna. Hoc igitur nomen nulla ratione ſeu conjectura inter paterna bona adſcriptum voluit, argumento *text. in L. Imperator §. fin.*, *& L. ſeq. D. de legat.* 2., ſed inter materna, ex quibus acquiſitum, & quibus quaſi ſubrogatum fuit, licet pro majori quantitate, quæ minorem ad ſe trahit, *L. Jurisgentium in fin. D. de pact. cum concord.*, juxta legum regulas. Nec adverſus hæc facit, quod teſtator aliqua ex nominibus maternis in teſtamento nominavit, non iſtud ſuper Civitate Cavæ, nec domum prædictam; nam teſtator, exempli cauſa, quæ in mentem venerunt, materna nominavit, ut ex verbis ipſis teſtamenti clarum ſit; ſed vanum eſt de hoc inquirere, poſtquam teſtator bona materna exiſtentia, per ipſum poſſeſſa, ad Cardones generaliter pervenire voluit & mandavit, paterna Mazzarottis. Alienum autem æs, cui hereditaria bona ſubjecta erant, non per contributum inter utroſque ſecundos heredes officio Judicis diſtribuendum eſt, prout foret de jure diſtribuendum, *L. Ex facto D. her. inſtit.*, ex eo quia teſtator expreſſe æri alieno, & oneribus, quibus bona hereditaria erant obnoxia & obligata, ſatisfaciendum voluit & mandavit ex bonis paternis; nec immerito, nam paterna bona multo ampliora erant maternis, ut ex inventario patet. Reſpectu vero deductorum pro parte Ill. Ducis Montis ex juribus diæ qu. D. Agathæ ejus uxoris, cum clare excludunt tabulæ teſtamenti, in quibus D. Agatha uſufructuaria heres fuit inſtituta, cum præceptione mobilium, & dotium, & in omnibus bonis poſt ejuſdem

D.A-

D. Agathæ mortem teſtator heredes univerſales, & in proprietate voluit, ut diximus, Mazzarottos in paternis, Cardones in maternis. Nihil reliquum igitur ad Agatham, nihil ad ejus heredem pervenire debet ex omnibus bonis, præter ea, quæ D. Agatha habuit & præcepit.

Joannes Rubinus Act. Mag. Andreas Ruſſo Scriba.

In cauſa inter filios & heredes qu. Doctoris Phyſici D. Joannis Baptiſtæ de Bonis, ex juribus U.J.D. D. Felicis ejuſdem filii primi matrimonii ex una, & magn. D. Mariam Joſepham Lategola parte ex altera. Die 31. Maji 1775.

Quemadmodum de adventitiis bonis libere diſponere filiofamilias licet, ita & donationi renunciare, quam ex matertera habuit, ei non prohibetur.

ANno 1728. qu. Angelus Lategola ob matrimonium contrahendum, ac poſtea contractum inter qu. D. Eliſabeth ejus filiam, & qu. Doctorem Phyſicum D. Joannem Baptiſtam de Bonis, dotem eidem ducatorum 1400, partim in pecunia, ac partim in bonis ſtabilibus, & mobilibus conſtituit, & tradidit, ut ex copia inſtrumenti, tam promiſſionis, quam ex fide inſtrumenti receptionis *fol.* 14. 36. *&* 90. Poſtea idem Angelus anno 1730. qu. Rev. D. Nicolao ejus filio plura bona irrevocabiliter inter vivos donavit *fol.* 89. Deinde eodem anno, condito teſtamento, eundem D. Nicolaum, Michaelem, Franciſcum, & magn. D. Mariam Joſepham Lategola ejus filios, qui in vivis erant, heredes inſtituit in omnibus ejus bonis: ſupradictam vero D. Eliſabeth, quæ pariter vivebat, in jam dicta conſtituta dote particularem heredem fecit. Juſſit præterea, quod ſi poſt mortem matris Claræ Cadaleta portiones bonorum dictis ejus filiis contigiſſet aſſignari, eædem fieri deberentur per ſupradictum D. Nicolaum, determinationi cujus eos contentos eſſe debere; idemque exequi, ſi occurreret conſtitui patrimonium pro clericatu dicti Michaelis *fol.* 94. Hic igitur anno 1731., poſt patris obitum, ad Sacerdotium adſcendere volens, aliqua bona paternæ hereditatis

tatis recepit, quæ ſupradictus D. Nicolaus, & communis mater eidem aſſignaverunt pro patrimonio ſacro, pacto, ut ſecuta morte ejuſdem D. Michaelis, ea bona inter coheredes dividenda eſſent, ut ex fide Cancellarii Epiſcopalis *fol.* 93. At poſtquam dictus D. Michael aliqua bona acquiſivit, anno 1747, cum eſſet Pœnitentiarius Cathedralis Eccleſiæ, ab inteſtato deceſſit, ſuperſtitibus ſupradictis ejus fratribus, ac ſorore, nec non U.J.D. D. Felice de Bonis, filio dictæ D. Eliſabeth eorum ſororis, quæ interea deceſſerat. Deceſſit poſtea anno 1759. ſupradictus D. Nicolaus, tunc dictæ Cathedralis Archidiaconus; qui præter bona paterna hereditaria, & donata, aliis ab ipſo quæſitis, die 1. Junii ejuſdem anni, condito teſtamento, ſupradictum Franciſcum, & Mariam Joſepham ex aſſe heredes inſtituit. Hæc autem eodem anno, die 6. Novembris omnia bona ſua præſentia & futura ſupradicto D. Felici ejus nepoti, ejuſdemque heredibus & ſucceſſoribus irrevocabiliter inter vivos donavit, retinens uſumfructum nomine ejuſdem donatarii ſua vita durante, ita tamen ut uſusfructus cum proprietate conſolidari non poſſet, niſi poſt obitum ipſius donantis, & pro dicto D. Felice tunc in hac Civitate commorante, Notarius donationem acceptavit *fol.* 4. & 28. Obiit tandem D. Franciſcus, qui in ſuo teſtamento condito die 3. Novembris 1763. *fol.* 111. eamdem ſororem D. Mariam Joſepham heredem ſcripſit. At anno 1767. ſupradictus D. Felix phthiſi laborans, ab hac Civitate decedens, ad Civitatem Terlitii acceſſit, domique dictæ ejus amitæ D. Mariæ Joſephæ per aliquot menſes permanſit, ubi die 24. Martii dicti anni, nova conventione inter eos inita, hæc eidem D. Felici ejuſdem vita durante ſolvere & correſpondere annuos ducatos 72 ſpopondit; & e contra dictus D. Felix ſupra jam dictæ donationi renunciavit, ita tamen, ut ea nullius roboris & valoris reputanda eſſet, ſi ipſe

prius

priusquam D. Maria Joſepha, fato cederet; ſi autem ipſe ſupervixiſſet, firma donatio remaneret, ut ex ſcriptura, quæ communiter albaranum dicitur *fol.*30. Quod idem D. Felix ſuo ultimo teſtamento clauſo ſub die 23. Auguſti ejuſdem anni condito in Civitate Vigiliarum, conſenſu & præſentia ſupradicti D. Jo: Baptiſtæ ſui patris confirmavit, quo teſtamento eumdem ejus patrem inſtituit heredem *fol.* 20. Defuncto ipſo D. Felice, D. Jo: Baptiſta in bonis hereditariis ejus filii ſe immiſcuit, & hereditatem ejuſdem in S.R.C. produxit, & ſua ſupplicatione *fol.* 1. petiit ad ipſum ſpectare omnia bona, jura, & actiones in dicta hereditate remanſa, inter quæ ea erant, quæ ad eumdem filium pertinebant tam vigore dictæ donationis, quæ cum realis eſſet, bona donata ad heredes translata erant, quam vigore inteſtatæ ſucceſſionis ſuper bonis hereditariis dicti qu. D. Michaelis, una cum fructibus a die mortis ejuſdem, dictumque D. Felicem, qui ſui juris non erat, neque renunciare donationi potuiſſe, neque teſtamenti factionem habuiſſe dixit. Inſuper alia comparitione petiit fructus a dictis Lategola perceptos uſque ad annum 1767. ex bonis dotalibus dictæ D. Eliſabeth, & tandem complementum dotis ejuſdem in quantitate, quæ defecerat in appretio dictorum dotalium bonorum.

Sed ſupradicta D. Maria Joſepha promptam ſe obtulit tradere quartam partem bonorum quæſitorum a ſupradicto D. Michaele; nullam vero actionem D. Jo: Baptiſtæ competere, oppoſuit, ſuper bonis hereditariis communis patris ad D. Michaelem perventis; quippe qui ſupradicto inſtrumento contentus fuit de uſufructu bonorum pro Sacro Patrimonio aſſignatorum, pariterque nullam actionem competere tam pro repetendis fructibus bonorum dotalium dictæ qu. D. Eliſabeth, quæ, quamquam poſt illorum traditionem fuerint per ipſos Lategola adminiſtrata, ex documentis tamen exhibitis apparebat eſſe rationes

tiones calculatas, fructuſque ſatisfactos & contrapoſitos uſque ad annum 1764., idemque eſſe præſumendum uſque ad annum 1767., quo ſupradictus D. Felix ab hac vita deceſſit. Donationis vero nullam habendam eſſe rationem, tum quia caducata, tum quia perſonalis erat; & donatarius, qui recte de bonis donatis diſponere poterat, tam inter vivos, quam in teſtamento eidem donationi renunciaverat.

Super quibus omnibus termino impartito, ipſoque per utramque partem compilato, S. C. inſpectis probationibus per eaſdem factis, ac perpenſis omnibus, quæ hinc & inde allegata ſunt in jure, & in facto, viſiſque omnibus ſupradictis ſcripturis, ſequentem cenſuit proferre ſententiam.

Referente R. Conſ. D. Donato Belli cauſa Comm.

Magn. D. Mariam Joſepham Lategola, reſpectu bonorum contentorum in inſtrumento donationis diei 1. Junii 1759. in beneficium qu. D. Felicis de Bonis, eſſe abſolvendam ab impetitis pro parte heredum qu. Joannis Baptiſtæ de Bonis ejus patris. Condemnandam eſſe vero ad relaxandam in beneficium dictorum heredum ex perſonis præfatorum qu. D. Felicis, & D. Joannis Baptiſtæ quartam partem bonorum, tam acquiſitorum per qu. Rev. D. Michaelem Lategola, quam bonorum eidem perventorum, præter bona Sacri Patrimonii, a qu. Angelo Lategola ejus patre, una cum fructibus liquidandis a die mortis dicti Rev. D. Michaelis, ſuper qua liquidatione infra quatuor dies audiantur partes, ſalva proviſione facienda ſuper pertinentia in beneficium dictorum heredum etiam quartæ partis bonorum dicti Sacri Patrimonii, exhibita integra copia inſtrumenti enunciati in fide Cancellarii Curiæ Epiſcopalis fol. 95. Et pro aliis deductis per dictos heredes, ſupradictam magn. D. Joſepham eſſe abſolvendam ab impetitis.

Ita cenſuit S. C.; nam quoad primam partem ſententiæ,

 quic-

quicquid de jure dicendum ſit ſuper dubiis hinc inde propoſitis, an ſcilicet donatio in controverſia deducta cauſa mortis fuerit, vel inter vivos; realis, vel perſonalis; caducata, nec ne; illud pro certo habendum eſt, quod ſupradictus D. Felix de Bonis poterat eidem donationi renunciare. Nihil enim tam naturale, & magis rationi congruum eſt, quam quod eo modo, quo obligatio contrahitur, diſſolvatur, & quo dominium acquiritur, amittatur. Quod expreſſe cavetur in *L.* 100. *&* 133. *ff. de reg. jur.*, & confirmatur ex *L.* 12. *Cod. de pact.*, quæ noviſſima pacta ſervanda eſſe ſtatuit; & ſigillatim de donatione cautum eſt in *L.* 23. *Cod. de donat.*, poſſe donatarium bona ei donata donatori donare. Nec obſtat, quod dictus D. Felix tamquam filiusfamilias de rebus donatis, quæ ſaltem in uſufructu quæſita erant patri, diſponere non poterat, refragante etiam Regia Pragmatica ſub *tit. de S. C. Maced.* Quamquam enim dubitari poſſit, an ipſe D. Felix de facto fuiſſet emancipatus publico inſtrumento, ut ipſe aſſeruit in ſuo teſtamento, ſive de jure per diuturnam habitationem extra paternam domum, de jure vetitum non eſt filiofamilias de rebus adventitiis diſponere; imo contrarium expreſſe jubetur in *L.* 6. *de bonis, quæ liber.*, poſſe ſcilicet filiumfamilias de his bonis ſuo arbitrio diſponere, ſalvo patri debito uſufructu. Idemque in *Nov.* 117. *collat.* 8. *tit.* 18. *ut liceat matri, & aviæ cap.* 1. non ſolum confirmatur, ſed extenditur poteſtas conceſſa filiis diſponendi de iis bonis pleno jure, etiam reſpectu uſusfructus, quando hic patri non acquiritur.

Si igitur de uſufructu ſupradictus D. Felix nec diſpoſuit, nec diſponere poterat, durante vita donantis, quæ illum in donatione ſibi reſervaverat, nec ad donatarium pertinere poterat, niſi ipſe ſupervixiſſet donanti; cum in hoc caſu ſupradictus D. Felix firmam remanere in renunciatione donationem expreſſe voluit, quamquam

ut

ut perfectus dominus, etiam de proprietate, ipſo ſupervivente, diſponere poſſet, ſalvo patri uſufructu, nullum præjudicium intulit patri, cui uſusfructus, ſupervivente filio, acquirebatur. Quibus poſitis inanis eſt lectio, quam dari placitum eſt præcitatæ Novellæ in verbo *diſponere*, quod ſcilicet pro *diſponere* legendum ſit *adminiſtrare*. Nam præterquamquod lectio hujus textus, uti ſcriptus eſt, ſecundum literam in foro recepta eſt, & perpetuo judicatum; cum ſecundum utramque lectionem filiusfamilias perfectus dominus reputari debeat; nihil refert, an legatur *diſponere*, vel *adminiſtrare*; nam perfecti dominii effectus eſt, ut poſſit dominus de rebus ſuis pleno jure diſponere, ita ut idem ſit, atque ſignificet in præſenti controverſia adminiſtrare pleno jure, quam diſponere. Atque hæc diſputatio potius ad oſtentationem ingenii, & eruditionem, quam ad indagandam veritatem pertinet. Neque obſtat Regia Pragmatica *de S. C. Maced.*, quippe quæ ſupra expoſitæ juris communis apertæ diſpoſitioni non derogavit.

Secunda vero pars ſententiæ in eo fundatur, quia cum in hereditate dicti D. Michaelis tam bona paternæ hereditatis, quibus non apparet renunciatum, quam bona per eum quæſita remanſerint, dubitandum non videtur, quartam partem dictorum bonorum jure ſucceſſionis inteſtatæ ad ſupradictum D. Felicem translatam fuiſſe. At cum dubitatum ſit ex fide Cancellarii Epiſcopalis Curiæ quid conventum fuerit de bonis aſſignatis ſupradicto D. Michaeli pro ſacro patrimonio; idcirco recte proviſio reſervata fuit, viſa copia inſtrumenti in præcitata fide enunciati.

Tandem ratio ultimæ partis ſententiæ, qua ſupradicta Maria Joſepha abſolvitur tam ab impetitis fructibus bonorum dotalium, quam a ſupplemento defectæ quantitatis in appretio eorumdem bonorum, in eo fulcitur, quia ex inſtrumento receptionis, atque ex probatis liquet, pre-

 tium

tium non defeciſſe, imo cum bona dotalia tradita, facto apptetio, exceſſiſſent valorem promiſſæ dotis in ducatis 14, in eadem ſumma fuit deminutum capitale ducatorum 50, quod inter alia bona in capitulis erat ceſſum. Cum igitur evidenter conſtet de traditione bonorum dotalium, perperam inſtituta eſt actio de fructibus, qui poſt ſilentium annorum trigintaſeptem, inter conjunctas perſonas, ob pluries calculatas rationes, vel præſumuntur ſatisfacti, vel compenſati vigote *L. Procula ff. de probat.*; eo vel magis quia hæc legis præſumptio tum ex chirographis ſubſcriptis a ſupradicto Phyſico de Bonis, tum ex aliquibus teſtibus comprobatur.

Marcus Antonius Quaranta Act. Mag. Salvator de Nicola Scriba.

In cauſa inter D. Joannem, & D. Vincentium de Arnedo ex una, & D. Petronillam Belli ex altera. Die 3. Junii 1775.

Quod uxor habet, a viro perveniſſe exiſtimatur; niſi demonſtretur in propatulo, aliunde habuiſſe.

Fructuum dotis maritus eſt dominus; quare nulla eſt tranſactio, quam, inſcio viro, de fructibus uxor fecit.

DEcteta S.R.C. diei 11. Januarii, & 19. Februarii 1771. *fol.* 34. *&* 44. firmatunt decretum Domini cauſæ Commiſſarii diei 11. Septembris 1770., quo D. Joannes, & D. Vincentius pater filiuſque de Atnedo, adſtricti fuere ad ſolvendos D. Pettonillæ Belli ducatos 196, & aſſ. 80, ab iiſdem virtute inſtrumenti debitos, & ſuper deductis per præfatos de Atnedo mandatum fuit, ut in biduo audirentur pattes.

D. Joannes de Arnedo libello expoſuit, ſe conſecuturum a prædicta D. Petronilla ejus uxote ducatos 431, & aſſ. 27, nempe ducatos 328 fructuum dotalium cauſa, non exactos ab anno 1761 ad annum 1769; alios ducatos 63, & aſſ. 27, quos pro ſuſtinenda lite contra ipſam D. Petronillam a D. Cajetana Capone, ejus ex primo matrimonio filia, in S.R.C. mota, impenderat; & reliquos ducatos 40 pro indumento ſponſalitio, petiitque per viam mutuæ reconventionis fieri compenſationem cum

cum ducatis 196, & aſſ. 80, ab eadem D. Petronilla prætenſis, ipſamque cogi ad ſibi ſolvendas reliquas quantitates *fol.* 57. Alio vero S.R.C. decreto diei 19. Junii 1771. mandatum fuit exequenda eſſe decreta ejuſdem S.R.C. diei 11. Januarii, & 19. Februarii 1771. pro ducatis 176, & aſſ. 80: demptis ſcilicet a ducatis 196, & aſſ. 80, ducatis 20, deductorum cauſa per præfatum de Arnedo in quarto capite ejus libelli (illic loquebatur de veſte ſponſalitia); diemque ordinariam dictam virtute decreti Domini cauſæ Commiſſarii diei 11. Septembris 1770. procedere etiam pro deductis in primo, ſecundo, & tertio capite præcitati ejus libelli *fol.* 69. Acceſſit decretum Domini cauſæ Commiſſarii diei 23. Auguſti 1771., quo mandatum eſt addici & ſolvi præfatæ D. Petronillæ ducatos 140, qui ex venditione cujuſdam gemmæ D. Joannis de Arnedo pervenerant, in partem dictorum ducatorum 176, & aſſ. 80. *fol.* 74. *at.*

Ex inſtrumento autem pactionum conjugalium diei 13. Aprilis 1761. liquet, præfatam D. Petronillam, ſe dotando, ſecundo viro D. Joanni de Arnedo promiſiſſe non modo fructus ducatorum 500, ſuarum dotium, ab hereditate qu. D. Hieronymi Capone ſui primi viri debitorum, quam aliorum ducatorum 400 antefati, a prædicta hereditate pariter conſequendi *fol.* 29. Ex altero inſtrumento diei 20. Octobris 1773. inter dictam D. Petronillam, ejuſque ex primo viro filiam D. Cajetanam Capone, etiam uti Procuratricem Baronis D. Antonii Carizzi ſui viri, inito, inter alia habetur, ipſam D. Petronillam, inſcio ejus ſecundo viro, tranſegiſſe fructus ſuarum dotium non ſolutos, pro ducatis 150, præter alios ducatos 100, quos eadem D. Cajetana faſſa fuit variis vicibus a præfata D. Petronilla ejus matre recepiſſe, & creditoribus Baronis D. Antonii ſui viri ſolviſſe *fol.* 147.

Ex articulis inſuper per D. Joannem de Arnedo exhibitis

fol.

Digitized by Google

*fol.*91., & notis *fol.*79., ratis habitis ex teſtificationibus *fol.* 100. *&* 109., habetur, D. Joannem Arnedo ſolviſſe ducatos 116, & aſſ. 22 pro impenſis litium. Conſtat quoque inſtrumento diei 4. Februarii 1771. *fol.* 134., ſchedis Menſæ argentariæ S. Eligii majoris, & Montis Pauperum hujus Civitatis *fol.* 131., ac declarationibus *fol.* 84. *&c.*, prædictam D. Petronillam mercaturam feciſſe ducatorum 2821. Inſtrumento tandem diei 26. Octobris 1771. patet, D. Joannem, & D. Vincentium de Arnedo, præmiſſo pacto ſolvendi præfatæ D. Petronillæ ducatos 210, ab eadem impenſos, ita promiſiſſe: *A qual oggetto ritrovandoſi detta Sig. D. Petronilla, ſeguita la morte di detto Sig. D Giovanni ſuo marito, qualche ſomma, o in contanti, o in negozio, dagli eredi e ſucceſſori del medeſimo non ſe le debba inferire moleſtia alcuna, atteſo tal danaro la medeſima ſe lo negoziava prima di paſſare* ad ſecunda vota *con detto Sig. D. Giovanni Arnedo ſuo ſecondo marito. fol.* 12.

Hiſce perpenſis, ac omnibus actis,

Referente D. Horatio Guidotti R. Conſ. & cauſæ Comm.

S. R. C. declaravit: *D. Petronillam Beili abſolvendam eſſe ab impetitis per D. Joannem de Arnedo, nedum pro prætenſa reſtitutione ducatorum* 176, *&* *aſſ.* 80, *contentorum in inſtrumento diei* 16. *Octobris* 1768., *& in decreto S. R. C. diei* 19. *Junii* 1771., *verum etiam pro aliis quantitatibus in ſeptimo articulo fol.* 94. *per eumdem de Arnedo deductis & prætenſis: Condemnandam vero eſſe eandem D. Petronillam ad ſolvendum præfato D. Joanni de Arnedo ejus viro, non modo intereſſe ducatorum* 900 *ſuarum dotium, & antefati, ad rationem ducatorum quinque in ſingulos centum ab anno* 1761. *ad annum* 1769., *a prædicto de Arnedo, conſtante matrimonio, non exactum, & ab eadem D. Petronilla inſtrumento diei* 20. *Octobris* 1773. *cum D. Cajetana Capone ejus filia primarum nuptiarum tranſactum, quam*

duca-

Digitized by Google

ducatos 63, *& aſſ.* 27, *juxta primam petitionem præfati de Arnedo fol.* 59., *ab eodem pro ſubſtinenda lite ejuſdem D. Petronillæ, atque ipſi a Barone D. Antonio Carizzo ejus genero mota, impenſos; demptis tamen a quantitatibus prædictis nedum ducatis* 80, *quos idem de Arnedo faſſus eſt recepiſſe in partem fructuum dictarum dotium & antefati, quam aliis pecuniarum quantitatibus ex cauſa inſtrumenti anni* 1768., *& decretorum S. R. C., a præfata D. Petronilla forſan conſequendis; pro quo effectu fiat calculus per Scribam cauſæ, partibus requiſitis. Neutram partem in expenſis.*

Pro eo, quod attinet ad primam hujus ſententiæ partem, ex eodem fonte, quo ratio dubitandi, deprompta eſt ratio decidendi. Siquidem cum in controverſiam venit, unde ad mulierem quid pervenerit, quamvis id omne, honeſtatis gratia, a viro perveniſſe exiſtimetur; attamen id procedere ipſa lex ait, cum non demonſtretur, & probari non poſſit, unde habeat, *L. Quintus Mutius* 51. *ff de donat. inter vir. & uxor.*, *L. Etiamſi C. eod.* Hujuſmodi demonſtratio erat in propatulo, cum tam vir D. Joannes, quam privignus D. Vincentius Arnedo, ſolemni ſtipulatione faſſi fuerunt pecuniarum quantitates, penes D Petronillam exiſtentes, ad hanc, uti ante ſecundas nuptias lucrifactas, pertinere; vetuitque ipſe D. Joannes, ne ob id, poſt ſui obitum, illa moleſtia afficeretur. Nimis enim indignum eſt, ut quod ſua quiſque voce proteſtatus ſit, id in eumdem caſum infirmet, teſtimonioque proprio reſiſtat, *L. Generaliter* 13. *Cod. de non numer. pec.*

Quoad vero ſecundam partem ejuſdem ſententiæ, non immerito S.R.C. cenſuit, ab ipſa D. Petronilla ſolvendum eſſe D. Joanni Arnedo ejus viro intereſſe dotium, & antefati. Siquidem cum ipſa de illis tempore ſecundarum nuptiarum ſe dotaverit; & cum iſte ab anno 1761. ad ann. 1769. onera matrimonii ſubierit, æquum eſt,

eſt, cum etiam fructus percipere, *L. 5. ff. de jure dotium*, *L. 20. & 29. C. eod.* Nec ad minuendam dictorum fructuum quantitatem obſtat, quod D. Petronilla illos cum ſua filia tranſegerit pro ducatis dumtaxat 150. Hujuſmodi enim tranſactio, inſcio ejus viro, qui fructuum erat dominus, fuit facta; atque explorati juris eſt, privatis pactionibus non lædi aliorum jura, *L. 3. ff. de tranſact.*, dominiumque rei alteri quæſitæ auferri nolenti minime poſſe, *L. 23. C. de jure dot.* Accedit, quod hujuſmodi tranſactio fraudem ſimulationemque redolet. Siquidem fuit inita tempore ſuſpecto, nempe anno 1773., cum inter præfatos conjuges de Arnedo, & Belli ſub Judice lis erat: & re ipſa tranſactum fuit pro ducatis 250; cum licet reliqui ducati 100 promiſſi fuerint D. Petronillæ ſub ſpecie alterius contractus; attamen de hoc nulla aderat probatio, & revera faciebant partem fructuum tranſactorum. Et ſimulate geſta veritati nunquam præjudicant, *L. 17. Cod. ad S. C. Vellej.*; imo pro infectis habentur, *L. 21. Cod. de tranſact.*, *L. 6. Cod. ſi cert. petat.*

Denique quoad expenſas litis omni jure ipſi de Arnedo debebantur; quippe qui neceſſitate compulſus D. Petronillæ ejus uxoris, conventæ in S. R. C. pro adminiſtratione tutelæ D. Cajetanæ Capone, ejus ex primis nuptiis filiæ, jam prius geſtæ, negotia curavit, *L. 27. ff. de negot. geſt. L. 18. C. eod.*

Franciſcus Coſentino Scriba.

In cauſa D. Dominici Antonii Gatta, cum Ven. Monaſterio Fratrum Eremitarum Divi Auguſtini Terræ Caſtri. Die 7. Junii 1775.

Com locantur non ſolum prædia, & domus, ſed etiam cenſus emphyteutici, po-

CUm ab anno uſque 1737. Monaſterium Fratrum Eremitarum Divi Auguſtini Terræ Caſtri locaſſet ad quadriennium Dominico Gatta univerſa bona, poſita in Terra Cantalupi, quæ ex hereditate Franciſci Antonii de

de Baronibus quæſierat; fuit deinceps per vices locationis contractus cum eodem Gatta renovatus, auctis identidem, atque mutatis penſionis præſtationibus, donec in anno 1771. idem Gatta auctoritatem S. C. expopoſcit, ne qua turbatione Fratrum a poſſeſſione bonorum, quæ conductionis titulo tamdiu habuerat, ſubmoveretur. S.C. diſquirendum cenſuit, an conductoris petitio Principalibus ſanctionibus, nuper editis ad rem conductionis bonorum Eccleſiæ, congrueret. Compertum enim habuit in primævo locationis contractu fuiſſe comprehenſa nedum prædia, atque domus; verum etiam cenſus emphyteuticos, & canones; imo & cenſum quoque bullarem, altera adjecta pactione, ut pro fundis ab eodem Gatta recuperatis, aliiſque deinde recuperandis præſtarentur pro toto conductionis tempore modii octo tritici. Deinde vero anno 1740. ad novennium locatio fuit renovata, facultate eidem Gatta tributa recuperandi ſuis ſumptibus bona occupata, eaque ſibi retinendi, nulla prorſus adaucta penſione.

teſtate conductori tributa bona recuperandi, ſi quæ ſint, ab aliis detenta, naturam potius adminiſtrationis, quam locationis contractus hic præſeferre videtur; adeoque non obnoxius nuperis legibus in amortizatione eſſe videtur.

Ex his S. C. agnovit, contractus geſtos cum Dominico Antonio Gatta præſeferre potius naturam adminiſtrationis ſub certa mercede, quam veræ locationis, cum ex eo, quod univerſitatem bonorum conſtanter complexi ſunt, tum ex poteſtate eidem Gatta conceſſa recuperandi bona ab aliis detenta. Perpendit enim S.C., quod cum res hereditariæ Franciſci de Baronibus Monaſterio obventæ eſſent tam diſſipatæ, tam diſtantibus in locis poſitæ, ut neceſſe omnino eſſet alterius fidei earum curam atque adminiſtrationem committere, eam contrahentium mentem veriſimiliter fuiſſe, illorum bonorum procurationem, certa penſione conſtituta, eidem Gatta demandare. Inauditum namque, aut cuipiam novum non eſt, locationis contractum, ſive ex pactionibus, ſive ex rebuſmet in contractu deductis quandoque mutare naturam, ut perbelle animadvertit Gloſſa in verbo *præſtes*,

& ibi

Digitized by Google

& ibi alia Gloſſa margin. *L.* 5. §. *ſed ſi ff. de præſcr. verb.* Ex qualitate enim contractus verba accipi etiam contra propriam ſignificationem, reſpondit Papinianus in *L.* 17., & ibi Gloſſa verbo *tranſactio ff. locati*; neque ob tenorem inſtrumenti male concepti veritatem lædi, ſtatuit idem Papinianus in *L.* 8. *ff. de ſtatu homin.* Si ergo in conductione inita cum Dominico Antonio Gatta fuerunt adſcriptæ nedum domus, prædia, & terræ quoque incultæ, verum etiam jura & nomina debitorum; imo actiones quoque recuperandi a detentoribus poſſeſſiones occupatas, quæ omnia naturæ locationis convenientia prorſus non ſunt, dicendum erat, Regias ſanctiones de conductione bonorum ſtabilium loquentes, caſui non eſſe conſentaneas, neque aptari ullo modo poſſe.

Quod ſi daretur, contractus geſtos cum Dominico Gatta veræ locationis naturam præſeferre, non idcirco Divalium ſanctionum beneficio juvari ſe poſſe conductor videbatur, ut in perpetua bonorum detentione maneret. Nam quoad annuos cenſus, & redditus ſpectat, licet hæ res locari poſſint; dicendum tamen erat, noviſſimas leges non comprehendere, niſi bona immobilia, non vero cenſus, qui in nuda exactione conſiſtunt. Scire enim leges, non eſt earum verba tenere, ſed vim, atque poteſtatem, *L.* 17. *ff. de legib.* Quoad vero bona recuperanda, nedum quia illorum valor, verum etiam tempus acquiſitionis per Dominicum Antonium Gatta nomine Monaſterii factæ ignorabatur, Regiarum ſanctionum diſpoſitio nullimode poterat accommodari. Quotieſcumque igitur pro cenſibus, atque annuis redditibus, & pro bonis recuperatis continuationis actio conductori erat deneganda, contractus locationis propter ejus individuitatem penitus corruebat, potiſſimum quia penſio conſtituta fuit in univerſas, non vero in ſingulas res, quarum una, aut altera deficiente, contractus obſer-

obſervantiam in ceteris deficere dicendum erat per *text. in L.* 34. *ff. de ædil. edicto*. Neque enim poterat recentium ſanctionum favor amplecti ea tantummodo bona, quæ in primævo locationis contractu continebantur; cum ſtante varietate pretii, & penſionum in ſingulis contractibus conſtitutarum ſuper diverſas res in univerſum permixte locatas, propter incertitudinem pretii ſingularum rerum, impoſſibile prorſus erat Regia mandata caſui convenienter accommodare, niſi novum gerendo contractum, novaſque firmando pactiones, quod vel invitis ſanctionibus fieri nullo pacto poterat.

Ingerebat præterea in Dominicum Gatta non levis malæ fidei ſuſpicio, qui cum eſſet civis ejuſdem Terræ, in qua bona erant poſita, & Procurator a Monaſterio conſtitutus, totam ſibi arripuerat hereditatem de Baronibus conductionis colore, ignorante penitus locatore verum bonorum valorem, ſeque in ejus poſſeſſione perpetuare ſatagebat obtutu Regiarum ſanctionum, quarum proinde conductor ipſe fruſtra implorabat favorem per *text. in cap. fin. de præſcript.* & *cap. Poſſeſſor de reg. jur. in* 6. Ad hæc carebat conductor requiſitis ſive longi, ſive longiſſimi temporis, cum nec primævus, nec ullus ex contractibus cum Monaſterio geſtus a decennio initium ſumpſerit, neque quadragenale tempus fuerit unquam expletum, ſupputatione facta ab anno 1737. uſque ad diem judicii per eum moti. Ratio denique damnorum, quæ conductor intulerat in rebus locatis indignum quacumque Regiarum ſanctionum beneficentia efficiebat. Ex teſtibus namque a locatore adductis liquebat, fuiſſe per Dominicum Gatta quamplurimas cæſas arbores, atque ſoli ſuperficiem mutatam; imo conſtitutam ſervitutem maximi præjudicii, derivando per prædium Monaſterii aquam fluminis: quæ omnia actionem præbebant locatori illum expellendi a re locata per *text. in L. æde Cod. locati*; *Cap. propter* §. *verum eod. tit. L. ſi mer-*

ces §. culpæ ff. locati, L. 45. §. fin. de jure fiſci. Hiſce conſideratis, & viſis omnibus actis.

Referente R. Conſ. D. Joſepho Criſconio cauſæ Comm.

S.R.C. pronunciavit: *Ven. Monaſterium RR. PP. Diſcalceatorum Terræ Caſtri abſolvendum eſſe ab impetitis pro parte magn. D. Dominici Antonii Gatta.*

Antonius Baſile Act. Mag. Vincentius Baſile Scriba.

In cauſa inter Univerſitatem Terræ Poderiæ, & Ill. Marchionem Cammarotæ utilem dominum ejuſdem. Die 16. Junii 1775. Neap.

In controverſiis de poſſeſſionibus corporum, & jurium feudalium attenditur deſcriptio facta in feudorum æſtimatione, ſecundum quã oblatio, & venditio ſecuta eſt, licet oblationi appoſita ſit clauſula ab Advocato Regii Fiſci, *ſi quæ, vel ſi quæ ſunt*.

EX inventario anni 1545. *fol.* 32., appretio feudi Poderiæ *fol.*209., inſtrumento venditionis ejuſdem feudi in anno 1623. *fol.* 9., fide appretii feudi Poderiæ ſub die 30. Novembris 1670. *fol.* 48. *&c.*, oblatione pro emptione dicti feudi ſub die 13. Aprilis 1674., una cum apoſtillis fiſcalibus *fol.* 190., fide emptionis ejuſdem feudi in anno 1675. *fol.* 89., aſſenſu ſuper dicta emptione *fol.* 232., ſupplicatione loco reſtitutionis in integrum *fol.* 233. conſtat ſequens factum:

Anno 1767. Univerſitas Terræ Poderiæ judicium inſtituit in S. C. adverſus Ill. Marchionem Cammarotæ utilem Dominum ejuſdem, & petiit provideri ſuper nonnulla gravaminum capita, eidem illata a dicto Ill. Marchione, & ſpecifice ſuper aliqua, modo ſequenti: „ Quia „ vetat (ideſt Marchio) ipſis civibus molendina erigere „ etiam juxta aquas, quæ a privatis fundis emanant; & „ quod pejus eſt, eos adſtringit ire ad propria molendi- „ na, cum facilius ſit iter ad alia . . . gravat ipſam U- „ niverſitatem, ut eligat Ærarium . . . ſine juſta merce- „ de . . . quia prætendit habere Curiam Bajulatus, quando „ revera ad ipſam Univerſitatem ſpectat & pertinet *fol.* 1. Dato termino ſummario ſuper jure prohibendi quoad molendina, & ad inſtantiam utriuſque partis receptis teſtibus,

bus, fuit pariter die 19. Decembris 1768. datus terminus ſuper jure prohibendi in trappetis, qui terminus curſum non habuit ob inſtantiam contrarii imperii, & ſupplicationem de verbo faciendo, productam a dicta Univerſitate *fol.* 111.

In hoc rerum ſtatu propoſita cauſa in S. C. fuit per idem die 21. Februarii 1770. interpoſitum ſequens decretum: *In biduo audiantur partes ſuper omnibus hinc inde deductis & prætenſis ſuper jure prohibendi, tam quoad molendina, quam quoad trappeta: & interim Ill. Marchio manuteneatur in quaſi poſſeſſione juris prohibendi, ſervata forma appretii de anno 1670.; verum tam in molendis frugibus, quam in molendis olivis, Cives Terræ Poderiæ præferantur exteris, & dicti Cives ſolvant pro jure moliture, quod in locis convicinis exigi conſuetum eſt. Reſpectu præſtationum operarum in caſu refectionis dicti molendini, teneantur Cives, operas ſuas locare ſoliti, operas prædictas præſtare, ſoluta tamen mercede, quæ a particularibus, & in locis convicinis conſueta eſt. fol.*232.

Adverſus dictum decretum Univerſitas petiit reſtitui in integrum *fol.* 233.

In diſcuſſione dictæ reſtitutionis diſputatio fuit reſtricta ad dictum jus prohibendi, reſpectu cujus fuerunt per S. C. ſequentia conſiderata, videl.

Inventarium anni 1545., quo habentur deſcripta tum trappeta, tum molendina hiſce verbis: *Item detto Dottore Joanne Antonio tiene ragione ſopra li detti Vaſſalli, che andaſſero al Molino dell' Abbate a macinare nel tempo il Molino de Caijanni perde tempo, per difetto di macinanza, che non aveſſe, che lo Molinaro ſuo dello Molino de Caijanni va a detto Molino dell'Abbate, & neque dello Vaſſallo, che vada a macinare al Molino del Barone, che perde tempo, & quello non andandoci, ſe può pigliare la Molitura, o vada a macinare in detto Molino, o no. fol.* 38.

In

In capite *vol.* 22. *fol.* 39. ita legitur: *Item . . . che nullo vada ad altro trappeto ad macinare, che a quello del Signore, & chi fa lo contrario paga la pena a detto Signore circa le Molina, & intenda come ſi è detto in lo Capitolo LL.* Reſpectu quorum a Deſiato Pacileo, tunc tempore Delegato fuit ita ordinatum: *Limitamus Baronem, & ejus Curiam eſſe in poſſeſſione juris prohibendi Vaſſalla eundi ad aliena trappeta, non autem ad aliena molendaria, ut in* 20. *Cap. fol.* 42. *at. XXII. C.*

Appretium anni 1670. factum audita ipſamet Univerſitate, quo deſcribuntur tum molendinum, tum trappetum cum jure prohibendi; & facta per D. Johannem Baptiſtam Marcheſe oblatione juxta dictum appretium, vi dictæ oblationis die 1. Junii 1675. ſtipulatum fuit inſtrumentum venditionis feudi Poderiæ in beneficium dicti de Marcheſe *fol.* 189.

Præ oculis etiam habuit S. C. teſtium dicta tam Ill. Marchionis, quam Univerſitatis, a qua fuit pariter exhibitum appretium ejuſdem feudi factum die 6. Septembris 1546., quo nulla fit mentio molendinorum, & trappetorum; mandatum de vendendo dictum feudum cum deſcriptione duarum ex tribus partibus dicti molendini abſque jure prohibendi *fol.*209. & 225.; & fidem Conſervatoris Regiorum Quinternionum, qui teſtatur anno 1620. fuiſſe venditum feudum prædictum Poderiæ, ejus Molendinum, & Trappetum in beneficium Latini Tangredi, abſque deſcriptione juris prohibendi *fol.*205.

Et fuit pariter additum pro parte dictæ Univerſitatis Poderiæ, quod nulla habenda eſſet ratio tum dicti inventarii anni 1545., cum ſit copia copiæ, tum dicti appretii 1670., quia in oblatione facta pro parte emptoris dicti feudi juxta formam dicti appretii, fuit a Regio Fiſco appoſita clauſula, *ſi quæ, vel ſi qua ſunt*; voluitque pro corporibus ſignanter expreſſis ſe non teneri de evictione *fol.*

His

His non obſtantibus, exiſtimavit S. C. adhærere dicto apprezio anni 1670., ſervata forma cujus fuit emptum dictum feudum a D. Johanne Baptiſta Marcheſe. Et licet in oblatione fuit a Regio Fiſco appoſita clauſula, *ſi quæ, vel ſi qua*, hæc liberat Fiſcum ab evictione, ſed ſemper dictum appretium eſt probatio poſſeſſionis dicti juris prohibendi, quod tunc temporis aderat, in beneficium Baronis. Addebatur, quod extra omnem controverſiam erat, in dicta Terra Poderiæ non adfuiſſe nec molendina, nec trappeta a particularibus poſſeſſa; unde viſum fuit poſſeſſionem in beneficium Ill. Marchionis fuiſſe probatam. Ac propterea dictus Ill. Marchio manutenendus in poſſeſſione, *L. 4. Inſt. de interdictis*, *L. 1. & ſeqq. §. uti poſſidetis*.

Per S. R. C. proviſum eſt: *Non eſſe deferendum petitæ in integrum reſtitutioni pro parte Univerſitatis Terræ Poderiæ. Verum liceat particularibus Civibus dictæ Terræ conſtruere, ſi voluerint, trappeta pro molendis olivis propriis tantum, non autem aliorum civium.*

U.J.D. Joſeph Graziano Act. Mag. Montanaro Scriba.

Verba de his fecit in S.R.C. D. Dominicus Antonius de Avena R. C. & cauſæ Comm.

In cauſa inter D. Joannem Baptiſtam, & D. Vincentium Capuano. Die 17. Junii 1775.

D. Joannes Baptiſta Capuano petiit in S. R. C., donationem inter vivos factam D. Vincentio Capuano ejus fratri a qu. D. Julio Capuano communi patruo declarari nullam, uti calliditate, & malis artibus extortam, ac etiamſi valida foret, eſſe infirmandam, utpote geſtam in fraudem Conſuetudinis hujus Civitatis, quo videlicet ſibi auferretur portio bonorum antiquorum ex præſcripto ejuſdem Conſuetudinis, ſibi debita *fol.* 1. S. R. C. præ

Donatio inter vivos concepta ab eo, qui ſexageſimum nonum ætatis annum agit, quique & debilitate, & ægritudine languet, reſervatis menſtruis præſtationibus, quæ uſumfructum

Digitized by Google

bonorum donatorum pene adæquat, tanquam donatio mortis cauſa interpretatur, & in fraudem eorum facta, qui ex conſuetudine ad medietatem bonorum antiquorum vocantur.

præ oculis habens inſtrumentum donationis *fol.* 5., terminum datum, & probationes factas *fol.* 17. *&c.*, ac teſtamentum qu. D. Julii Capuano *fol.* 280., ac omnia acta,

Referente D. Dominico Potenza R. Conſ. & cauſæ Commiſſ.

Declaravit: *Spectare, & ſpectaviſſe in beneficium D. Joannis Baptiſtæ Capuano quartam partem bonorum remanſorum in hereditate qu. D. Julii Capuano, Conſuetudini hujus Civitatis ſubjectorum, una cum fructibus a die mortis dicti qu. D. Julii, non obſtante donatione facta in beneficium D. Vincentii Capuano. Quoad cetera verò ab eodem D. Joanne Baptiſta prætenſa & deducta adverſus dictam donationem, idem D. Vincentius abſolvatur ab impetitis. Neutram partem in expenſis.*

Deſunt enim probationes doli mali ex parte donatarii, ad donationem reſcindendam; cum etiamſi D. Vincentius Capuano diuturno ſermone, blandiſve verbis, ſive per ſe, ſive per alios, patrui animum ad donationem provocaſſet, ſicut obtenditur in facto; ea omnia ad dolum malum non ſunt referenda, *L.* 70. *ff. de hered. inſtit.*, *L. ult. ff. ſi quis aliquem teſt. prohib.*, *L. ult. Cod. eod. tit.* Id autem liquet, quod etſi donator inſtrumento diei 14. Januarii 1773. aſſeruiſſet, ſeſe donare irrevocabiliter inter vivos; re tamen vera prole deſtitutus agebat tunc ætatis annum ſexageſimum nonum, eaque languebat debilitate & ægritudine, qua diu laborans, in menſe tandem Auguſti ejuſdem anni fato ceſſit: quod & donator eodem inſtrumento plane confeſſus fuit, primordialem donationis cauſam illis innuens verbis, *qualmente ritrovandoſi di età avanzata, ed indiſpoſto, non puole aggire, nè trattare, ed invigilare alli ſuoi affari, ed intereſſi.* Quamobrem donatio potius mortis cauſa; quam inter vivos geſta eſſe videtur, ex *L.* 2. *L.* 3., *L.* 13. *§. ult. ff. de mort. cauſa donat.*, & clauſula *irrevocabilitatis*, & *inter vivos* in agnati fraudem potius addita: eo magis cum omnia bona fuerint donata, reſervatis menſtruis

ſtruis præſtationibus ad æqualitatem pene uſusfructus. Ea de re cenſuit S. C., id quod ſimulate actum fuit, non obeſſe agnato, cui ex præſcripto Conſuetudinis Neapolitanæ portio bonorum antiquorum erat deferenda, etiam contra teſtamentum, ſeu quamlibet morientis ultimam voluntatem: adeoque donationem eſſe revocandam pro ea ſcilicet parte, quæ debebatur D. Vincentio Capuano, tanquam uni ex proximioribus agnatis, cum de reliquis bonorum partibus libera fuerit D. Julio Capuano diſponendi facultas, *argum. L. prima §. 11. ſi plures ff. ſi quid in fraud. patron.*, *L. ſi totus*, *C. de inoff. donat.*

Michael Priſcolus Act. M. Bernardus Priſcolo Scriba.

In cauſa Montis inſtituti a Joanne Vincentio Caſtellano. Die 23. Junii 1775.

In diminutione redituum, qui dotalibus ſubſidiis addicti ſunt, ſubſidia ipſa diminuuntur.

ADaugeſcente quotidie magis numero puellarum participum in dotalibus ſubſidiis Montis per qu. Joannem Vincentium Caſtellano inſtituti, cujus facultates cum tanto eſſent oneri impares, petiit in S. C. Curator Monti datus, ut hujuſmodi ſubſidia in ducatis 200 cuilibet ex puellis conſtituta, habita ratione reddituum, æquabili proportione minuerentur. Liquebat enim, Joannem Vincentium Caſtellano ampliſſimum reliquiſſe patrimonium proventus ſuper annuis ducatis 1200, ex quibus ſatis ſuperque dotes puellis adſcriptis in ſingulos annos exſolvi præſenti pecunia poterant. Liquebat pariter, hereditatem prædicti ſubventoris maximam feciſſe jacturam, ejuſque reditus immane adhuc ſubſtinere decrementum, ut vix hodie fructum ferant annuorum ducatorum 260. Liquebat denique numerum puellarum, ultra quam ſatis eſſent facultates Montis, excreviſſe; ita ut nil minus, quam quadraginta inter admiſſas, & admittendas ad dotalia ſubſidia in præſens recenſeantur; & quæ fuerunt jamdudum admiſſæ reliqua fruſtratim trahunt ex partitionibus fructuum hereditatis, quæ an-

 no

no quolibet æquabiliter ſervantur. Ceteræ vero, nondum admiſſæ, ſuam urgent admiſſionem, ut earundem partitionum valeant fieri conſortes. Quod porro prægrande puellarum augmentum ſuam potiſſimam originem ducit a ſententia S. C. anni 1677., qua nedum puellæ ex familiis a teſtatore nominatis in Montis inſtitutione fuerunt admiſſæ, verum comprehenſæ quoque omnes aliæ, in quarum mentionem teſtator eodem teſtamento inciderat. Notabilis propterea diminutio hereditatis, præter mentem teſtatoris ſuperveniens, & augmentum puellarum, quibus ſubſidia præſtantur, juri, & rationi conſentaneam cenſuit S. C. efficere Curatoris inſtantiam, ut proportionabiliter quantitas dotis ad minorem ſummam redigeretur. Explorati enim juris eſt, diminutionem hereditatis, contingentem poſt obitum teſtatoris, legatariorum damno cedere, *L. facta §. ſi filius ff. ad Trebell.* Si enim teſtator cogitaſſet de hujuſmodi diminutione, dicendum erat, ſubſidia dotalia pro rata parte veriſimiliter detracturum, tantamque ſummam legaturum, quantam ei rei ſufficeret pro modo ejus facultatum; pari proinde ratione officio Judicis ſecundum æſtimationem patrimonii legati quantitas erat definienda ex reſponſo Celſi in *L. 30. ff. de legat. ſecun.* In ambiguo autem verſatum eſt S. C., an hujuſmodi diminutionem pati æque deberent puellæ in poſterum admittendæ, atque illæ, quæ admiſſæ, & nuptæ ex annuis partitionibus fructuum conſequutæ fuerunt ratione earum dotium quamplures quantitates. Verum inſpecto decremento hereditatis jamdudum ſecuto, & numero puellarum, quæ ad cumulum quadragenarium pervenerat, eadem æquitatis ratio in nuptis, & in nubendis coarguebatur, & propterea utraſque nullo diſcrimine habendas eſſe cenſuit. In jure enim cautum eſt, omnes caſus, quos nectit paritas æquitatis, & identitas rationis, non eſſe quoad juris diſpoſitionem ſeparandos, ut per

per *text. in L. 32. ff. ad L. Aquil.* animadvertit ſumma Oltradi, & Gloſſa in verbo *æxtimari* juncta Gloſſ. margin. *ibid.* Abſonum enim, & æquitati permaxime contrarium viſum eſt, ut quæ fuerant admiſſæ puellæ, integras dotes ducatorum 200 conſequerentur, quæ vero mox ſunt admittendæ, eæ ſolummodo diminutionis legati detrimentum ſentirent, potiſſimum quia illæ ex annualibus partitionibus fructuum Montis longe ſupra quantitatem ducatorum 50 recepiſſent, integro ipſis jure manente ſupplementum conſequendi ſuper bonis a Monte recuperandis. His itaque conſideratis:

Referente R. Conſ. D. Joſepho Criſconio cauſæ Comm.

S. R. C. declarat, *maritagia relicta a qu. Joanne Vincentio Caſtellano in ſumma ducatorum 200 cuilibet ex puellis deſcendentibus a familiis nominatis in ejus teſtamento, & codicillis pro nunc, & donec aliter, inſpecto ſtatu redditnum Montis, per eumdem Caſtellano inſtituti eſſe præſtanda in ſumma ducatorum 50; & in hujuſmodi diminutione idem S. C. declarat comprehendi quoque puellas jam admiſſas, dummodo tamen ex fructibus Montis conſecutæ fuerint liberationes excedentes ſummam ducatorum 50; ſi vero liberationes eis factæ fuerunt in ſumma minori duc. 50, teneatur Mons ſolvere in beneficium earumdem complementum uſque ad duc. 50, ſalvis omnibus prædictis puellis juribus pro complemento uſque ad dictam ſummam duc. 200 ſuper aliis bonis recuperandis in beneficium ejuſdem Montis. Verum puellæ admiſſæ, & in poſterum admittendæ intelligantur, ſervata forma ſententiæ S. C. anni 1677. Reſpectu vero reductionis miſſarum, & annuorum ducatorum 12 legatorum per eundem qu. Joannem Vincentium Caſtellano in beneficium Ven. Monaſterii Montis Calvarii, idem S. C. declarat non eſſe locum petitis pro parte magn. Curatoris in ejus comparitione fol. 104. vol. XI.*

Antonius Baſile Act. Mag. Cyrus Baſile Scriba.

In cauſa executionis generalis concordiæ initæ inter Ill. Ducem Polymniani D. Philippum Leto, & Creditores inſtrumentarios, ex litteris collybiſticis, & chirographarios Patrimonii qu. Ducis D. Cajetani Leto, & ſucceſſive interpoſitionis decreti Quod expedit *pro obligandis bonis fideicommiſſo ſubjectis per Baronem D Joſephum Leto, ad debita dimittenda. Die 7. Julii 1775.*

In tranſactionibus, quæ judicialis indigent auctoritate, inſpicitur cauſa, modus, & perſona; auctoritas autem non denegatur tranſactioni, quæ bona fideicommiſſi afficit, cum de ipſo fideicommiſſo diſputari poſſit.

D. Joſeph Leto inſtrumento diei 22. Octobris 1719. inſtituit fideicommiſſum agnatitium lineale, deſcenſivum, cum qualitate primogenituræ, ſuper feudo Civitatis Polymniani, ejuſque corporibus feudalibus, & burgenſaticis, in beneficium ejus filii primogeniti D. Cajetani Leto, aliorumque ejus filiorum, ordine ſucceſſivo in infinitum, cum perpetua fœminarum excluſione, tam virtute gratiæ contentæ in *Pragm.* 33., quam alterius gratiæ contentæ in *Pragm.* 34. *de feudis*; & in caſu ſucceſſionis alicujus fœminæ, uti vocatæ ex lege feudalis ſucceſſionis, in excluſionem ejuſdem, fuit gravatum feudum prædictum in ejus integrum valorem in beneficium maſculi ſuccedentis virtute Majoratus & Fideicommiſſi, cui pariter deferri deberet Tenuta feudi, cum perceptione fructuum in ſummam ducatorum 5200 pro capitali ducatorum 13000, cum hypotheca ſuper eodem feudo *fol.* 32.: cui quidem majoratui, & fideicommiſſo Regius Aſſenſus acceſſit ſub die 5. Octobris 1720., atque acceptatio facta per Tutores Ducis D. Cajetani Leto *fol.* 65.

Paullo poſt majoratus inſtitutionem, ſcilicet ſequenti die 23. Octobris anni 1719., teſtamentum condidit is idem Baro D. Joſephus, quo heredem inſtituit univerſalem D. Cajetanum Leto ejus filium primogenitum, heredesque particulares in legitima quatuor alios filios maſculos ſecundogenitos, taxata in ſumma ducatorum 12000 per quemlibet, relicta legitima, ſive paragio pariter duabus fœminis ex ſuo matrimonio natis: præmiſſa in eodem extremo elogio declaratione, ipſum Baronem D. Joſephum

phum ſuam diviſiſſe publicam Rationem, novis confectis ratiociniis, in partes octo; quarum una D. Joanni Leto, altera D. Hyacintho Grampolino conceſſis, ſex autem pro ſe relictis, voluit, eamdem Rationem, ſic partitam, per heredem fore exequendam ſub nomine *Giuſeppe Leto*, cui Rationi vulgo dictæ *Cantante*, ſuppoſuit omnia alia ejus bona, præter Polymniani feudum, jampridem gravatum onere fideicommiſſi *fol. 66.*

D. Cajetanus Leto eo adductus fuit, ut & ejus patrimonium in S.C. deduceret, & hereditatem. In hujuſmodi judicii curſu credita omnia diſcuſſa fuerunt, atque in ordinem poſita, inſpecta cujuslibet anterioritate, potioritateque; ſed S.C. deciſioni remiſſa fuerunt, quæ creditores eorum libellis expreſſerant contra fideicommiſſum, & majoratum; ii enim, quorum credita derivabantur ex literis collybiſticis, exaratis ſub nomine publicæ Rationis *Giuſeppe Leto*, petebant ſequeſtro ſubjici feudum Polymniani, uti acquiſitum ab eo, cujus fidem mercando ſecuti erant, nec obeſſe fideicommiſſum, utpote factum, inſciis creditoribus: Creditores vero inſtrumentarii addebant, Baronem D. Joſephum uſque ad tempus conditi Majoratus fuiſſe obæratum, nec tantum adfuiſſe in ſuo Patrimonio, ut ſarctum tectum faceret Majoratum; imo prorſus illud fuiſſe adſtructum pecunia creditorum. Creditores, qui devinctos habebant alios fratres Ducis D. Cajetani, ex juribus eorumdem inofficioſitatis querelam adſtruebant contra Majoratum, pro conſecutione legitimæ filiis a Barone D. Joſepho relictæ in ſummam ducatorum 12000 per quemlibet. Denique creditores omnes inſtabant, ſubjici ſequeſtro feudum Polymniani, ſaltem ad finem vendendi, ut ſatisfacto vocatis pretio ducatorum 13000, in quo Majoratum conſiſtere dici poterat, reliquum feudi pluriſvalentiæ adderetur Patrimonio, & Creditoribus *fol. 86.*

Hinc S. R. C. die 29. Aprilis 1766. decrevit, ſequeſtro ſub-

ſubjici feudum Polymniani, etiam quoad juriſdictionem, & nomine S. C. locari, ad finem providendi ſuper petitis pro parte Creditorum, & fuit impartitus terminus ordinarius ſuper prælatione, & ſeparatione bonorum, petita per Creditores ex literis collybiſticis: qui quidem terminus, ordinarie datus, fuit pariter confirmatus, petentibus Creditoribus inſtrumentariis pro liquidatione patrimonii Baronis D. Joſephi Leto de tempore conditi majoratus *fol.* 98.

Hoc autem decretum, nullitatibus productis ab hodierno Ill. Duce D. Philippo Leto *fol.* 100., confirmatum fuit ſub die 18. Maji 1767. *fol.* 160.

Ad inſtructionem Magiſtratus relationem confecit D. Melchior Maturanzio, ex qua conſtat, in patrimonio Baronis D. Joſephi Leto tempore ſuæ mortis non adeſſe, niſi ſummam ducatorum 334702 *fol.* . . . : qua quidem relatione ab aliis peritis reviſa, liquet, patrimonium fuiſſe, deductis oneribus, ducatorum 259403, & aſſ. 7. *fol.* 491.

Termino compilato tam ſuper inſufficientia patrimonii D. Joſephi Leto, quam ſuper prælatione, & ſeparatione bonorum, petita per Creditores ex literis collybiſticis *fol.* 98., conventiones initæ ſunt inter Creditores, & Ill. Ducem Polymniani D. Philippum Leto, ejuſque patruos, ex quibus liquet, Creditores prædictos generalem feciſſe compoſitionem, concordiamque, relictis in beneficium dicti Ill. Ducis, & vocatorum omnibus annualitatibus decurſis a die deductionis patrimonii uſque ad tempus conventionum, & per aliquos eorumdem Creditorum relictis ratis capitalium, in unum componentibus ſummam duc. 70661, præter alios ducatos 30000, relictos a Creditoribus de familia ejuſdem Ducis, cum onere tamen aſſumendi ſatisfactionem ab Ill. Duce, juxta quantitatem conventam in reſpectivis conventionibus, cum obligatione, & ſpeciali hypotheca tam bo-

no-

norum burgenſaticorum, quam feudalium Fideicommiſſo & Majoratui ſubjectorum, & cum onere pariter ſatisfaciendi expenſas ad finem dimittendi Patrimonium *fol.* 167.

Ill. Dux Polymniani, ejuſque patrui inſtiterunt apud acta pro executione conventionum initarum cum Creditoribus, ac licentiam petierunt obligandi tam bona libera, quam Majoratui ſubjecta, ad finem inveniendi ſummam, ſive mutuo, ſive ad annuos redditus, conditionatam pro dimittendis Creditoribus, & ſatisfaciendis expenſis pro dimiſſione Patrimonii, cum aliquibus legibus & conditionibus, inſpicientibus favorem futurorum vocatorum *fol.*

Curator ſpecifice datus futuris vocatis in Majoratu & Fideicommiſſo inſtituto a Barone D. Joſepho Leto, ca omnia ſuo libello diſpunxit, ex quibus apparet, in diſcrimen venire exiſtentiam, & quantitatem Majoratus, ac proinde conventiones initas eſſe exequendas, ut expedientes futuris vocatis, cum aliquibus tamen moderationibus *fol.* 238.

Ex calculo autem confecto per Scribam Patrimonii evincitur, quamplures creditores fuiſſe integre ſatisfactos, reliquos conſenſiſſe, præter D. Joſephum Grampolino, & heredes qu. D. Carmini Ventapane: inſuper adeſſe in Patrimonio, ultra feudum Polymniani cum omnibus burgenſaticis, alia bona libera valoris circiter ducatorum 80000; pro dimittendis vero Creditoribus ſummam occurrere ducatorum 76446, præter quantitates neceſſarias pro dimiſſione Patrimonii *fol.* 258.

Poſtremo Ill. hodiernus Dux deduxit, teneri D. Joſephum Grampolino, & heredes D. Carmini Ventapane concurrere cum aliis Creditoribus ad initam conventionem, iiſdem legibus, conditionibus, & remiſſionibus *fol.* 266.

Summaria vero informatione capta pro interpoſitione petiti decreti *Quod expedit*, & inſpectis omnibus actis in pluribus voluminibus contentis:

Refe-

Referente R. Conſil. D. Salvatore Caruſo cauſæ Comm.

S. R. C. decrevit : *Generalem conventionem initam inter Ill. Ducem Polymniani D. Philippum Leto cum Creditoribus tam inſtrumentariis , quam ex literis collybiſticis , & chirographariis , concurrentibus ſuper Patrimonio ejus patris D. Cajetani Leto , etiam ſub nomine publicæ Rationis* Giuſeppe Leto , *eſſe exequendam , ſervata forma conventionum exhibitarum ; ac proinde declarat , quod expedit , ſive mutuo , ſive ad annuos redditus accipere ſummam conditionatam pro ſatisfaciendis creditoribus , & pro expenſis neceſſariis in dimittendo Patrimonium , ſervata forma inſtantiæ Ill. Ducis , cum moderationibus contentis in inſtantia magn. Curatoris futurorum vocatorum , pro cujus effectu licere præfato Ill. Duci obligare , & hypothecæ ſubmittere bona Majoratui & Fideicommiſſo ſubjecta , inſtituto a Barone D. Joſepho Leto anno* 1719. , *Regio Aſſenſu munito . Reſpectu vero expenſarum exequatur conventio pro ſumma declaranda per S. C. Necnon D. Joſeph Grampolino , & heredes D. Carmini Ventapane teneantur concurrere cum aliis creditoribus , cum iiſdem legibus , conditionibus , & remiſſionibus , cum quibus alii creditores conventiones iniere .*

Explorati enim juris eſt , conventiones initas inter Creditorem , & Debitorem eſſe exequendas , cum non minorem habeant auctoritatem tranſactiones , quam ipſiſſimæ res judicatæ , *L. non minorem* 20. *Cod. de tranſact.* In tranſactionibus vero , quæ apud Prætorem fiunt , tria potiſſimum ſunt inſpicienda , cauſa , modus , & perſona , ut in *L.* 8. *§.* 9. *D. de tranſact.* Quibus omnibus perpenſis , non dubitavit S. C. generalem hanc conventionem eſſe exequendam , ſuamque mereri judiciariam auctoritatem ; etenim cum in diſcrimen veniret exiſtentia Majoratus ob deductam incapacitatem Patrimonii D. Joſephi Leto ; & caſu ſubſiſtentiæ , an gravamen adeſſet ſuper

Digitized by Google

ſuper corpore feudi, ſive in pretio ducatorum 13000, etſi hæc omnia in compertis forent, ſupererat inſpiciendum, an omnia bona libera, & gravata forent obnoxia illis Creditoribus, qui cauſa mercandi egerant cum Duce D. Cajetano Leto, ſub fide, & publica Ratione *Giuſeppe Leto*: quibus Creditoribus, juxta Severi, & Antonini reſcriptum in *L. Filiusfamilias §. 14. ff. de leg. & fideicomm.* 1., non officiebat fideicommiſſi vinculum. Propterea habito etiam reſpectu ad remiſſiones factas a Creditoribus, & ad finem evitandi judicium in tot involucris reconditum, in generali hac tranſactione, & concordia, S. C. non dubitavit, adeſſe favorem, & expedientiam pro intereſſe futurorum vocatorum. Quoad renuentiam D. Joſephi Grampolino, & heredum D. Carmini Ventapane S. C. in comperto habuit, debere præfatos Creditores compelli ad conſentiendum cum aliis Creditoribus, facientibus majorem crediti partem, ut eſt in *L. 8. ff. de pactis*, apertiſſime definitum.

Quaranta Act. Mag. Guerra Scriba.

In cauſa nonnullorum Civium Terræ Capitiſileris cum Rev. Capitulo, aliiſque eorum creditoribus. Die 10. Julii 1775.

Cenſus conſignativus, conventione poſthabita, ad juſtam exactionem reducitur, quæ reſpondeat fructibus rei hypothecatæ.

FRanciſcus Jannuzzi, Leonardus Melonga, aliique cives Terræ Capitiſileris petierunt, annuas penſiones, quas ob cenſum conſignativum præſtant Capitulo dictæ Terræ, aliiſque, ad rationem ducatorum novem, & decem pro ſingulis centenis, moderari, ac redigi ad æquiorem ſummam ducatorum quatuor, vel quinque pro quolibet centenario *fol.* 1. Decreto S. R. C. mandatum fuit, *quod in biduo audiantur partes, & interim debitores ſolvant ad rationem ducatorum quinque pro quolibet centenario fol.* 30. Termino compilato, in quo Creditores probarunt fundorum ſterilitatem, ſuper quibus annui cenſus

conſtituti ſunt, difficultatem exactionis, pecuniæ inopiam, & raritatem, morem denique Regionis *fol.* 63. S.R.C. pronunciavit, *Annualitates debitas per debitores conventos Terræ Capitiſileris ſolvendas eſſe ad rationem ducatorum ſex pro capitalibus ducatorum centum, & infra, & ad rationem ducatorum quinque pro capitalibus ultra ducatos centum, & onus cataſti in utroque caſu cedat in damnum debitorum. Neutram partem in expenſis.* Divus Marcus ita reſcripſit: *Præſidem Provinciæ adi, qui ſtipulationem, de cujus iniquitate queſtus es, ad modum juſtæ exactionis rediget, L. Cum quidem* 17. *ff. de uſur.* Iniquum vero videtur, penſiones annuas præſtari, quas fructus rei hypothecatæ ſaltem non exæquent; præſertim quia inter annuos redditus, & rei hypothecatæ fructus ratio aliqua, & proportio interſit oportet, ut venditio dicatur facta juſto pretio, *L.* 16. *C. de reſcind. vend.* Fundorum autem ſterilitatem Creditores ipſi probarunt. Recte igitur pactionem, ab initio licet juſtam, tractu temporis tamen nimis duram, S.C. attemperavit.

Nicolaus Gerace Act. Mag.

Verba fecit de his in S. R. C. D. Franciſcus Maſtellone R. C. & cauſ. Com.

In cauſa D. Joſephi de Blaſio, petentis ex Conſtit. Conſtitutionem divæ memoriæ *fieri locum revocationi contractus, quo D. Felix de Blaſio vendidit D. Antonino de Blaſio bona quædam feudalia, officium ſcilicet Magiſtri actorum Regiæ Curiæ Civitatis S. Agathæ Rhegii, Bajulationem ejuſdem Civitatis cum jure fidæ & diffidæ, viridarium in regione dicta* Laganà, *ac jus redintegrandi Molendinum in loco dicto* la Corte, *eo quod inſtrumento diei* 8. *Novembris* 1766., *quo vera peracta fuit venditio, Regius Aſſenſus defuerit. Die* 12. *Julii* 1775.

Regio Aſſenſu impetrato ſuper inſtrumento venditionis feudi, alio deinde inſtrumento ſtipulato, quo adfirmatur, pacu-

INſpecto uno atque altero venditionis inſtrumento; inſtrumento quoque revocationis *fol.* 7. 13. & 27., S.R.C. pronunciavit: *Eſſe locum petitæ revocationi contractus, ac proinde D. Antoninum de Blaſio eſſe condemnandum ad reſtituendum D. Joſepho de Blaſio dicta bona feudalia*,

lia, una cum fructibus liquidandis a die venditionis, dictumque D. Joſeph virtute ejuſdem ſententiæ S.C. eſſe condemnandum ad reſtituendum D. Antonino de Blaſio quantitates, pretii nomine ab eodem ſolutas, una cum intereſſe ab eodem tempore liquidando, pro quibus liquidationibus infra quatuor dies audiantur partes. Neutram partem in expenſis.

niam, quæ primo inſtrumento numerata adparuit, revera numeratam non fuiſſe, unde de ejus ſolutione conventio initur; ſi poſteriori huic inſtrumento Aſſenſus Regius non accedat, nulla eſt venditio.

Siquidem inſtrumento diei 2. Octobris 1766. D. Felix de Blaſio vendidit memorata bona feudalia D. Antonino de Blaſio ducatis 1900, quos inibi profeſſus eſt venditor numeratos ſibi fuiſſe. Contra altero inſtrumento diei 8. Novembris 1766. ambo confeſſi ſunt contrahentes, nuſquam numeratam fuiſſe pecuniam; adeoque apparuit, imaginariam potius, & dicis cauſa priori illo inſtrumento expeditam fuiſſe venditionem; cum quod venditur, non aliter fiat accipientis, quam ſi aut pretium ſolutum ſit, aut de eo habita fides emptori, quod utrumque tunc defuit, *L. 19. & 35. ff. de contrah. empt.* Id contrahentes ipſi agnoviſſe videntur, contractui enim firmitatem additurі, alterum ultro cæptarunt, & de pretio rurſus convenerunt, quod ſcilicet ducati 1000 ſolvendi eſſent ab emptore Hoſpitali Civitatis Bovæ, alii ducati 400 venditori, tunc eidem reipſa ſoluti: & ex cauſa reliquorum ducatorum 500, qui fuiſſent ſolvendi, ſuſpenſa fuit ex compacto venditio viridarii in loco dicto *Laganà*, quod remanſit ipſi venditori, ea lege addita, ne jus eſſet emptori ejus viridarii traditionem urgere, niſi pretium ſolveret, a peritis æſtimandum, quo tempore viridarium peteretur. Denique id quoque conventum eſt, quod, veluti in partem pretii, venditor, ejuſque liberi, a jure Bajulationis, & ſolutione fidæ & diffidæ eſſent immunes. Ex recepto autem Regni jure firmitatem ſuam contractum habere noluerunt, niſi Regio muniretur aſſenſu.

Jam vero cum primus, non ſecundus contractus, per aſ-

ſenſum firmatus fuerit a Sereniſſimo Rege, patet ob defectum aſſenſus fuiſſe exitu inutilem alterum contractum, quo vera venditio expedita fuit. Eo accedit, quod licet vera ponatur prior illa venditio, ſecundo illo contractu omnino reſciſſa fuit, ob novas de pretio leges eidem appoſitas. Aperte enim in jure cautum, ut ſi, omnibus integris manentibus, de augendo, vel deminuendo pretio rurſus conveniat, receſſum a priore contractu, & nova emptio interceſſiſſe intelligatur, *L. Pacta conventa 72. ff. de contrah. empt.* Eodem pertinet, quod ſi quam rem a te emi, eandem rurſus a te pluris, minoriſve emero, diſceſſiſſe videamur a priori emptione; poteſt enim, dum res integra eſt, conventione noſtra infecta fieri emptio, quaſi nulla præceſſerit, *L.2. ff de reſcind. vend.*

U.J.D. Franciſcus d'Amora Act. Mag. Franciſcus de Luiſe Scriba.

Verba fecit de bis in S.R.C. D.Dominicus Potenza R.C. & cauſæ Comm.

In cauſa magn. D.Fabii de Avoſſa cum magn. D.Vincentio, & aliis de Roſſi, ut ex actis. Die 24. Julii 1775.

Cum non conſtet qualitas feudi quaternati *ſecundum quid*, non revocatur venditio, quæ abſque Aſſenſu facta eſt.

INſtitit in S.R.C. D.Fabius de Avoſſa pro revocatione, vigore Conſtitut. Regni *Conſtitutionem divæ memoriæ*, venditionis in ſui beneficium factæ per magn. D. Vincentium, & alios de Roſſi territorii denominati *lo Fio de Liccoli*, ſiti in tenimento Terræ Ebuli; ex eo quia venditio prædicta fuit tractata & conventa de territorio feudali, abſque reſervatione Aſſenſus, imo ſine documentis opportunis pro obtinendo Aſſenſu prædicto *fol.1.* Patet ex inſtrumento diei 8. Februarii 1775. conventam fuiſſe enunciatam venditionem *fol.5.* Hinc S.R.C. præ oculis habens probationes factas in curſu termini impartiti per Dominum cauſæ Commiſſarium, & omnia acta, declaravit „ *Inſtrumentum initum inter D.Vincentium,*

& alios

& alios de Roſſi cum D. Fabio de Avoſſa pro venditione territorii denominati lo Fio de Liccoli *fol. 5. eſſe exequendum: ſalvis juribus præcitato D. Fabio contra eoſdem de Roſſi, caſu declarationis faciendæ per Regiam Cameram Summariæ circa qualitatem feudalem dicti territorii. Neutram partem in expenſis.*

Non fuit enim inter partes ipſas dubitatum, dictum prætenſum feudum non eſſe deſcriptum in Regiis quinternionibus, neque pro eo fuiſſe ſoluta relevia; imo conceſſio dicti territorii, facta Brunoni de Roſſi per Joannem della Ratta Comitem Terræ Ebuli, enunciata in quadam copia privilegii confirmationis expediti per Regem Alphonſum ab Aragonia anno 1415., exhibita ab eodem præfato D. Fabio, parum favet ejus intentioni circa prætenſam qualitatem quaternati *ſecundum quid*. Oportet enim quod feudum teneatur non a Barone tantum, ſed etiam a Rege, ut detur locus revocationi vigore Conſtitutionis prædictæ, quia directa ad finem evitandi devolutionem in beneficium Regiæ Curiæ, cui non ſubjacent feuda, quæ denominantur plana, & de tabula. At quia dictum inſtrumentum non continet venditionem feudi, neque territorii prædicti, uti in actuali ſtatu feudalitatis, ſed tantummodo, ut emptor evadere poſſet ſolutionem bonatenentiæ, & jurium baronalium, fuit aſſertum, venditores prætendiſſe territorium prædictum de qualitate feudali, & pro effectu prædicto fuiſſe tradita opportuna documenta, cum pacto tamen hiſce verbis concepto, *ſenza che ſiano eſſi venditori a coſa alcuna tenuti*; ideo non fuit in eodem appoſita clauſula reſervativa aſſenſus impetrandi, pro cujus defectu inſtitit emptor pro revocatione, imo pro nullitate contractus; quapropter S. R. C. cenſuit eſſe inſtrumentum prædictum executioni demandandum; & caſu tantum, quo inſtante Regio Fiſco, vel altera legitima perſona, emptor intereſſe patiatur pro qualitate feudali declaran-

da

da per Regiam Cameram Summariæ, poſſe pro evictione agere; & proinde caſu prædicto fuerunt ei jura reſervata, non impedita interim executione contractus.

Michael Priſcolus Act. Mag. Cajetanus Fragola Scriba.

De his verba fecit in S.R.C. D. Nicolaus Maria Veſpoli R. C. & cauſæ Com.

In cauſa D. Joſephæ, & D. Conſtantiæ Ceſareo cum D. Andrea, & D. Joſephe Mercato. Die 24. Julii 1775.

Ad Patronatum familiarem, deficientibus maſculis, fœminas, & earum filios vocari, non dubitatur, præcipue cum in defectu familiæ proximiores vocaverit Fundator.

Vocatis maſculis, & deſcendentibus ex fœminis collateralibus etiam remotioribus, multo magis vocati cenſentur deſcendentes ex fœminis propriæ Fundatoris familiæ.

INſpecto tam inſtrumento fundationis Montis Ceſareo, factæ anno 1600. per Annibalem Ceſareo *fol.* 106., quam inſtrumento aggregationis Familiæ Ceſareo ad Montem prædictum, cum fundatione Prioratus dicti Montis anno 1610. *fol.* 73. Inſpecto pariter teſtamento, & codicillo ejuſdem Annibalis *fol.* 199. & 234., ac inſtrumento conventionis ſtipulato inter magn. de Mercato, & magn. de Ceſareo *fol.* 535., cum concluſione Gubernatorum dicti Montis *fol.* 533.

Referente R. Conſ. D. Joanne Pallante cauſ. Comm., cum D. Dominico Potenza Adjuncto.

S.R.C. ſequentem protulit ſententiam: *Patronatum paſſivum Prioratus Montis Ceſareo, inſtitutum ab Annibale Ceſareo, ſpectaviſſe & ſpectare filiis natis & naſcituris a magn. D. Joſepha, & D. Conſtantia Ceſareo filiabus qu. D. Silveſtri Cyri Ceſareo, eorumque filiorum filiis & deſcendentibus, ſtante renunciatione D. Annibalis junioris ultimi maſculi dictæ familiæ*; ex eo quia dictus Patronatus inſtitutus fuit a dicto qu. Annibale ſeniore favore ejus propriæ familiæ Ceſareo, & in defectum ejuſdem familiæ in beneficium proximorum. Ad patronatum autem familiarum fœminas, & filios ex eis, deficientibus maſculis, vocari, in dubium revocari nequit, nam vocatione certæ familiæ, etiam fœminæ ejuſdem comprehenduntur, per *text. in L. 32. §. in fideicommiſ-*

ſis,

ſis; *& L. Peto ff. de L. 1. cum concord.* Eo certius quia cum fundator Annibal, in defectu maſculorum ejus familiæ, proximos vocaverit, filii fœminarum ultimarum de familia ſunt proximiores.

At proinde, attenta concluſione prædicta Gubernatorum dicti Montis, qui habent jus activum dicti Prioratus fol. 533., magn. D. Franciſcus Patrizio filius D. Joſephæ Ceſareo, & D. Petri Patrizio manuteneatur, & quatenus opus immittatur in poſſeſſionem dicti Prioratus Montis Ceſareo, & durante ejus minore ætate, exerceatur Prioratus prædictus per magn. D. Petrum ejus patrem, ad inſtar proviſionis, alias factæ ab eodem Fundatore in dicto inſtrumento fundationis pro filiis Franciſci Ceſareo ejus pronepotis fol. 74., & in ejus teſtamento fol. 105., ac etiam ſervata forma dictæ concluſionis fol. 533.

Pronunciavit etiam S.C. *Filios, & filias D. Joſephæ, & D. Conſtantiæ Ceſareo, cum eorum deſcendentibus, eſſe comprehenſos, & admitti debere ad fruitionem, & regimen dicti Montis reſpective, ac proinde filias fœminas dictarum D. Joſephæ, & D. Conſtantiæ gaudere debere maritagiis a Fundatore ſtatutis, & filios maſculos, eorumque deſcendentes gaudere gubernatione, juribus, ſubſidiis, & prærogativis dicti Montis, uti de familia Ceſareo, & a Fundatore expreſſe prævisos, & proinde vocatos, etiam attento dicto teſtamento, & codicillo ejuſdem Fundatoris*. Nam dictus fundator Annibal anno 1600., quando non aderant Ceſarei ex Franciſco nepote, Montem prædictum inſtituit pro tribus familiis, & earum deſcendentibus, ſcilicet Pulverina, & Baldina ex ſororibus, & Mereata ex amita ſibi conjunctas. At anno 1610. pro facultate ſibi reſervata addidit Ceſareos abnepotes ex Scipione fratre ſuperventos, imo in eorum familia etiam dictum Patronatum Prioratus inſtituit, ut perpetuo ſuamet familia præſideret Monti,

ti, pro bono ejuſdem Montis, & vocatorum ad ejus fruitionem. Si igitur maſculos, & deſcendentes ex fœminis collateralibus, etiam remotioribus, vocavit, multo magis maſculos ex fœminis deſcendentibus ſuæ propriæ prædilectæ familiæ vocaſſe, dicendum eſt, pro quibus etiam Prioratum fundavit: eo vel magis quia enixe Fundator prohibuit, ne pluſquam duo Gubernatores de qualibet familia crearentur, ne male Monti conſuleretur. At hodie extinctis familiis Baldina, & Pulverina, cum ſola remanſerit familia Mercato, niſi ad maſculos ex fœminis Ceſareis gubernatio (& per conſequens commoditas) dicti Montis attribuatur, eveniret, ut contra Fundatoris voluntatem Gubernatores duo de una tantum familia eligi deberent, qui eorum arbitratu peſſum dare Montem poſſent. Denique mandavit Fundator, quod, extinctis familiis uſque ab initio vocatis, Mons ad ejus heredes pervenire deberet: atqui D. Joſepha, & D. Conſtantia, earumque deſcendentes, nedum propriam Fundatoris familiam repræſentant, ſed & hereditatem ejuſdem, & majoratus ab eodem in teſtamento fundatos habere, & ejus perſonam repræſentare debent; recte igitur dicendum eſt, eas vocatas eſſe ad Montem prædictum, earumque filiis & deſcendentibus patere debere; nam voluntas Annibalis fundatoris in caſu omiſſo (prout eſt præſens) ex iis, quæ idem Fundator ordinavit, & prævidit, explicatur, & exequi debet, per juris regulam deſumptam ex diſpoſitis in *L. Unum §. pen.*, *L. fin. de leg. 2. L. 1. §. ſi ex fundo D. de hered. inſtit.*, *L. Errorem C. de teſtam.*, *L. Cum avus D. de condit. & demonſtr.*, *L. Cum acutiſſimi C. de fideicomm. cum concord.*: ac proinde filiabus D. Joſephæ, & D. Conſtantiæ dotes ex Monte eſſe adſignandas, filiis vero maſculis earumdem D. Joſephæ, & D. Conſtantiæ, illarumque deſcendentibus pertinere reſpective dotes, & gubernationem Montis, cum juribus, ſub-

ſubventionibus, & prærogativis ejuſdem; etiam quia ex his rationibus, & juribus per magn. de Mercato (oppoſitores in judicio) conſideratis, ad conventionem cum Ceſareis prædictis devenerunt, pro admiſſione eorumdem de Ceſareo, eorumque filiorum, & filiarum reſpective, ut ſupra, ad Montem prædictum.

Joannes Rubinus Act. Mag. Vincentius Principatus Scriba.

In cauſa D. Thereſiæ Confalone, cum Patrimonio Ill. Fratrum de Confalone, Die 8. *Auguſti* 1775.

Bona fideicommiſſi, quod a collaterali inſtitutum eſt pro conſervatione & decentia familiæ, in ſubſidium tenentur pro dotibus unius ex familia.

PRo monacanda D. Thereſia Confalone, decreto S.R.C. habito colloquio interpoſito ſub die 27. Junii elapſi anni, fuerunt taxati ducati 3500. *fol.* 13. Ill. Marchio D. Vincentius, & D. Carolus Confalone inſtiterunt pro venditione bonorum, quæ poſita ſunt in loco dicto *li Pichiedi*, ad hoc ut ſolverentur ducati 2700, complementum dictorum ducatorum 3500, non obſtante fideicommiſſo inſtituto per qu. Marchionem D. Xaverium Confalone communem patrem; nam reliqui ducati 800 fuerunt pro cauſa prædicta liberati ex pecunia dotali Ill. Marchioniſſæ D. Franciſcæ Mariæ Sarriano communis matris *fol.*20. Audito hinc Curatore dato vocatis in fideicommiſſo prædicto *fol.* 22., S. R. C. junctis Aulis die 18. elapſi menſis Julii decrevit, *quod liceat magn. Curatori, ut ex actis, ad annuum redditum, ſive mutuum accipere, ad rationem non excedentem ducatos quatuor pro centenario, ducatos* 2700 *pro cauſa enunciata in decreto per S.C. habito colloquio interpoſito die* 17. *Junii elapſi anni, & pro ſumma prædicta hypothecare bona ſubjecta fideicommiſſo inſtituto per qu. Marchionem Petinæ D. Xaverium Confalone fol.* 31.

Petiit deinde D. Thereſia, ut pro dicto ære alieno contrahendo liceret hypothecare bona etiam ſubjecta fideicommiſſo inſtituto anno 1691. per qu. D. Nicolaum Confalo-

ſalone patruum dicti qu. Ill. Marchionis ejus patris *fol.* 32. Termino ſummarie impartito *fol.* 35., probationibus factis *fol.* 123., audito alio Curatore dato vocatis in hoc fideicommiſſo *fol.* 132., inſpecto teſtamento prædicti qu. D. Nicolai *fol.* 36., inſpectiſque documentis, ex quibus conſtat, tam a prædicto qu. Ill. Marchione, quam a qu. D. Joſepho Confalone fuiſſe impenſos circiter ducatos 6000 in meliorandis domibus ſubjectis fideicommiſſo dicti qu. D. Nicolai, ſitis in locis vulgo denominatis *il Vicolo delli Zuroli, ed il Vicolo delle Campane, fol.* 43.

Per S.R.C. proviſum eſt, *quod liceat magn. Curatori, ut ex actis, pro ære alieno contrahendo virtute dicti decreti, per S.C. junctis Aulis interpoſiti die* 18. *elapſi menſis Julii, hypothecare, in ſubſidium tamen, etiam bona ſubjecta fideicommiſſo inſtituto anno* 1691. *per qu. D. Nicolaum Confalone, facta per D. Thereſiam Confalone jurium ceſſione primario in beneficium mutuantis; & ſecundario in beneficium vocatorum in dictis reſpectivis fideicommiſſis.*

Ex actis enim patet, ex cauſa meliorationum prædictarum competere vocatis in fideicommiſſo qu. Ill. Marchionis D. Xaverii Confalone detractiones ſuper bonis ſubjectis fideicommiſſo qu. D. Nicolai, quæ ſegregari non poſſunt, neque adhuc ſunt judicialiter liquidatæ, ideo ut poſſit ſecuritati mutuantis provideri, neceſſaria fuit exiſtimata obligatio etiam dictorum bonorum. Et quamvis fideicommiſſum fuiſſet inſtitutum a collaterali, attamen Inſtitutor fuit de familia, & pro conſervatione, & decentia ejus familiæ diſpoſuit; quapropter conſentaneum voluntati ejuſdem Teſtatoris, ac juris equitati cenſuit S.R.C. *argum. Leg. in Auth. Res quæ C. de legat. & fideicomm.*, quod pro urgenti & neceſſaria cauſa decenter collocandi prædictam D. Thereſiam teneantur in ſubſidium etiam bona prædicta.

Quaranta Act. Mag. Joſeph Santelia Scriba.

Verba fecit de hic in S.R.C. D. Nicolaus Maria Veſpoli R.C. & cauſæ Comm.

In

ed by Google

In cauſa Univerſitatis Montisacuti cum Rev. Parocho ejuſdem Oppidi. Die 14. Auguſti 1775.

Tranſactio, cujus virtute decimarum præſtatio ad certam annuam quantitatem reducitur, utilis & expediens cenſetur.

PErſolventibus Civibus Oppidi Montiſacuti decimas ſub Rev. Parocho ex omnibus agris, qui in eodem territorio per Cives ipſos jure coloniæ ſeruntur, ac inſtituto annis elapſis per Univerſitatem, & Cives judicio in S. C., quo decimarum præſtationem renuebant, oblata Rev. Parocho competenti congrua pro ſpiritualium adminiſtratione; ea nempe ratione, quia in præfato oppido, recenter admodum ex coadunatis colonis condito, uſu tantummodo recepta fuerat perſolutio decimarum, quæ ab initio pro paucioribus Civium familiis exiguum conficiebant redditum, auctiſque deinde iiſdem decimis ex confluentium exterorum numero in eodem oppido, earum collatio excreverat ultra modum congruæ Rev. Parocho debitæ; cui quidem judicio, ſeſe Parocho opponente, impartitus, ac compilatus fuit, ſervatis ſervandis, terminus. Hiſque ſic peractis, fuit demum inter Univerſitatem, & Rev. Parochum tranſactione quæſtio finita; & in tranſactione conventum, ut ſublata prægravi decimarum præſtatione, Univerſitas pro congrua Parocho debita, perſolvat tantummodo annuos ducatos 120, pro rata quarto quolibet menſe, nunquam in poſterum augendos, etiam aucto familiarum, vel civium numero juxta conventionem, relicto eidem Univerſitati, ac Civibus onere ſumptuum pro Eccleſiæ decenti ſubſtentatione, luminaribus, ac ceteris ad Sacrorum, & Spiritualium cultum pertinentibus, ac Presbyterum inſuper eidem Parocho Miniſtrum Coadjutorem addendi, ſi ita neceſſitas poſtulaverit. Pro conficienda tamen ſingulis annis pecunia oneribus prædictis ſubſtinendis expreſſum præterea eſt in eadem conventione, eam per Cives eſſe tribuendam pro modo facultatum, & un-

& unciarum in publico Æſtimo, ſive Cataſto deſcriptarum. Quæ quidem conventio, publicis Civium comitiis fuit, omnium ſuffragiis, ac nemine diſcrepante, probata, ac decreto Ill. Marchionis Regii Conſiliarii D. Joſephi Mauri Commiſſarii diei 19. Auguſti 1774. executioni demandata, ex conſenſu pariter Rev. Parochi *fol.* 4. Hinc petito per Univerſitatem, & Cives, eandem conventionem Regio aſſenſu firmari, juxta ſupplicem libellum in Regali Camera S. Claræ porrectum S. M., eoque remiſſo S.R.C. pro interpoſitione decreti *Quod expedit fol.* 7.

Referente R. Conſ. D. Joſepho Mauri cauſa Comm.

S. R. C. habens præ oculis præcitatam conventionem initam inter partes *fol.* 4., conſenſum præſtitum per Rev. Parochum *fol.* 5., teſtium depoſitiones *fol.* 11., inſtantiam Curatoris *fol.* 18., ac omnia acta, declarat:

Quod expedit, ac proinde hoc ſuum interponit decretum, ſuamque ſuper eadem conventione judiciariam præſtat auctoritatem; verum pro interpoſitione Regii aſſenſus partes adeant Regalem Cameram S. Claræ.

Ad hujuſmodi conventiones firmandas inter Univerſitates & privatos ante omnia de jure requiritur evidentis utilitatis earundem luculenta probatio, prout ſtatuitur in *L. Civitas* 27. *ff. de reb. cred. & ſi cert. petat. L. Si quæ ult. Cod. de vend. reb. civit. Auth. Hoc jus in fin. Cod. de Sacroſ. Eccl. & Nov.* 126. *cap.* 6. §. 2. *circa fin.*

Hoc ſatis ſuperque in caſu, de quo agimus, videtur comprobatum nedum ex tenore enunciatæ conventionis, verum etiam ex probationibus, & ex inſtantia Curatoris. Ex his liquido conſtat, Univerſitatem Oppidi Montisacuti utile quidem negotium geſſiſſe in tranſactione prædicta, cum clare ex ea reſultet omnium Civium, & ipſius Univerſitatis evidens utilitas, in libertatem aſſerentium ſingulorum prædia a graviori decimarum præſtatione.

Geracc Act. Mag. Tertia Scriba.

In

In cauſa inter U.J.D. D. Franciſcum, & D. Ignatium fratres de Franciſco, D. Jacobum, D. Franciſcum Mariam, alioſque de Buono, fratres ſecundogenitos U.J.D. D. Nicolai de Buono ex una, ac Montem erectum per qu. D. Nicolaum de Buono qu. Andreæ, ac ejus magn. Gubernatores ex altera. Die 18. Septembris 1775.

D. Franciſcus, & D. Ignatius fratres de Franciſco, ac D. Jacobus, D. Franciſcus Maria, aliique de Buono fratres ſecundogeniti U.J.D. D. Nicolai de Buono, petierunt, ut ex multiplico, ſecundum Teſtatoris præceptum ad incrementum Montis conficiendo, commutata defuncti voluntate, ipſis aliquid ſubſidii ſingulis annis præbeatur, pro ſe honeſte, juxta eorum civilis generis originem, exhibendo. Regiis Reſcriptis S.R.C. mandatum fuit, ut ex juſtitia & juris ſententia judicaret, conſulto tamen ſecundum judicatum Regiæ mentis oraculo *fol. 1. &c.* D. Nicolaus autem de Buono qu. Andreæ anno 1714. teſtamentum condidit, quo, fato proximus, nullis ſuſceptis liberis, heredem ſcripſit Montem pro familia de Buono conſtituendum, atque ad augenda ejuſdem Montis bona ex fructibus acceſſiones ſive multiplicum præcepit, per annos vigintiquinque perduraturum: quibus expletis, fructus exinde, variis deſignatis legatis, diſpenſari juſſit favore familiæ de Buono. aliarumque familiarum. Legavit ſiquidem ſubſidium annuorum ducatorum 500 filiis atque deſcendentibus primogenitis maſculis qu. D. Nicolai de Buono qu. Joſephi perpetuo præſtandum; iiſque deficientibus, ſubſtituit maſculos primogenitos deſcendentes ex fœminis ejuſdem qu. D. Nicolai, ſervato ſemper ordine primogenituræ; quibus etiam vel non extantibus, vel quandocumque deficientibus, ad idem ſubſidium vocavit primogenitos maſculos ex qu. D. Leonardo de Buono deſcendentes; atque poſt hos extremo gradu primogenitos maſculos ex eorumdem fœminis deſcendentes. Legavit inſuper dotes duca-

Non datur locus commutationi voluntatis, niſi cum teſtamentum publicas cauſas reſpiciat, quæ vel facto, vel bonis moribus, vel alia publica ratione non ſunt ſpecifice exequendæ. Qui vero voluntatem convellere in judicio conatus eſt, haud quidem meretur, ut in ſui beneficium commutetur.

ducatorum 1000 fœminis earumdem familiarum, juxta ſubſtitutionis gradus, atque fœminis etiam deſcendentibus a qu. U.J.D. D. Joanne Baptiſta Repucci, ſingulis tempore, quo nuptui traderentur, perſolvendis; addito pariter legato annuorum ducatorum 72 omnibus maſculis ex eodem D. Joanne Baptiſta Repucci deſcendentibus in infinitum; legum ſtudio Neapoli vacantibus, ſingulis præbendo per annos ſex; iiſque elapſis, juſſit etiam perſolvi alios ducatos 100 pro laurea doctorali. Quibus quidem operibus, aliiſque Montis oneribus impletis, ſingulis annis, præcepit, ex fructibus exuberantibus continuari multiplicum pro majori Montis incremento: quem pro aliis operibus, eodem teſtamento proviſis, perpetuo duraturum ſtatuit. Siquidem juſſit, ut defectis quandocumque ſupra expreſſis ſubſtitutionum gradibus, vocatis ad fruitionem annuorum duc. 500, dotiumque legatarum, redditus diſpenſari deberent, in quantitate annuorum duc. 500, pro maritandis decem puellis pauperibus in Villa Pauſilipi degentibus, ac pro dote pariter ducatorum 1000 ſingulis fœminis ex conjugibus D. Aloyſio Ponſi, ac D. Anna Sica deſcendentibus, fœminiſque pariter deſcendentibus a D. Franciſco Jannucci in infinitum. Ac demum, ſi quid reliqui ex fructibus annuatim ſupereſſet, erogari voluit pro dotibus puellarum civilis generis hujus Civitatis, conſtituta ſingulis dote ducatorum 200. Qua de re ad perpetuo ſervandam hanc teſtatam ſuam diſpoſitionem, quamcumque bonorum alienationem vetuit, ac diſerte ex Montis ab eo inſtituti beneficio, atque fruitione excluſos voluit omnes, qui adverſus teſtamentum aliquid tentarent, vel judicium quocumque modo, etiam ex pertinentia bonorum antiquorum, moverent *fol.* 6. Termino ordinario dato, audito magn. Advocato D. Beliſario de Bellis, qui jura voluntatis qu. D. Nicolai de Buono qu. Andreæ ad hunc actum tantum tuetur *fol.* 56., atque expleto, ac inſpe-

ctis

ctis omnibus actis in tribus voluminibus contentis:

Referente D. Horatio Guidotti R. Conſ. & cauſa Comm.

S.R.C. declarat: *Non eſſe locum petitæ commutationi voluntatis conſtitutæ in teſtamento qu. D. Nicolai de Buono qu. Andreæ; ac proinde Montem ab eo inſtitutum, ejuſque magn. Gubernatores eſſe abſolvendos ab impetitis tam per magn. fratres de Franciſco, quam per magn. fratres de Buono. Neutram partem in expenſis.*

Ratio, qua pro voluntatis commutatione fratres de Franciſco nitebantur, erat ipſorum in ſeptimo gradu cognatio cum teſtatore, honeſtiſſima eorum conditio, atque rei familiaris nimis brevis ſupellex, egeſtati pene proxima. Ratio vero, quæ per fratres de Buono proponebatur, in eo verſabatur, quod ipſi, licet ſecundogeniti, ſunt ex familia atque linea a teſtatore primo loco dilecta ac contemplata; ac proinde eorum preces adjuvari ex conjectura voluntatis.

Cenſuit tamen S.R.C. non eſſe locum petitis per utramque partem. Jus ſiquidem non patitur, ſecundum ea, quæ proponebantur, petitam voluntatis commutationem, neque etiam ex ſuprema Principis poteſtate, cui licet vi eminentis dominii ſubditorum omnium bona atque voluntates ſubjecta ſint; nihilominus ejuſdem Regiæ voluntatis propoſitum eſt, legum tueri obſervantiam. Hinc cum legibus ſtatutum ſit, ut ſupremarum voluntatum liber ſit ſtylus, & licitum, quod iterum non redit, arbitrium, *L. Habeat C. de Sacroſ. Eccl.*, atque ad inſtar legum teſtamenta ſervari, *Novell.22. cap.2. de nupt.*; idcirco juſtitiæ munus eſt, & erit, teſtamentum, de quo agitur, nulla ex parte convellere. Ex Romani juris regulis nulla profecto adverſus teſtamenta proponuntur commutationum exempla, niſi in voluntatibus publicas cauſas reſpicientibus, iiſque vel facto, vel bonis moribus, vel alia publica ratione, haud ſpecifice exequendis, *L. Legatum 4. de admin. rer. ad Civit. pertin.*,

L.

Digitized by Google

L. Quod 1. *C. eod. tit.*, *L. Legatum* 16. *de uſu & uſufr. legat.* Opera autem, quæ in Monte ſunt exequenda, in primis atque ſecundis diſpoſitionis gradibus favorem privatarum familiarum, a Teſtatore prædilectarum, reſpiciunt, quæ ſubverti aliqua ex parte non poſſunt, niſi in earumdem præjudicium. Fratribus denique de Franciſco obſtat peculiare factum, quo eorum pater, ac ipſi etiam, tamquam ejuſdem heredes, adverſus præceptum Teſtatoris judicium pertinentiæ medietatis bonorum antiquorum, Conſuetudini hujus Civitatis ſubjectorum, pertentarunt in Sacro Conſilio, quod duabus tranſactionibus finitum fuit, ſolutis ex redditibus Montis eorum patri, atque ipſis, ducatis 1750. Equidem haud æquum eſt, ut ipſi aliquid præſidii mereri poſſint ex re illius teſtatoris, cujus voluntatem antea convellere conati ſunt, *L. Papinianus* 8. *§. meminiſſe* 14. *de inoffic. teſtam.*, *L. Edicto* 13. *§. eos qui* 9. *de jur. fiſc.* Hancque S. R. C. ſententiam Clementiſſimus Rex probare dignatus eſt Regio Reſcripto diei 18. Novembris 1775. *fol.* 290.

Franciſcus d'Amora Act. Mag. Ignatius Spadetta Scriba.

In cauſa Paſchalis Franceſe cum Rev. Canonica S. Agnelli. Die 22. Septembris 1775.

Actio quanti minoris, ſicut emptori competit, ita & emphyteutæ, cum conſtet prædii extenſionem minorem eſſe ea, pro qua contractum eſt.

ANdreas Franceſe anno 1771. emphyteuſim prædii jugerum circiter quindecim, ad tertiam uſque ætatem duraturam, ſub annuo canone ducatorum 130, a Collegio Canonicorum Regularium S. Agnelli ſuſcepit. Comperto poſtmodum ab emphyteuta minorem fundi modum eſſe, actionem quanti minoris inſtituit, in qua, adhibito peritorum judicio, confirmatum eſt, fundum nedum eſſe minorem jugerum duodecim; verum etiam illius canonem, tempore contractus inſpecto, æſtimandum in an-

Digitized by Google

annuis ducatis 106. S. C. caſum penitius expendendo, agnovit petitionem Actoris juris munimento fulcitam. Cum enim in contrahenda emphyteuſi adſeveratum per concedentem fuiſſet, fundum conſtare modiis circiter quindecim, qui judiciali deinde dimenſione repertus fuit minor pluſquam in quinta ejus parte, actio propterea quanti minoris emphyteutæ competebat, *L. 2. ff. de act. empti*, *L. 4. §. ſi modus ff. eod.* (leges enim de emptione loquentes, æque pariter in locatione vindicant ſibi locum *Inſtit. de loc. & cond.*, *L. 2. ff. eod.*) Nihil autem refert, ſciverit vel ne venditor agri modum; potuit enim ea nota habere, nec emptoris intereſt, cur fallatur, ignorantia venditoris, an calliditate, *L. 1. §. cauſa ff. de ædil. edicto*; namque aut Collegium ignorabat verum fundi modum, & non debebat tam facile eſſe ad illius menſuram temere indicandam; aut vero ſciebat, & proponere tenebatur veram fundi quantitatem, cum, reticendo, contrahentem deceperit, *L. 14. §. 1. ff. de act. empti*. Potiſſimum quia canon fuerat conſtitutus proportionalis menſuræ quindecim jugerum, qua detecta minoris quantitatis, abſonum bonæ fidei prorſus erat, ut propter concedentis aſſeverationem emphyteuta damnum tam grande ſentiret. His addebatur & altera concedentis calliditas, atque adhibita machinatio, qui cum fundum in emphyteuſim tradere ſtatuiſſet, ſimulatum tempore ſubhaſtationis appoſuit licitatorem, a quo oblatum eſt pretium canonis uſque ad annuos ducatos 128, & aſſ. 50., ut incautos illiceret in fraudem, & canone plus juſto adaucto, iniquum ex ſuo dolo lucrum caperet, *L. Illicit. ff. de offic. Præſid.*, *L. Si cum excepto*, & *L. fin. ff. quod metus cauſa*. Conjunctis igitur circumſtantiis minoris quantitatis prædii, quam fuerat inſtrumento aſſeveratum, & doloſæ circumventionis in ſupponendo perſonam, ut pluris æſtimaretur emphyteuſis, ſequebatur Canonicorum Collegium non ſolum

ex empto actione præſtiturum, quanti minoris emphyteuſim Andreas Franceſe eſſet accepturus, ſi id ita eſſe ſciſſet; verum etiam præſtaturum omnia detrimenta, quæ ex hujuſmodi contractu conceſſionarius acceperat, *L. Julianus*, *& L. 6. §. ſi dolo ff. de act. empti*.

Per S. R. C. declaratum eſt, *canonem emphyteuticum rutis in actis deducti pro capacitate modiorum undecim, quartarum ſeptem, & nonarum ſeptem, juxta menſurationem factam a Regio Architecto D. Januario Vitolo fol.49., fuiſſe & eſſe taxandum in annuis ducatis 106, ſervata forma relationis confectæ per Regium Tabularium Papa fol. 216.; ac proinde condemnandam Rev. Canonicam S. Agnelli hujus Civitatis ad reſtituendum in beneficium magn. Paſchalis Franceſe omnes quantitates ſuper dictos annuos ducatos 106 per eam exactas a die obitus qu. Andreæ Franceſe, de quibus fiat calculus per Scribam cauſæ partibus requiſitis, ſalva proviſione facienda reſpectu quantitatum per eandem Rev. Canonicam plus exactarum durante vita præfati Andreæ, exhibito præambulo ejuſdem. Verum liceat ab hodie in antea prædicto Paſchali Franceſe quantitates calculandas retinere ab annuo canone ducatorum 106, ad rationem ducatorum 30 quolibet anno, uſque ad integralem illius ſatisfactionem: quibus excomputatis, idem Paſchalis continuet correſponſionem canonis ad ſupradictam rationem annuorum ducatorum 106, ſalva proviſione facienda ſuper aliis per eundem petitis*.

U.J.D. Antonius *Baſile* Act. *Mag. Manzi Scriba*,

Verba de his fecit D. Joſephus Criſconius R. C. & cauſæ Comm.

In

In cauſa inter D. Bonaventuram Bottigliero, & D. Catharinam Baſſo. Die 22. Septembris 1775.

D. Catharina Baſſo petiit in S.R.C. declarari jus patronatus Capellæ SS. Caroli, & Franciſci, erectæ in Parœciali Eccleſia S. Barbaræ pertinentiarum Regalis Civitatis Caſertæ, ad ipſam ſpectare pro medietate, pro altera vero ad D. Bonaventuram, fratreſque de Bottigliero; filios atque heredes qu. Fauſtinæ Baſſo. Fundavit hanc petitionem ſuper teſtamento qu. Dominici Antonii Baſſo, ambarum parentis, ſuper donationibus Clerici qu. Angeli Ferrajolo de anno 1683. *fol.* 9. & 12., ac ſuper decretis ſpectantiæ, & præambuli per M.C.V. interpoſitis *fol.* 4. & 28., ex quibus concludit, ſibi jus patronatus eſſe judicandum a S.R.C.

Heredibus & ſucceſſoribus jure patronatus reſervato, nulla facta mentione filiorum vel deſcendentiũ, hereditarium eſſe Patronatum exiſtimatur. Cum vero duo ſint heredes inſtituti, ea lege, quod quodam adveniente caſu, unus eorum in legitima inſtitutus intelligatur, ad hunc quidem, poſtquam caſus evenit, Patronatus non ſpectat.

U.J.D. D. Bonaventura Bottigliero excepit, jus patronatus prædictum eſſe ſimplex hereditarium, inſtitutum in enunciatis donationibus, ac fundatione pro heredibus & ſucceſſoribus effati qu. Dominici Antonii; nulla filiorum, aut agnationis facta mentione; qua de re produxit ſcripturam erectionis, prævio aſſenſu Ordinarii Caſertani; ſubjunxitque, Fauſtinam ejus matrem fuiſſe dumtaxat heredem qu. Dominici Antonii univerſalem; Catharinam autem (cum revera in certis bonis, id eſt ducatis 2500 ſcripta fuerit heres) nonniſi legatariæ loco haberi; quod & pluries a Curiis Eccleſiaſticis favore heredum Fauſtinæ judicatum fuit: Ex his itaque omnibus inſtitit, non moleſtari, immo declarari per S.C. ad ſe pertinere jus patronatus, Catharina prorſus excluſa.

Productis hinc inde ſcripturis, ac proceſſu in Curia Epiſcopi Caſertani agitato, terminus in cauſa impartitus fuit, ſervatiſque ſervandis compilatus, ſequeſtratis interim Capellaniæ, ſive dicti patronatus redditibus; quapropter cum tantummodo ſuperſit cauſam definire, uterque

que litigantium, & voce, & ſcripto ſua jura deduxit. Viſis igitur ceteris actis, quæ tribus continentur voluminibus, partibuſque pluries, ac plenius auditis, S. C. conſideravit primo inſtrumentum diei 26. Februarii 1688, ubi qu. Clericus Angelus Ferrajolo, habendo prius oculos ad filios, forſan ex Dominico Antonio Baſſo naſcituros, donavit Cappellæ, ab iſto erigendæ, nonnulla ſtabilia, & credita, adjuncto nedum onere miſſarum, ac ſatisfaciendi æris alieni, ſed etiam reſervato patronatu perpetuo ipſi Dominico Antonio, ejuſque heredibus & ſucceſſoribus, eo modo, prout ſunt reliqua jura patronatus *fol.* 13. Secundo perſpexit aliud inſtrumentum diei 13. Martii 1688., quo ipſemet donator, interveniente tamen dicto Baſſo, & enunciato tenore primi inſtrumenti, ſuam reſtrinxit donationem ad quædam capitalia dumtaxat, deinde jus patronatus Capellæ conſtruendæ conceſſit Dominico Antonio, ſuiſque heredibus & ſucceſſoribus, nulla filiorum, aut deſcendentium iſtius facta mentione *fol.* 9. Tertio perlegit facultatem ædificandi Capellam ab Ordinario Caſertano obtentam per citatum de Baſſo, pro obſervantia tamen ſecundi inſtrumenti diei 13. Martii 1688., aſſignatis in dotem enunciatis capitalibus, ac reſervato patronatu ſibi, heredibus & ſucceſſoribus *fol.* 11. Ex quibus recte concludetur, hereditarium fuiſſe patronatum, de quo agitur, quemadmodum alia de jure cenſentur. Quarto præ oculis habuit teſtamentum qu. Dominici Antonii, ordinatum anno 1715. *fol.* 4., quo inſtitutis æqualiter heredibus Thereſia Satriano uxore, ac filiabus Fauſtina primogenita, & dicta Catharina actrice, juſſit teſtator, ut unaquæque filiarum, cum nuberet, dotes ducatorum 2200 ex una portione ſibi conſtitueret, reliquum vero accreſceret uxori Satriano, qua defuncta, integra hereditas ad primogenitam Fauſtinam, hujuſque heredes & ſucceſſores legitimos & naturales perveniret, quos ex

tunc

tunc heredes univerſales & particulares inſtituebat; iſtos tamen gravavit ſolvere Catharinæ in augumentum dotis alios ducatos 300, atque hæç omnia codicillis confirmavit, *dict. fol.* 4. Hinc avia Satriano defuncta, filij Fauſtinæ obtinuere decretum ſpectaviſſe & ſpectare a M. C. V. *fol.* ... Ex voluntate ſiquidem Teſtatoris dilucide apparet, univerſitatem bonorum, cum qua jura patronatus tranſeunt, ad ſolos Fauſtinæ filios pertinere, alias dictæ voluntati refragaretur, ſi ultra ducatos 2500 dotis quid aliud daretur Catharinæ.

Non obſtat primo hanc fuiſſe ſcriptam, & præambulo declaratam coheredem univerſalem patris; nam reſpondetur, inſtitutionem ſub conditione jam dicta conceptam fuiſſe; extitit conditio; igitur titulus univerſalis reſtrictus fuit ad ſolam dotem judicio patris, & Catharina loco legatariæ, non heredis, habetur, *L. Quotiens ff. de heredib. inſtituend.*, *& L.* 13. *Cod. de inoffic. teſt.*; quod & ipſa Catharina agnovit, nam recipiendo alios ducatos 300 anno 1744, inſtrumento quietavit filios Fauſtinæ, nulla reſervatione facta dicti juris patronatus *fol.* 138. *proc. Cur. Epiſc.* Non obſtat ſecundo regula legalis, *ſemel heres ſemper heres*; hæc enim intelligitur cum limitatione, dummodo teſtator alias non diſpoſuerit, cujus voluntas in teſtamentis omnia regit, camque nec verborum ſuperſtitione, nec regularum generalitate fas eſt evertere. Quamobrem ſi Teſtator Catharinam coheredem ſcripſerat univerſalem, donec nupſiſſet, & poſt nuptias integram hereditatem ad uxorem primo, dein ad Fauſtinam, hujuſque filios tranſire juſſerat, noluit eam perpetuo univerſalem heredem eſſe. Quinto animadvertit S. C. ad res pluries in Curiis Eccleſiaſticis judicatas favore filiorum Fauſtinæ, contradicente judicialiter Catharina, & poſthabitis iis, quos hæc ad Capellaniam præſentaverat, admiſit nominatos a fratribus de Bottigliero, ipſique tantum a die obitus Dominici

Antonii, ſecuti anno 1717., ſemper fuerunt in quaſi poſſeſſione controverſi juris patronatus, quod pro more hereditario habitum fuit a Curia Caſertana, a Metropolitana, & a Romana, prout innuunt acta Curiæ Epiſcopalis Caſertæ.

His omnibus mature diſcuſſis:

Referente R. Conſ. D. Antonio Carpentiero cauſæ Comm.

S.R.C. pronunciavit: *Jus patronatus præcitatæ Cappellæ ſpectaviſſe & ſpectare ad D. Bonaventuram Bottigliero, filium legitimum & naturalem, atque heredem qu. Fauſtinæ Baſſo filiæ & heredis qu. Dominici Antonii, ac proinde abſolvatur ab impetitis per D. Catharinam Baſſo, pro cujus effectu ſequeſtrum reddituum dictæ Cappellæ tollatur, & Rev. Sacerdos D. Petrus Paulus Bottigliero, ab effato D. Bonaventura nominatus, immittatur in quaſi poſſeſſionem Cappellaniæ, quam liceat ipſi celebrare in omnibus ſervata forma fundationis & teſtamenti qu. Dominici Antonii. Neutram partem in expenſis.*

Baſilius Baſile Act. Mag. Paſchalis Perez Scriba.

In cauſa magn. Tutorum, ac Curatorum fratrum de Foſchini, cum D. Carolo Antonio, & D. Anacleto de Blaſio. Die 18. Novembris 1775.

Retractus jure congrui ad Dominum directum ſpectare videtur. Cum ex pretio venditionis aliquid ſolutum ſit vicino ut creditori, ſolutio ipſa non inducit renunciationem juri retractus.

IN menſe Junio 1766. fuit venditum quoddam territorium a D. Ferdinando, & D. Nicolao del Mago Michaeli Cenicola, mediante publico inſtrumento *fol.* 39., in quo venditores aſſeruerunt, dictum territorium habere confinia cum territoriis heredum D. Franciſci Longo, variis perſonis a dicto Longo in emphyteuſim conceſſis; & dicta venditio fuit facta pro pretio ducatorum 1400, ex quibus fuerunt delegati ducati 110 dictis heredibus, qui duc. 110, mediante alio inſtrumento *fol.* 107., fuerunt D. Aloyſio Foſchini dicti de Longo heredi ſoluti.

Poſt

Poſt aliquot annos a filiis & heredibus qu. Aloyſii Foſchini fuit petita relaxatio dicti territorii jure congrui, tam contra dictum D. Michaelem Cenicola emptorem, ſive contra ejus heredem D. Carolum Antonium de Blaſio, quam contra D. Anacletum de Blaſio donatarium.

Dato termino ſummario, eoque compilato, nunc videndum eſt, an competat jus congrui. De confinatione cum territoriis in emphyteuſim conceſſis a dictis de Foſchini, ſive ab eorum auctoribus, non dubitatur; in facto tantum dubitatur, an ſit aliqua portio ad dictos Foſchini ſpectans pleno jure, de quo alibi agendum eſt.

Juris quæſtiones principales, relinquendo alias minoris ordinis, inter partes promotæ, fuerunt iſtæ: I. An dictis de Foſchini, uti dominis directis jus congrui ſpectet. II. An ante venditionem dicto Cenicola factam, fuerit a dicto D. Aloyſio Foſchini tacite renunciatum. III. An per receptionem pretii poſt dictam venditionem fuit per eumdem Foſchini dicto retractui renunciatum.

Quoad primum, dubium aliquod habuit S. R. C., licet conſideraverit, quod Conſtitutio *Sancimus* conceſſit jus retrahendi omnibus vicinis, non diſtinguendo Dominum directum ab utili; unde nec nos diſtinguere debemus, *L. de pretio ff. de public.*, & quatenus retrahenti neceſſarium ſit verum dominium, Domini concedentis tantum eſt dominium, non autem emphyteutæ, quia ante conceſſionem certum eſt, ipſum concedentem fuiſſe Dominum; poſt conceſſionem ait textus in *L.* 1. *§. in perpetuum ff. ſi ager vectigal*, quod conceſſionarius non efficiatur Dominus; ergo a concedente non abdicatur priſtinum dominium; tanto magis quia cum effectus dominii ſit libera facultas alienandi, *L.* 11. *ff. de reg. jur.*, hæc libera facultas remanet Domino directo, qui libere dominium directum alienare poteſt, & in alienatione meliorationum non licet emphyteutæ illas alienare abſque conſenſu Domini, cui in ſignum dominii ſolvendum

dum eſt laudemium, *L.* 3. *C. de jure emphyt.*; & e contra emphyteuta ob non ſolutionem canonum, etiam ipſo nolente, cadit a jure ſuo, *L.* 3. *C. eod.*, ſive a prætenſo ejus dominio. Sed denique ad tollendum omne dubium, idem S.C. conſideravit, actores etiam uti Dominos directos & utiles poſſidere domum & viridarium, olim conceſſa in emphyteuſim Philippo de Leonardo, ut ex teſtibus ſuper 5. *artic. fol.* 57. *&c.*, & ex declaratione facta per eumdem Philippum, in Aula præſentata *fol....*: cui declarationi non obſtat inſtrumentum, pariter in Aula præſentatum *fol....* quia dictus Philippus in anno 1762. ſubconceſſit portionem dictæ domus de conſenſu D. Caroli Antonii Aloyſii, Jacobo Garofalo, non autem integram domum, vel viridarium.

Quoad ſecundum, videtur non conſtare de prætenſa renunciatione ante contractum, quia D. Ferdinandus Mago, unus ex venditoribus, de cauſa ſcientiæ deponit *fol.* 93., alter teſtis de auditu dicti Ferdinandi *fol.* 94., & Paſchalis della Bagnara deponit de auditu, non allegando auctorem, præter Carolum Antonium Blaſio emptoris heredem, & ejuſdem nepotes *fol.* 98. Non viſi ſunt S.R.C. venditores fide digni; & fides ſolum fundatur in depoſitione ex cauſa ſcientiæ dicti Ferdinandi, ex cujus ore forſan depoſuit dictus della Bagnara, arbitrio Judicis teſtium fides remittitur, *L.* 3. *ff. de teſtib.*; & præterea dicti teſtes non deponunt juri prothomiſeos dictum Foſchini renunciaviſſe, ſed tantum dixiſſe, nolle emere, nec fuiſſe certioratum de quantitate pretii, & qualitate emptoris futuri.

Quoad tertium dicti de Foſchini duas perſonas repræſentabant, unam creditoris, alteram vicini. Receptio ducatorum 110, & pro eiſdem facta quietatio refertur ad perſonam creditoris, & in tali figura non poterant ſolutionem recuſare, cum liceat etiam extraneo, multo magis ceſſionario debitoris ſolutionem facere, quam de-

bitor

bitor recuſare non poteſt, *L. Solvendo ff. de neg. geſt.*, *L. Solut. L. Solvere ff. de ſolutionib. Inſt. quib. modis toll. obl. in princ.*, unde non poteſt argui renunciatio retractus.

Nec obſtant textus in contrarium allegati, ex quibus arguitur in ſimilibus caſibus conſenſum tacitum ſufficere; nam in textibus allegatis, vel actus expreſſe, pro una cauſa celebrati, perneceſſe concludebant conſenſum tacitum, vel eſſent inutiles, niſi concluderent pro aliquo tacito actu, & probatur ex numeratione dictorum textuum.

In *L. 2. ff. de evict.* coheres, qui venditioni præſens fuit, & pretium recepit, perneceſſe venditionem probabat, quia non alio titulo dictum pretium recipere poterat.

In *L. 7. & 8. ff. quib. modis pignus* creditor, qui conſenſum præſtitit venditioni pignoris, non ad aliam cauſam conſenſum præſtitiſſe exiſtimatur, niſi pro ſolutione hypothecæ pro cautela emptoris, alias inutilis eſſet dictus conſenſus.

Nec morandum in *L. 1. & 8. de remiſſ. pignor.*, quia loquuntur de privilegio libertatis, & Fiſci.

Multo minus morandum in *L. 6. C. de remiſſ. pign.*, ubi bannum, ſive edictum, ut in venditione ſub haſta compareant ceteri creditores, ad hoc dirigitur, ut dicti creditores ſua jura deducant, alias, ſolutis eorum hypothecis, procedatur ad pignoris venditionem, ne fides haſtæ fiſcalis convellatur.

In *L. 9. §. 1. ff. quib. modis pignus*, creditor anterior, cum ſe ſubſcripſiſſet cautioni factæ per debitorem, in qua debitor aſſeruit fundum non eſſe alteri obligatum, etiam ipſe creditor confeſſus eſt libertatem fundi, unde bene deciditur in textu eſſe extinctam ejus hypothecam in beneficium ſecundi creditoris, in beneficium cujus debitor, etiam prævia atteſtatione dicti primi creditoris aſſeruit rem eſſe liberam, alias dolo primi creditoris ſecundus deciperetur.

Digitized by Google

Itaque prædicta jura non obſtant, neque probant receptionem dictorum ducatorum 110, factam a dicto Foſchini, importare renunciationem congrui.

Ac propterea viſis dictis ſcripturis, & ſtantibus dictis juribus & rationibus, fuit interpoſitum ſequens decretum:

Referente R. C. D. Dominico Antonio Avena cauſæ Comm.

Per S. R. C. proviſum eſt, *quod D. Carolus Antonius, & D. Anacletus de Blaſio relaxent in beneficium fratrum Foſchini territorium in actis deductum, ſoluto per eoſdem fratres Foſchini pretio territorii prædicti, ſervata forma inſtrumenti venditionis ejuſdem territorii, & ſolutis meliorationibus forſan factis, jure congrui, etiam ex cauſa vicinitatis portionis territorii olim poſſeſſi a Philippo de Leonardo. Et ſuper pretio prædicto ſint ſalva jura dicto D. Anacleto vigore donationis eidem factæ. Nihil in expenſis.*

Graziano Act. Mag. Salernus Scriba.

In cauſa ſucceſſionis Majoratus inſtituti a D. Laurentio Scipione Pironti inter D. Philippum Pironti, ejuſque filium primogenitum D. Cajetanum ex una, & Ill. Duciſſam Campaneæ D. Victoriam Pironti ex altera. Die 27. Novembris 1775.

Fideicommiſſo inſtituto pro deſcendentibus ex maribus, qui primogenituram repræſentarent, & in eorum defectu, pro deſcendentibus ex fœminis, lege inter alias adjecta, quod ſi quis ex vocatis primi gradus nuptias indecoras contraheret, a majoratu excluderetur; cum caſus obvenerit, quod unus

D. Laurentius Scipio Pironti teſtamento in ſcriptis anno 1739. condito, & anno 1744. ob ejus ſubſecutum obitum edito, heredem ex aſſe inſtituit D. Joſephum filium primogenitum, atque heredes particulares D. Raphaelem, & D. Philippum, ſecundo & tertio genitos, in annuis ducatis 150 pro unoquoque, quandiu vixerint; deinde omnia bona ſua perpetuo agnatitio majoratui ſubjecit; atque ordine ſucceſſivo & primogenituræ ſemper ſervato, præfatos ſuos filios D. Joſephum, D. Raphaelem, & D. Philippum, eorumque filios atque deſcendentes maſculos in eo vocavit, fœminis prorſus excluſis; quibus tantummodo indulſit, ut ſuccedere poſſent,

ſent, ſi mares ex D. Philippo, poſtremo loco vocato, ejuſque deſcendentibus non ſupereſſent: *In modo che* (verba ſunt teſtatoris) *la ſua linea reſtaſſe totalmente evacuata da maſcoli, e diſcendenti da maſcoli fol.* 15. Et ſi quo unquam tempore ob marium deficientiam, deſcendentibus ex fœminis majoratum deferri contigerit, ut ſuæ familiæ nomen in perpetuum ſervaretur, his teſtator ipſe nomen atque inſignia familiæ ſuæ aſſumere præcepit; ademptionis majoratus pœna nedum illi, qui ter id facere omiſerit, verum etiam (quod animadvertendum) ejus poſteritati injuncta: *Quello che mancherà di farlo, reſti per ſe e per la ſua diſcendenza privo di detto fedecommeſſo fol.* 21.

ex vocatis primi gradus, priuſquam ſucceſſioni in ſui beneficium fieret locus, nuptias indecoras contraxerit, ejus filius majoratu non privatur, neque excluditur a fœminis, quæ, ob aliorum maſculorum defectum, ad majoratum ſuccedere poſſent.

Deinde etſi teſtator ipſe terque quaterque fœminas, maribus exiſtentibus, ſemper a majoratu repellendas diſertis proderet verbis; attamen ne in poſterum, quocunque caſu eveniente, mentis atque voluntatis ſuæ diſcrimen oriri poſſet, vocatorum ordinibus jam expletis, eas per modum regulæ generalis ab inſtituto majoratu eſſe arcendas, iterum declaravit: *Con eſcluder ſempre, come regola generale, da detto fedecommeſſo le femine fol.* 22.

Quaſcumque detractiones, etiam ex legitimæ, Trebellianicæ, ac dotium cauſis, teſtator idem vetuit. Fœminis tamen, ultra dotem Montis ejuſdem ſuæ familiæ ducatorum 1000, alios ducatos 3000 ſolvi voluit, cum nuptias inirent: eo tamen modo, quo in teſtamentis Majorum ſuorum ſtatutum reperiri aſſeruit. Immiſſionem heredi inſtituto, aliiſque vocatis inhibuit, niſi prius ſolemni inſtrumento, ſecundum cautionem Socinianam, quod ab eo in teſtamento diſpoſitum erat, ratum haberet *fol.* 23.

Tandem ipſe teſtator juſſit, quod ſi forte quilibet ſuorum filiorum (nulla facta mentione ceterorum in poſterum vocatorum) gradum primogenituræ adeptus uxorem du-

cere vellet, adſentiente ipſo teſtatore, ſi vitam ageret, vel uxore ſua D. Victoria Carafa, & D. Aloyſio, vel D. Cajetano Pironti Duce Campaneæ, nuptias nobiles inire deberet. Filio, qui contra hanc legem commiſerit, majoratus fruitione orbato, ſequentem in gradu, ſecundum ordinem deſuper expreſſum, vocavit: *Così detto D. Giuſeppe, come li detti D. Rafaele, e D. Filippo, nel caſo che ſubentrino nel grado e luogo di Primogenito, quando prenderanno moglie, ſi debbano collocare con Signore nobili, e di natali corriſpondenti alla loro condizione, e col conſenſo ec. E nel caſo che tanto detto D. Giuſeppe, quanto i detti D. Rafaele, e D. Filippo preſumeſſero di fare, o faceſſero altrimenti.... in tal caſo voglio, che quello, che controverrà, reſti eſcluſo dal godimento dell' uſufrutto della mia eredità, e ſi faccia luogo al ſeguente in grado, ſecondo l' ordine di ſopra eſpreſſo. fol. 26.*

Inſtrumento diei 11. Maji 1744. ratum habuit teſtamentum D. Joſephus primogenitus *fol. 29.* Ex decreto autem præambuli ejuſdem D. Joſephi, per M.C.V. die 29. Novembris 1766. prolato in beneficium D. Victoriæ ejus unicæ filiæ habetur declaratio pertinentiæ majoratus prædicti, ob obitum ejuſdem D. Joſephi abſque filiis maſculis, in beneficium D. Raphaelis ejus fratris ſecundogeniti ſuperſtitis *fol. 41.*

Abſque filiis quoque defuncto D. Raphaele, D. Victoria Pironti filia & heres primogeniti petiit immitti in poſſeſſionem bonorum majoratui ſubjectorum, excluſo D. Philippo ejus patruo, ac filio tertiogenito ſuperſtite qu. D. Laurentii Scipionis Pironti, ob nuptias indecoras ab eo uſque ab anno 1746. cum D. Irene di Liguoro contractas *fol. 6.*

Ipſe etiam D. Philippus Pironti pro immiſſione in eamdem poſſeſſionem inſtitit, & (ſi vel minima hæſitatio quoad pertinentiam in ſui beneficium oriri poſſet) ſucceſſive con-

conſenſum præſtitit, ut in beneficium D. Cajetani ſui filii primogeniti, qui poſt ipſum enixa teſtatoris voluntate vocatus erat, immiſſio decerneretur *fol.* 46.: cui quidem conformis petitio acceſſit ejuſdem D. Cajetani *fol.* 50. E contra D. Victoria deduxit, nedum D. Philippum, verum etiam D. Cajetanum ejus filium, a ſucceſſione majoratus eſſe excludendos *fol.* 60.; & poſtremo petiit, ex perſona ſui patris, ac patrui D. Raphaelis, detractiones, atque emponemata, ac jure proprio dotem congruam ſuper bonis majoratui ſubjectis *fol.* 67.

Decreto Domini cauſæ Commiſſ. diei 13. Junii cautum fuit, moneri partes ad audiendam proviſionem faciendam per S.R.C. ſuper omnibus hinc inde prætenſis *fol.* 58. Hinc

Referente R. Conſ. D. Horatio Guidotti cauſæ Comm.

Explicando proviſionem reſervatam in præcitato decreto Domini cauſæ Commiſſarii, per S.R.C. proviſum eſt, *quod D. Cajetanus Pironti immittatur in poſſeſſionem bonorum ſubjectorum majoratui inſtituto in ejus teſtamento per qu. D. Laurentium Scipionem Pironti, etiam ſtante conſenſu D. Philippi Pironti ejus patris; & ſuper deductis per Ill. Ducissam Campaneæ D. Victoriam Pironti in biduo audiantur partes: ſalva proviſione facienda pro dote petita per prædictam Ill. D. Victoriam, exhibitis teſtamentis D. Scipionis ſenioris, D. Jacobi Antonii, D. Joſephi, & D. Raphaelis Pironti, eorumque ſolemnibus inventariis.*

S. R. C. cenſuit, D. Cajetanum Pironti filium primogenitum D. Philippi, etiam ob conſenſum patris, in poſſeſſionem bonorum majoratui ſubjectorum fore immittendum. Ordo ſiquidem vocatorum in teſtamento qu. Laurentii Scipionis ejus avi talis erat. Poſt obitum D. Joſephi primogeniti abſque filiis maſculis teſtator D. Raphaelem ſubſtituit; hinc anno 1766. ob mortem præfati D. Joſephi, ſuperſtite tantum D. Victoria ejus filia, majoratum aſſecutus fuit. Poſt obitum deinde D. Raphae-

lis

lis abſque filiis teſtator ipſe D. Philippum ſubſtituit; ejuſque filios maſculos in perpetuum, & in infinitum. In dubio erat, an D. Philippus, qui nondum majoratus poſſeſſionem adeptus anno 1748. nuptias cum D. Irene de Liguoro, uti ſecundogenitus, & non primogenitus, contraxerat, a majoratus fruitione excludendus eſſet. Hoc non erat a teſtatore proviſum. Atque hoc ob conſenſum ab eodem D. Philippo erga ſuum filium primogenitum D. Cajetanum præſtitum, S.R.C. definire, ſupervacaneum putavit. Remoto idcirco D. Philippo, ejus filius D. Cajetanus erat in teſtamento aperte vocatus, excluſa D. Victoria filia D. Joſephi, quæ tantummodo in defectum maſculorum ab eodem D. Philippo deſcendentium diſertis verbis vocata perlegitur: *In modo che la ſua linea (cioè di D. Filippo) reſtaſſe totalmente evacuata da maſcoli, e da diſcendenti da maſcoli.*

Et licet teſtator, quoties D. Philippus contra præceptum ei injunctum nuptias indecoras contraxerit, *ſequentem in gradu, ſecundum ordinem deſuper expreſſum*, ei ſubſtituerit; non idcirco admiſſio D. Victoriæ, atque excluſio maſculorum ab eodem D. Philippo deſcendentium, in quorum omnino defectum, atque integram extinctionem, ipſa D. Victoria fuit vocata, infertur. *Ordo deſuper in teſtamento expreſſus* D. Cajetanum certo certius amplectitur, fœminis penitus excluſis, quæ non ſemel, ſed bis, iterum, atque iterum, & per modum regulæ generalis in teſtamento repelluntur: *Con eſcluder ſempre, come per regola generale, da detto fedecommeſſo le femine.* Et in jure quoque filius dicitur patri ſequens in gradu, *L. 1. & 10. de gradib. affinit.*

Dein recte animadvertendum eſt, præceptum de nobilibus contrahendis nuptiis in ingreſſu majoratus a teſtatore ſuis filiis injunctum, eorumdem filiorum perſonas non egredi: Quæque *conditio ad certas perſonas accommodata fuerit, ad eum dumtaxat gradum referre debemus,*

quo

quo hæ inſtitutæ ſunt, *L.* 39. *de condit. & demonſtr.* Et notatu dignum eſt, teſtatorem ipſum, ſi deſcendens ex fœminis poſtremo loco vocatus ter nomen & inſignia familiæ ſuæ prætermiſerit, excluſionem nedum illius, qui contra commiſerit, ſed ejus quoque poſteritatis præſcripſit: *Quello che mancherà di farlo, reſti per se, e per la ſua diſcendenza privo di detto fedecommeſſo.* Si vero quilibet ex filiis ipſius teſtatoris nominatim expreſſis nuptias indecoras contraxerit, illum ſolummodo, qui contra fecerit (*quello che contravenirà*) a majoratu expulſum voluit. Vulgara ſunt juris axiomata: *Expreſſa nocent, non expreſſa non nocent*: *Quod voluit expreſſit: quod noluit, tacuit*, *L.* 156. *de reg. jur.*, *L. unic. C. de caduc. toll.*, *& arg. L.* 12. *de fund. inſtruct. & inſtrum. legat.*

Eo vel magis, quia centies in jure cautum reperitur, nullum innocenti filio patris delictum pœnæ eſſe, *L.* 2. *de decur.*, *L.* 26. *de pœnis*. Et cum nec prohibitio, neque excluſio, directa filiis D. Philippi, in teſtamento perlegitur, ſatis durum videbatur, ob nuptias patri tantummodo vetitas majoratum filio denegare, atque alieno odio illum prægravare, *L.* 23. *C. de inoff. teſtam.*

Cum igitur tam expreſſa, quam tacita teſtatoris voluntas, quæ totum quidem facit, atque ſola in teſtamentis & fideicommiſſis dominatur, quæque in judicando eſt tantummodo inſpicienda, *L.* 35. *§.* 3. *de hered. inſtit.*, *L.* 3. *§. ſi quis de ſepulc. viol.*, *L. Quidam C. de neceſſ. ſerv.*, *L. Cum qu.* 23. *in fin. C. de legat.*, *L. Voluntatis* 7., *& L.* 14. *C. de fideicomm.*, D. Cajetano Pironti opitularetur; cumque in facto nulla eſſet diſceptatio quoad mortem D. Raphaelis abſque filiis, atque exiſtentiam præfati D. Cajetani filii primogeniti D. Philippi, atque anno 1766. ob mortem D. Joſephi, teſtamentum D. Scipionis Laurentii decreto M.C.V. fuiſſet executioni demandatum: hinc non immerito S.R.C. executive vi *L. ult.*

ult. C. de edicto divi Adr. toll., immiſſionem tribuit ipſi D. Cajetano, uti expreſſe a teſtatore, & nominatim in ejus teſtamento vocato. Exceptiones vero per D. Victoriam Duciſſam Campaneæ propoſitas, tam pro prætenſa excluſione D. Cajetani, quam circa petitas detractiones ab ipſo teſtatore ſigillatim vetitas, atque aſſerta emponemata ſuper bonis fideicommiſſo ſubjectis, tamquam arduas, incertas, atque illiquidas, termino ordinario ſubjiciendas autumavit.

Quoad dotes vero ab ipſa D. Victoria Duciſſa Campaneæ prætenſas, etſi teſtator fœminis deſcendentibus ducatos 3000 pro dotium ſupplemento reliquerit, juſſit tamen, ut quantitas iſta ſolveretur, prout in teſtamentis ſuorum anteceſſorum diſpoſitum reperiebatur, & pro D. Victoria dicebatur, in teſtamentis prædictis reperiri ſtatutas in ducatis 4000. Decrevit idcirco S.R.C. teſtamentorum exhibitionem a D. Laurentio Scipione in ejus teſtamento enunciatorum, *Auth. Si quis in aliquo C. de edendo*. Teſtamentorum pariter D. Joſephi, & D. Raphaelis, quorum eſt heres ex aſſe ipſa D. Victoria, eorumque ſolemnium inventariorum exhibitionem præſcripſit, ut provideri poſſet, an contra teſtatoris præceptum, mulieri præſertim jam nuptæ dos augenda eſſet ſuper bonis fideicommiſſo ſubjectis, quæ cum virtute *Auth. Res quæ C. com. de legat. & fideicomm.* in ſubſidium tantummodo pro dotanda muliere diſtrahi liceat, recte dignoſcendum erat, an alia bona libera ſuppeterent.

In

In cauſa magn. D. Marci Franceſe petentis præferri jure congrui in emptione territorii oliveti, ſiti in Tenimento Civitatis Monopolis, empti a Rev. D. Joſepho Indelli ſub haſta S. C. penes acta Regiæ Curiæ dictæ Civitatis, pro pretio ducatorum 881, *prout ex actis. Die* 18. *Decembris* 1775.

REv. D. Joſeph Indelli die 2. Martii 1772. emit olivetum in Civitate Monopolis, ſtipulato inſtrumento cum Actuario illius Curiæ *fol.* 11., ſub haſta enim illud prædium vendebatur. Petiit inde, ut contractus notificaretur poſſeſſoribus corporum finitimorum, quo declararent infra terminum a Conſtitutione *Sancimus* præfinitum, an vellent in emptione prædicta præferri jure congrui *fol.* 4.: cui quidem petitioni decretum acceſſit Regiæ Curiæ Monopolis die 18. Martii, & notificatio finitimis poſſeſſoribus *fol.* 5.

Venditiones ſub haſta non excludunt jus retractus. Si quis ex vicinis hoc jus emptori cedit, emptori ceſſio non prodeſt, ſed aliis vicinis jus idem accreſcit.

Inter vicinos D. Marcus Franceſe die 8. Aprilis ejuſdem anni, cohærendo inſtantiæ Rev. Indelli, ac citato decreto Regiæ Curiæ, declaravit velle præferri in emptione prædicta, exhibuit chirographum publici mercatoris D. Philippi Breſcia depoſiti integri pretii territorii *fol.* 7., ac deinde pretium idem depoſuit in Banco SS. Jacobi, & Victoriæ *fol.* 81.

Ex peritia habetur, oliveto empto a Rev. Indelli, præter alia prædia, finitimum eſſe olivetum D. Marci Franceſe *fol.* 77.

Inſpectis probationibus hinc inde in termino ſummario factis *fol.* 99., ac omnibus actis.

Referente R. Conſil. D. Salvatore Gentile cauſæ Comm.

S. R. C. decrevit: *Rev. D. Joſeph Indelli relaxet olivetum in actis deductum in beneficium magn. D. Marci Franceſe jure congrui; & depoſitum ducatorum* 881, *penes acta exiſtens, liberetur in beneficium ejuſdem Rev. D. Joſephi Indelli.*

Nam Conſtitutio *Sancimus* de forma & ſubſtantia actus

in venditione denunciationem requirit, ut emptor ſit ſecurus, dum dicit, *non aliter niſi prius denuncietur*, abſque ulla exceptione, aut limitatione in venditionibus ſub haſta; & hinc eſt, quod nedum inutile, imo pro infecto habetur, quod fit contra legis præceptum, licet legiſlator tantum fieri prohibuerit, nec ſpecialiter dixerit, inutile eſſe debere, quod factum eſt; verba ſunt legis *Non dubium*, *Cod. de legib.*, *Auth. de non alienando §. quia vero Cap. Cum dilecta*, *de reſcriptis*; & hine jure merito Sapientiores noſtri hoc de conſtanti jure Regni teſtantur; hinc deciſiones noſtri S.C. rationabiliores, etiam junctis Aulis emanatæ. Nec deſunt, qui cum aliis jus retractus locum habere ſenſerunt, etiamſi quis prius licitare elegerit, itaut poſſit inde redire ad jus prælationis ſibi competens, cum formalis denunciatio defecerit.

Et revera aliam rationem in pari caſu adſignari poſſe, Fori peritiores non excogitarunt, cur de jure conſuetudinario hujus Civitatis in conceſſionibus in emphyteuſim hoc jus retractus locum non habeat, quod pro canone ſervatur; niſi quia Conſuetudo *Si quis emit* loquitur tantum de emptione & venditione, non de emphyteuſi.

Præterquam quod ipſe idem Indelli hoc in citata ſua inſtantia admiſit & agnovit, qua petiit denunciari ejus emptionem omnibus finitimis poſſeſſoribus; nec obſtat illa jurium reſervatio in ea per ipſum facta, innixa emptioni ſub haſta; proteſtatio etenim contraria facto nihil relevat, & nihil operatur; *L. Si quis extraneus ff. de acquir. hered.*, *L. Cum in plures. §. locator horrei ff. locati*; & attenditur potius factum proteſtantis, quam ipſius verba, *L. Paulus ff. rem ratam haberi*.

Nullaque tandem habenda eſt ratio ceſſionis juris congrui vigore inſtrumenti diei 16. Novembris 1773. per alios confinantes ſibi facta, poſt annum ſcilicet, & fere menſes tres a die 8. Aprilis 1772. notificationis citatorum in-

inſtantiæ, & decreti Regiæ Curiæ Delegatæ: hoc jus enim vel dici velit cum nonnullis auctoribus eſſe perſonaliſſimum in perſonam poſſeſſoris nempe corporis contigui, & de jure, etiam conſtitutionis, quæ illos tantum vocat, aliis cedi non poſſe, cautum eſt; vel reputari velit jus reale, ſeu actio in rem ſcripta ex parte tam actoris, quam rei, quia datur poſſeſſori, & contra poſſeſſorem rei conjunctæ, & ceſſio eſſet contra mentem & rationem Conſtitutionis, quæ vocat vicinos; ac proinde eo ipſo, quod quis hoc jus ſibi competens pro parte ſua exercere non curat, accreſcit aliis conjunctis, argumento *L. 1. Cod. quando non peten. part. pet. accreſc.*, *& L. unica §. in his itaque Cod. de cad. toll.*, & attenta ipſa littera Conſtitutionis, quæ per ordinem vocat etiam conjunctos ex aliqua parte, non petentibus igitur aliis conjunctis, integrum corpus venditum retrahit, non vero ratam contactus, prout Rev. D. Joſeph Indelli tandem D. Marcum Franceſe ad retrahendum vellet admittere.

Antonius Baſile Act. Mag.

In cauſa magn. D. Nicolai de Amello, cum Creſcentio Cappiello, & magn. fratribus D. Franciſco, & Rev. D. Carolo delle Donne. Die 20. Decembris 1775.

D. Carolus, & D. Vincentius fratres delle Donne die 8. Junii 1765. inſtiterunt in S.R.C. pro diviſione bonorum communium inter ipſos, & eorum patruum Rev. D. Paulum delle Donne *fol.* 1. D. Paulus objecit, deducenda eſſe a petita diviſione bona virtute donationis qu. Victoriæ Caſoria ejus matris *fol.* 70. ſibi obventa *fol.* 66. Decreto Domini cauſæ Commiſſarii diei 26. Martii 1770. fuit mandatum, exequendam eſſe diviſionem jam prius ordinatam, & contentam in relatione Regii Architecti D. Laurentii Pollio, exceptis pro nunc territoriis nuncupatis

Cum ſub Judice adhuc lis ſit, fuerit, vel ne communis res vendita, actio non datur ad impugnandam venditionem.

Ut vicinus non gaudeat decennio ad retrahendum, neceſſaria eſt expreſſa denunciatio, non ſufficit certioratio privata.

Donatarius univerſalis, qui ceſſionem præfefert omnium jurium, cum ſit loco heredis, merito juvatur, ad retrahendum, poſſeſſione fundi, in quo tempore venditionis erat donans: præcipue ſi filius ſit donantis.

patis *Macerata*, *Caſella dell'Aria*, & *Pacione*, pro quibus injunctum fuit, *moneri partes ad audiendam proviſionem faciendam &c. fol.*348. Inſtiterunt pariter D. Carolus, & D. Franciſcus delle Donne nedum pro nullitate venditionis prædii dicti *Caſella dell'Aria*, factæ a præfato Rev. D. Paulo in beneficium Creſcentii Cappiello inſtrumento diei 2. Julii 1766. pro ducatis 440, ob communionem prædii prædicti inter ipſos, eundemque D. Paulum, obque læſionem enormiſſimam; verum etiam pro prælatione ad ſemetipſos ſpectante in venditione prædicta *fol.* 53. Acceſſit petitio D. Nicolai de Amelio tam pro retractu jure vicinitatis & ſanguinis prædii prædicti, ſe non denunciato, venditi, quam pro excluſione nullitatis atque prælationis a præfatis fratribus delle Donne prætenſæ *fol.* 74. Decretis Domini cauſæ Commiſſarii dierum 1. Aprilis, & 16. Junii 1773. dicta fuit dies ordinaria *fol.*61. Contra Creſcentius Cappiello emptor objecit, nihili habenda poſtulata dictorum delle Donne, & de Amelio *fol.* 106. Ex libellis autem, ac decretis anni 1766. tunc Domini cauſæ Commiſſarii habetur, D. Paulum delle Donne, inſtante actore D. Carolo delle Donne, in vim executionis dediſſe prædium dictum *Caſella dell'Aria*, pro ſolvendis ducatis 440. eidem D. Carolo debitis, mandatumque fuiſſe, quod idem D. Paulus ſuis ſumptibus pararet ejuſdem prædii venditionem *fol.* 87., atque ex ſcheda Menſæ Argentariæ SS. Salvatoris diei 9. Julii 1766. liquet, præfato D. Carolo ſolutos fuiſſe per Rev. D. Paulum ejus patruum ducatos 440, a venditione dicti prædii perceptos *fol.* 104.

Termino vero chartularie, uti loquuntur, compoſito, non audito a fratribus delle Donne (uti par erat) D. Paulo eorum patruo, atque inſpectis omnibus actis:

Referente D. Horatio Guidotti R. Conſ. & cauſæ Comm.

S.R.C. pronunciavit: *Creſcentium Cappiello abſolvendum eſſe ab impetitis per D. Carolum, & D. Franciſcum del-*

le Donne; condemnandum vero ad relaxandum jure congrui in beneficium D. Nicolai Amelio prædium, quod vocant dell'Aria, *eidem anno* 1766. *venditum a D. Paulo delle Donne, ſolutis tamen eidem Creſcentio duc.* 440, *pretio prædii prædicti, atque expenſis pro ſtipulatione inſtrumenti venditionis: Salvis juribus, ſi quæ competunt, præfatis D. Carolo, & D. Franciſco delle Donne pro prætenſa prælatione, viſo exitu declarationis faciendæ per S. R. C. tempore explicationis reſervatæ in decreto Domini cauſæ Commiſſarii diei* 28. *Martii* 1770. *pro prætenſa communione. Nihil in expenſis. fol.* 348.

Ratio judicandi, quoad primam ſententiæ partem, ex eo deprompta eſt, quod cum adhuc ſub Judice lis ſit inter Rev. D. Carolum, & D. Franciſcum delle Donne, & Rev. D. Paulum (in hoc judicio non auditum) de prætenſa communione prædii, de quo agitur; nulla idcirco actio aut nullitatis, aut læſionis, fratribus delle Donne adhuc orta eſt adverſus venditionem prædii prædicti, actiones ſiquidem nihil aliud ſunt, quam *jus perſequendi in judicio, quod ſibi debetur, Inſtit. lib.*4. *tit.*6. *§.*1. actioneſque in rem ex pleno dominio oriuntur, *Inſtit. loc. cit., L.* 21. *C. mandati, & L. ult. C. de reb. alien. non alien.*; atque ad illos ſolos pertinent, qui aut jure gentium, aut jure civili dominium acquiſivere, *L.* 24. *de reivind.*

Accedit, quod ex ſcripturis exhibitis liquet, D. Paulum peculiari jure, nempe virtute donationis in ſui beneficium factæ a Victoria Caſoria ejus matre, prædium prædictum acquiſiviſſe: ita acquiſitum per multos annos poſſediſſe, fructuſque percepiſſe: & quod majus eſt, inſtante ipſo D. Carolo, uti creditore, in vim executionis prædium prædictum eidem prius dediſſe, deinde viribus Præturæ compulſum, ipſo non diſſentiente, imo inſtante, vendidiſſe, ſoluto pretio in beneficium ejuſdem D. Caroli: qui, his omnibus peractis, inſimul cum ſuo fratre D. Franciſco

ciſco quæſtionem dominii ſuper prædio prædicto, ſive antea motam haud proſequi curavit: Contentus uterque ob prætenſam communionem dumtaxat petere a D. Paulo ſolutionem redituum medietatis dicti prædii, citra præjudicium ſortis *fol. 256.* : Quæ omnia, poſita etiam communione, ſecuritatem prædii ſibi venditi emptori, arbitriumque ipſis fratribus delle Donne, uti egere, conveniendi D. Paulum pro pretio eorum portionis, præſtabant, *L. 1. C. de comm. rer. alien.*, *L. Mater tua C. de reivind.*

Pro eo, quod attinet ad retractum per D. Nicolaum de Amelio petitum, non immerito cenſuit S. R. C. hujus petitioni aſſentiri, cum certum in jure ſit, hoc jus, vicinis non denunciatis, ad decennium uſque competere, §. 1. & 5. *Conſtit. Sancimus.*

Neque valet dicere, hanc denunciationem per æquipollens fuiſſe expletam, privata nempe certioratione de tempore venditionis per D. Paulum venditorem facta vicino de Amelio, qui ſciens jus ſuum eſſe duraturum ex ipſa fide exhibita *fol. 59.* (in termino tamen non comprobata) nihil reſpondiſſe habetur; nam virtute ejuſdem Conſtitutionis, contra id quod ſtatuitur in Conſuetudine hujus Civitatis *Si quis emit, de jure congrui*, quæ requirit ſolam ſcientiam, expreſſa denunciatio requiritur.

Et denique minus obſtat, jus congrui D. Nicolao de Amelio, uti donatario univerſali D. Joannis ejus patris, & de tempore venditionis prædii vicini non poſſeſſori, minime competere: Poſſidebat ſiquidem D. Joannes ejus pater: Et præterquam quod donatarius univerſalis cum expreſſa ceſſione omnium jurium, actionum, atque integri ſtatus, ſtat loco heredis, ex vulgatis juribus; idem D. Nicolaus, uti heres ſuus, atque neceſſarius D. Joannis ſui patris, in jure habetur, & dicitur quaſi dominus bonorum patris, etiam eo vivente, *L. In ſuis 11. de liber. & poſtum.*

Quaranta Act. Mag. Celentano Scriba.

In cauſa inter Ill. Principiſſam Villæ D. Mariam Eleonoram Caracciolo, & Ill. Ducem Gypſi ejus filium ex una, & Ill. Ducem Nojæ D. Pompeum Caraſa, Ill. Comitem d' Egmont Ducem Biſaciarum D. Caſimirum Pignatelli, & Ill. Principem Collis D. Vincentium Mariam de Somma ex altera. Die 9. Januarii 1776.

Cum ex mente Inſtitutoris lineæ prærogativa in Majoratu attendenda ſit, ambigendum non eſt, regularem primogenituram inſtitutam fuiſſe: in regulari autem primogenitura fœminæ lineæ prædilectæ præferentur maſculis lineæ poſterioris.

IN Majoratu, de quo agitur, fuerunt primo vocati deſcendentes in infinitum ex quinque fratribus del Giudice, expreſſa lege, ut ſervaretur ordo linearum, & quod maſculi excluderent fœminas, licet eſſent alterius lineæ. Defectis omnibus maſculis, fuerunt factæ duæ ſubſtitutiones, una vulgaris, qua, defectis maſculis, primo loco fuerunt vocatæ fœminæ deſcendentes ex dictis maſculis, ſpectata prærogativa lineæ, gradus, & ætatis: Secundo loco, quando, defectis maſculis, non adeſſent dictæ fœminæ deſcendentes ex dictis maſculis, fuerunt vocatæ ſorores, ſive amitæ dictorum fratrum del Giudice Fundatorum dicti Majoratus; at ſi iſtæ reperirentur præmortuæ, fuerunt tertio loco vocati maſculi deſcendentes ex dictis fœminis, deſcendentibus a dictis maſculis; & deſcendentes ex dictis ſororibus, ſive amitis; & in defectu horum maſculorum fuerunt quarto loco (ut utar verbis maſculorum litigantium) vocatæ fœminæ deſcendentes ex eiſdem fœminis, & ſororibus, ſive amitis.

Hæc ſubſtitutio vulgaris, extinctis maſculis vocatis, verificata fuit in perſona Ill. Principiſſæ Cellammare, uti deſcendentis ab uno ex dictis fratribus Fundatoribus. Hæc eſt natura ſubſtitutionis vulgaris, quod verificata in perſona unius, ceſſant ſubſtitutiones vulgares ſequentes, *L. Poſt aditam Cod. de impub. & aliis ſubſtit. &c. L. Si mater, §. ſi filii, D. de vulg. & pupill. ſubſtit.* Itaque cum dicta Ill. Principiſſa jam ſucceſſiſſet, ceſſarunt hoc loco vocationes factæ ſororum del Giudice, & maſculorum deſcendentium ex dictis fœminis del Giudice, & ex dictis ſororibus, ſive amitis, & ceſſavit pariter

riter vocatio fœminarum deſcendentium ex dictis fœminis del Giudice, & ex dictis ſororibus, ſive amitis.

Et propterea ob mortem dictæ Ill. Principiſſæ Cellammare non eſt diſputandum de vocatione prius maſculorum, & deinde fœminarum deſcendentium ex dictis fœminis del Giudice, & ex dictis ſororibus, ſive amitis, quia ceſſavit hæc vocatio. De hoc diſputandum fuiſſet, ſi in morte ultimi maſculi del Giudice non adfuiſſet neque fœmina deſcendens ex dictis fratribus del Giudice, neque adeſſent viventes dictæ ſorores, ſive amitæ, & concurrerent inter deſcendentes a dictis ſororibus, ſive amitis; ſicut ad præſens, fœmina in linea primogenita, & maſculi in lineis poſterioribus: tunc ut iterum dicam, diſputandum eſſet, an maſculi linearum poſteriorum præferantur fœminæ lineæ prædilectæ. Et attenta litera, videtur poſſe præferri maſculos. Sed infra de hoc ſermo redibit. Sufficit nunc dicere, quod verba deſcripta in §. 9. in copia typis data, & ultimo loco Votantibus conſignata, non applicantur caſui præſentis litis.

Sequamur ergo relationem Majoratus. Fundatores cogitarunt, quod verificata ſubſtitutione vulgari in una perſona ex dictis quatuor ordinibus, ceſſabat eadem ſubſtitutio; propterea fecerunt alias ſubſtitutiones vere fideicommiſſarias, & ſubjecerunt, quod ſi dictus Majoratus radicaretur in perſona fœminæ agnatæ deſcendentis ex dictis fratribus, vel in perſona deſcendentium ex eiſdem fœminis, fideicommiſſum duraret in beneficium omnium dictarum fœminarum, ordine tamen primogenituræ regularis, ne tranſiret de linea ad lineam, niſi prima linea totaliter evacuata. Idem dixerunt, ſi dictus Majoratus radicaretur in dictis ſororibus, ſive amitis, quæ ſuperviverent. Et de hoc litera eſt clara, & non adeſt controverſia, ut in §. 10. & 14. copiæ typis datæ. Sed hic caſus non accidit, nam tempore mortis dictæ Principiſſæ repertæ ſunt præmortuæ omnes ſorores,

ſive

ſive amitæ, ut ſupra vocatæ: quo caſu fuit facta ſequens vocatio.

Deficientibus tam dictis fœminis, quam dictis ſororibus, *allora ſuccederanno i loro figli maſcoli, e i maſcoli legitimi deſcendenti da maſcoli, ed in loro difetto, o ineſiſtenza, ſuccedano le femmine legitime deſcendenti ex corpore di dette ſorelle.... colla prerogativa, ordine, e prelazione diſpoſti, e dichiarati, come ſopra nelle perſone di dette ſorelle di detto Signor Duca, loro madri, ed aſcendenti*, ut in §. 14. dictæ copiæ. Quiſque videt, deſcendentes ex ſororibus vocatos fuiſſe eodem ordine, quo vocatæ erant dictæ ſorores, quæ erant eorum matres, & aſcendentes.

At litteraliter per dictos Fundatores fuit diſpoſitum, quod dictæ ſorores, & earum deſcendentes ſuccederent ordine Primogenituræ regularis, itaut aſpirare non poſſet ſecunda linea, niſi antecedens linea deficiat tam in maſculis, quam in fœminis. Si ergo deſcendentes ſunt vocati ad inſtar earum matrum, ſive aſcendentium, certum eſt, vocatos eſſe ordine Primogenituræ regularis, qua fœminæ lineæ prædilectæ non excluduntur a maſculis lineæ poſterioris.

Nec obſtat vocatio facta in §. 9. dictæ copiæ typis datæ, deſuper deſcripta, qua collective vocantur tam maſculi deſcendentes ex fœminis del Giudice deſcendentibus a Fundatoribus, quam maſculi ex dictis ſororibus, ſive amitis, & poſtea ſive in quarto loco fuerunt vocatæ fœminæ deſcendentes tam ex dictis fœminis del Giudice, quam ex dictis ſororibus, ſive amitis; nam reſponſio jam ſupra fuit data, ſcilicet, quod hujuſmodi vocatio dictorum maſculorum, & poſtea dictarum fœminarum fuit per vulgarem, quæ extincta remanſit ob aditionem majoratus factam a dicta Principiſſa Cellammare, ut ſupra diximus.

Inſuper attentis verbis in dicto §. 9. deſcriptis, non eſt

S s cla-

clarum, maſculos omnes ex quacumque linea collective vocatos fuiſſe, quia neceſſitas urget, verba illa intelligenda eſſe ordine Primogenituræ regularis. Confuſim vocantur primo maſculi, tam deſcendentes ex dictis fœminis del Giudice, quam ex dictis ſororibus, & præferuntur fœminis deſcendentibus ab eiſdem; tamen ſi accidebat caſus, quod inter deſcendentes fœminarum del Giudice maſculi non adeſſent, & adeſſent fœminæ, maſculi ex dictis ſororibus, ſive amitis prælati fuiſſent fœminis deſcendentibus ex dictis fœminis del Giudice. Quod ſedulo negandum eſt, nec credendum, quod Fundatores privare volebant eorum deſcendentes fœminas in concurſu maſculorum deſcendentium ex propriis ſororibus, *argum. in L. Cum avus, L. Cum acutiſſimi, & L. Generaliter*. Et propterea ſicuti ex tacita voluntate Fundatorum prælatos fuiſſe omnes deſcendentes tam mares, quam fœminas naſcituras ex dictis fœminis de Domo del Giudice, dico prælatos omnibus maſculis deſcendentibus ex dictis ſororibus; ita & pariter æxtimandum eſt prælationem maſculorum deſideratam fuiſſe non collective, ſed diſtributive, ſive diſcretive in qualibet linea, tam attentis illis verbis in vocatione maſculorum: *Oſſervandoſi fra quelli la prerogativa della linea, grado, età, ed ordine di ſuccedere &c.* Quæ verba repetuntur in vocatione fœminarum: *Oſſervandoſi però fra quelle la prerogativa della linea, grado, età, ed ordine di ſuccedere, e colle qualità, condizioni, e leggi, che nelle dette femmine di caſa del Giudice, e nelle dette ſorelle del detto Signor Duca, loro madri, ed aſcendenti ſi è diſpoſto*, quam expreſſa vocatione contenta in §. 10. ad 14. dictæ copiæ typis datæ, qua inter deſcendentes ex fœminis, & ſororibus *di caſa del Giudice*, maſculi diſcretive in qualibet linea fœminis fuerunt prælati tantum: unde æxtimandum eſt, ſimilem prælationem diſcretive factam fuiſſe in §. 9., ubi con-

Digitized by Google

conſuſim fuerunt vocati dictarum fœminarum, & ſororum deſcendentes maſculi, & in defectum fœminæ.

Inſuper ſi verba ſub §. 9. eſſent dubia, interpretenda eſſent ex diſpoſitionibus claris contentis in §. 10. ad 14. ut ſupra deſcriptis.

Imo addimus, quod ſi dicta verba in §. 9. deſcripta clara forent in beneficium maſculorum, nihil ad rem, quia caſus, de quo eſt præſens controverſia, decidi debet ex verbis deſcriptis ſub §. 14. dictæ copiæ, quæ verba reſpiciunt caſum præſentis controverſiæ, ut ſupra dictum eſt.

Pro intelligenda mente Fundatorum juxta verba deſcripta in §. 14., recurrendum non eſt ad verba contenta in §. 9., quo actum fuit de ſubſtitutione vulgari in morte ultimi maſculi, tam in vim exempli, quam in vim relationis contentæ in §. 9.; non in vim exempli, quia in §. 6. ad 9. incluſive fuerunt primo loco vocatæ fœminæ de Domo del Giudice, ſecundo loco ſorores, tertio loco maſculi ex dictis fœminis, & dictis ſororibus. Hinc ordo expreſſe fuit revocatus in §. 10. ad 18., nam litteraliter tam maſculi, quam fœminæ deſcendentes a fœminis de Domo del Giudice, fuerunt prælati dictis ſororibus; ergo a §. 9. non poteſt argui ad diſpoſitionem contentam in §. 14.

Non in vim relationis, quia Fundatores §. 9. 12, & 13. locuti fuere de ſororibus, & earum deſcendentibus tam maſculis, quam fœminis; unde ſi in §. 14. relationem habuerunt ad diſpoſitionem jam factam circa dictas ſorores, relatio dirigenda eſt ad §. 12. & 13., ubi loquendo de dictis ſororibus, earumque deſcendentibus, fuit formata primogenitura regularis.

Inſuper quatenus relatio §. 14. directa fuiſſet ad ſubſtitutionem vulgarem contentam in §§. 6. ad 9. dictæ copiæ, certum eſt dirigendam eſſe ad illam partem, quæ loquitur de ſororibus; in dictis §§. ita dicitur: *E non tro-*

vandoſi femmine legitime diſcendenti da detti fratelli... allora ſuccedano le ſorelle di eſſo Signor Duca colla prerogativa, ed ordine della Primogenitura tra di loro. Hic non excluditur fœmina ex maſculis alterius lineæ, ſed ſimpliciter præcipitur, ut ſervaretur ordo Primogenituræ. De ſui natura primogenita fœmina non excluditur a maſculis lineæ poſterioris.

Concludendum ergo eſt, verba expreſſa in §. 9. nihil proficere pro intelligentia verborum contentorum in §. 14. Si tamen cauſa (quod a veritate diſtat) agenda eſſet vigore ſubſtitutionis vulgaris, contentæ in verbis in §. 9. deſcriptis, etiam cauſa Ill. Principiſſæ Villæ in tuto eſſet.

A §. 6. ad 9. incluſive agitur de ſimplici vulgari, qua juxta Fundatorum mentem, aliud non præcipitur, quod in morte ultimi maſculi ſuccedant fœminæ agnatæ deſcendentes a Fundatoribus; ſi iſtæ non reperiantur, ſuccedant ſorores; ſi iſtæ fuiſſent præmortuæ, ſuccedant maſculi earumdem fœminarum, & ſororum, & in defectu maſculorum, ſuccedant fœminæ earumdem. Fundatores in defectu fœminarum agnatarum, non excluſerunt earum filios, ſed ſub ſilentio reliquerunt, cogitantes forſan, quod non exiſterent: ſed ſi deſcendentes adeſſent, iſti excludebant ſorores tam ex diſpoſitione *text. in L. Cum avus ff. de condict. & demonſtr., & in L. Cum acutiſſimi C. de fideicomm.*, quam ex tacita voluntate eorumdem Fundatorum, quæ apparet ex ſubſtitutione fideicommiſſaria contenta in §. 10. dictæ copiæ, ubi expreſſe præcipitur, deſcendentes tam maſculos, quam fœminas ex fœmina agnata eſſe præferendos ſororibus, earumque deſcendentibus maſculis, & fœminis, licet primo loco Primogenitura radicaretur in dictis deſcendentibus a Fundatoribus. Sorores ergo in dicta vulgari fuerunt vocatæ poſt fœminas agnatas, earumque deſcendentes, ſive ubi non exiſterent, non autem quod in concurſu ſorores præferantur deſcendentibus ex fœminis agnatis.

Ex

Ex hoc ſequitur, uti ex ſimplici lectura apparet, quod vocatio prius maſculorum, & poſtea fœminarum deſcendentium ex genere ſororum, fuit facta in §. 9. in morte ultimi maſculi, in caſu non exiſtentiæ, neque agnatarum, neque earum deſcendentium. Unde nunquam Fundatores crediderunt deſcendentium ex fœminis agnatis exiſtentiam tempore vocationis dictarum ſororum.

Hinc ſequitur, a veritate alienam eſſe aſſertionem in caſu dictæ ſubſtitutionis vulgaris in §. 9., maſculos agnatarum fœminarum eſſe vocatos poſt ſorores. Hoc non eſt verum, ſi tempore ingreſſus ſororum adeſſent maſculi, ſive fœminæ agnatarum: ſed illa confuſa vocatio maſculorum utriuſque generis fœminarum eſt intelligenda diſcretive, nempe maſculos, & fœminas agnatarum eſſe vocatos poſt fœminas agnatas, & ante ſorores.

Hæc dicta videntur clara quoad deſcendentes ex fœminis agnatis; quum ex jam dictis appareat, deſcendentes ex fœminis agnatis deſcendentibus a Fundatoribus, fuiſſe expreſſe vocatos tam mares, quam fœminas, etiam in ingreſſu, uti legitur in dicto §. 10. dictæ copiæ. Dubium reſtringitur quoad deſcendentes ex ſororibus. Una determinatio reſpiciens plura determinabilia, æqualiter determinat. Unica periodo ſunt prius vocati maſculi fœminarum agnatarum, & ſororum, & poſtea earum fœminæ. Si ergo deſcendentes ex fœminis agnatis intelliguntur vocati diſcretive, prius nempe deſcendentes ex fœminis agnatis, & poſtea vocatæ ſunt ſorores; ita vocatio maſculorum, & fœminarum deſcendentium ex ſororibus, intelligenda eſt diſcretive juxta prærogativam linearum, nempe prius intelligantur vocati maſculi, & fœminæ lineæ primogenitæ, & poſtea maſculi, & fœminæ lineæ poſterioris; & propterea ſi in morte ultimi maſculi concurrerent Ill. Principiſſa Villæ lineæ primogenitæ, & maſculi linearum poſteriorum, etiam attenta ſubſtitutione vulgari, dictam Principiſſam præferendam eſſe. Hæc,

Hæc, quæ dicta ſunt circa ſubſtitutionem vulgarem contentam in §. 9. ad ſuperfluitatem dicta ſunt, quia caſum, de quo agitur, non attingunt. Nunc addendum eſt aliud argumentum, quod licet caſum præſentem attingat, tamen eſt ſub hypotheſi ſequenti. Fingatur in ſtrumento fundationis Majoratus non adeſſe expreſſam & litteralem vocationem maſculorum, & fœminarum ex dictis ſororibus deſcriptam in §. 14., quam vocationem legimus in caſu deficientiæ deſcendentium ex fœminis agnatis, non exiſtentibus dictis ſororibus: ſed adeſſet tantum vocatio dictarum ſororum ſuperviventium, deſcripta in §§. 12. & 13. ibi: *Debbano ſuccedere le ſorelle del Signor Duca . . . colla perpetua continuazione ne' figli maſcoli . . . . ed in loro difetto, o ineſiſtenza nelle femmine . . . deſcendenti da quella ſorella di detto Signor Duca, che ſi troverà ſuperſtite, e ſuccederà nel detto Majorato, e ſe quella, che dopo ſarà ſucceduta, moriſſe ſenza detti diſcendenti, o colli detti diſcendenti, e quelli tutti ſi eſtingueſſero, ſucceda ordine ſucceſſivo la ſeguente ſorella . . . colla prerogativa, ordine, e prelazione fra eſſe diſpoſte di ſopra*. Hæc vocatio eſt litteraliter facta in beneficium ſororum ſuperviventium, & quæ ad Majoratum cum effectu eſſent admiſſæ, & poſtea in beneficium earum deſcendentium ordine Primogenituræ regularis. Hæc tamen litteralis diſpoſitio non impediebat de jure, quin tempore mortis fœminæ agnatæ, ſive ex eadem deſcendentium, ſi reperiebantur dictæ ſorores præmortuæ, non ſuccederent eorum deſcendentes, eodem modo, quo ſuccederent, ſi eorum matres jam ſucceſſiſſent. Verum eſt ob præmorientiam dictarum ſororum, earum vocationem caducari: Sed Juſtinianus in *L. un. §. pro ſecundo, & §. ſin autem aliquid Cod. de cad. toll.* expreſſe mandavit, non caducari in beneficium gravati, ſed onus remanere in beneficium aliorum, ibi: *Pro ſecundo vero*

ordi-

ordine, in quo ea vertuntur, quæ in cauſa caduci fieri contigebat, vetus jus corrigentes, ſancimus, ea, quæ ita evenerint, ſimili quidem modo manere apud eos, a quibus ſunt derelicta, heredes forte, vel legatarios, vel alios, qui fideicommiſſo gravari poſſunt: niſi & in hunc caſum vel ſubſtitutus, vel conjunctus eos antecedat. Et idem reperitur in dicto *§. fin autem*, ibi: *Manere diſponimus ſimili modo apud eos, a quibus relictum eſt, niſi & hic vel ſubſtitutus relictum accipiat, vel conjunctus, ſive heres, ſive legatarius, hoc ſibi acquirat*. Et ratio eſt in promptu, quia onus reſtituendi, non obſtante caducitate primi legatarii, vel fideicommiſſarii, remanet in perſona gravati, ſive ſuper hereditate, *L. Si ab eo ff. de uſu, & uſufr.*, *L. cum pater §. cum pater ff. de leg. 2.*, *& L. Si alienus ff. eod.*; unde ſi reſtituere non poteſt primo ſubſtituto ob caducitatem, reſtituere debet ſequenti etiam juxta communem Doctorum ſententiam, qui docuerunt in ſubſtitutionibus fideicommiſſariis, caducato gradu intermedio, ſubintrare ſequentem virtute ſubſtitutionis vulgaris anomalæ ſive vulgaris in fideicommiſſo juxta magiſtralem theoricam Bartoli in *L. Quamdiu n. 10. ff. de acquir. hered.*

Nec obſtat prædicta ceſſare, quando clare conſtat, Teſtatorem voluiſſe diſponere per ſolam fideicommiſſariam, ſive per fideicommiſſum graduale, ut res fideicommiſſo ſubjecta cum effectu tranſiret de primo in ſecundum, & de ſecundo in tertium, quod verificari videtur in caſu noſtro, quia ſorores fuerunt gravatæ reſtituere earum deſcendentibus, quatenus ipſæ ſorores cum effectu ad poſſeſſionem Majoratus fuiſſent admiſſæ: unde clare videtur efformatum fuiſſe Majoratum graduale de matre ad filios.

Non obſtat, dico, quia expreſſio Fundatorum, ut Majoratus perveniret in manum ſororis viventis, non fuit directa ad hunc finem, gravandi ſorores in ſolo caſu

rei

rei perveniendæ ad earum manus; ſed ad denotandam prælationem ſuperviventis, una cum ejus deſcendentibus, ad excluſionem ſororum præmortuarum.

Inſuper conditio expreſſa Fundatorum, quod Majoratus perveniret in manum dictarum ſororum, quæ fuerunt gravatæ in beneficium earum deſcendentium, eſt conditio, quæ de ſui natura ineſt in omni gravamine, *L. Sed etſi ſic §. fin. ff. de leg.* 3., *L. Ille a quo* §. 1. *ff. ad Trebell. L. Eam quam Cod. de fideicomm.* Ac proinde expreſſe appoſita non alterant diſpoſitionem, tanto magis in caſu præſenti, quia legitur in alia parte inſtrumenti, & proprie §. 14., fuiſſe vocatos eoſdem deſcendentes ex dictis ſororibus, etiamſi tempore vocationis iſtæ reperiebantur præmortuæ: & forſan ad evitanda diſſidia Fundatores prævidentes dictarum ſororum mortem, expreſſe in dicto §. 14. vocarunt earumdem deſcendentes maſculos, & in defectu deſcendentes fœminas.

Sed ſi quæſtio adeſſe poteſt ſuper dicta ſubſtitutione vulgari anomala ob ſororum præmorientiam ex cauſa dictæ conditionis expreſſe a Fundatoribus appoſitæ, ſcilicet ſi ſupervixiſſent, & Majoratum acquiſiviſſent: hæc quæſtio ceſſat in perſonis avi, & patris Principiſſæ Villæ, nempe Ferdinandi, & Philippi Caracciolo, deſcendentium ex Zenobia del Giudice ſorore primogenita, quia maſculi deſcendentes ex ſororibus fuerunt vocati ad Primogenituram abſque expreſſa conditione, ſi ſuperviverent; quapropter præmortuis Ferdinando, & Philippo, fuit caducata earumdem vocatio ad Primogenituram, & virtute vulgaris anomalæ, in eorum gradum ingreſſa eſt dicta Ill. Principiſſa eorum neptis & filia reſpective; tanto magis quia non agitur de ſimplici fideicommiſſo, ſed de Primogenitura, in qua omnes deſcendentes ex præmortuis vocatis, qui ſi viverent, ſucceſſiſſent, cenſentur ex eorum propriis perſonis vocati, tamquam comprehenſi in linea eorum anteceſſorum, prælative ad lineas poſteriores. Ex

Digitized by Google

Ex jam dictis colligitur, verba contenta in §.9. nihil obeſſe intelligentiæ diſcretivæ vocationis contentæ in §.14., in quo de caſu præſenti agitur, imo ipſamet verba contenta in §.9. eſſe intelligenda pariter diſcretive; itaut ſi cauſa ageretur in morte ultimi maſculi, ſeu in terminis ſubſtitutionis vulgaris, virtute intelligentiæ diſcretivæ, præferenda eſſet pariter Ill. Principiſſa Villæ, tanquam contenta in linea prædilecta. Et apparet pariter, attentis verbis contentis in §.14., adeſſe ſubſtitutionem vulgarem anomalam in beneficium dictæ Ill. Principiſſæ ob præmorientiam Zenobiæ del Giudice, vel ſaltem ob præmorientiam Ferdinandi, & Philippi Caracciolo ejus avi & patris; tanto magis quod agitur de Primogenitura.

Titulus tantum Primogenituræ juxta *cap. I. de natura ſucceſſionum feudi ll. Tauri Hiſpaniarum*, quibus relationem Fundatores habuerunt, & juxta generalem Conſuetudinem Nationum fere totius Europæ, oſtendit lineæ prærogativam; unde fœminæ lineæ prædilectæ præferuntur maſculis lineæ poſterioris. Et attento integro contextu præſentis Majoratus, & ſtantibus verbis pluries replicatis, quod attendatur prærogativa lineæ: Et denique attenta regula generali a Fundatoribus expreſſa in §.18. dictæ copiæ: *Eſſendo animo e volontà di eſſi fratelli d' iſtituire in tutt' i caſi primogenitura lineale, e ſucceſſiva*, nulli dubium eſt, efformatam fuiſſe Primogenituram regularem, qua fœminæ lineæ prædilectæ præferuntur maſculis lineæ poſterioris, ſaltem poſt extinctionem maſculorum agnatorum; & propterea confirmatur veritas, quod dicta Ill. Principiſſa, tamquam fœmina in linea prædilecta, ſit præferenda maſculis linearum minus dilectarum; tanto magis, quod in Primogenitura inter deſcendentes agnatos expreſſe fuerunt per modum regulæ excluſæ fœminæ, & e contra in Primogenitura poſt ingreſſum fœminarum litteraliter fœminæ fuerunt in-

incluſæ diſcretive in qualibet linea; unde intrat regula deſumpta ex textu in *L. unica §. ſin autem ad deficientis. Cod. de caduc. toll.*, quod teſtator ubi voluit excluſionem, expreſſit, ubi noluit, tacuit; ideo dum vocavit fœminas in defectu maſculorum, intelligendum eſt in qualibet linea: Et hic præ oculis habenda eſt altera regula, quod in Primogenituris in dubio, fœmina lineæ prædilectæ præferenda eſt maſculis poſterioris lineæ, ut omnes unanimiter ſcribunt.

Nec referenda eſt diſtinctio a Fundatoribus facta, nempe caſu, quo Primogenitura in primo ingreſſu radicaretur in agnata deſcendente, & in ſorore ſupervivente ab altero, in quo in primo ingreſſu radicanda eſſet in deſcendentibus dictarum agnatarum, vel ſororum. Hæc diſtinctio eſt idealis, & contraria verbis Fundatorum; quia in §. 10. dictæ copiæ, poſt ſubſtitutionem vulgarem Fundatores cogitantes illam vulgarem verificandam fore in una ex perſonis ſubſtitutione vulgari vocatis, incæperunt ordinare primogenituram inter fœminas a fœmina agnata deſcendente a Fundatoribus. In eadem oratione vocaverunt tum fœminam agnatam, tum ejus deſcendentem (ſub cujus nomine etiam Advocati dictorum trium litigantium confeſſi fuere eſſe comprehenſos tam mares, quam fœminas), tam ſi primus ingreſſus inciperet a dicta agnata, quam ab ejus deſcendente cum ordine Primogenituræ regularis, ut mares excluderent tantum fœminas ejuſdem lineæ. Et notabile eſt, quod hæc fœmina deſcendens a fœmina agnata, fuit gravata prius in beneficium ejus deſcendentium maſculorum, vel fœminarum, & poſtea in beneficium alterius agnatæ deſcendentis ex Fundatoribus; & denique in beneficium dictarum ſororum, & earum deſcendentium: Unde tempore ingreſſus dictæ fœminæ deſcendentis a fœmina agnata, erant præſentes in mente Fundatorum aliæ fœminæ de Domo del Giudice, nempe aliæ agnatæ deſcendentes a

Fun-

Fundatoribus, & dictæ ſorores; ut videre eſt in §. 10. ad 13. ejuſdem copiæ, ibi: *E radicato ſarà il detto Majorato in beneficio della femmina di Caſa del Giudice legitima diſcendente da detti Signori Fratelli, chè ſuccederà con effetto nel detto Majorato, colle verificazioni, od oſſervanza delle qualità, e condizioni appoſte di ſopra; o pure quando nelli caſi, come di ſopra, ſuccederà con effetto il diſcendente da detta femmina chiamato, come di ſopra, debba detto Majorato continuarſi nella ſua linea di diſcendente de' maſcoli, e legitimi diſcendenti da maſcoli; ed in loro difetto, o ineſiſtenza nelle femmine legitime diſcendenti, colle medeſime qualità, leggi, ſoſtituzioni, condizioni, vincoli, prerogative, prelazioni, ed ordine di ſucceſſione diſpoſti nelli diſcendenti maſcoli ec.... E morendo detta femmina ſenza diſcendenti, o colli detti diſcendenti, quali tutti mancaſſero, ſuccedano le altre femmine in capillo di Caſa del Giudice, diſcendenti da detti fratelli, col medeſimo ordine, legge, qualità, condizioni, vincoli, e prerogative, come di ſopra... E ſe tutte le dette femmine di Caſa del Giudice legitime diſcendenti da detti fratelli, che fuſſero ſuccedute in detto Majorato come ſopra, moriſſero ſenza detti diſcendenti, o colli detti diſcendenti, e queſti ſi eſtingueſſero, debbano ſuccedere le ſorelle del Signor Duca, colla prerogativa, ed ordine della Primogenitura... E ſe quella, che dopo ſarà ſucceduta nel detto Majorato, moriſſe ſenza detti diſcendenti, o colli detti diſcendenti, e quelli tutti ſi eſtingueſſero; ſucceda ordine ſucceſſivo la ſeguente ſorella di eſſo Signor Duca, colla prerogativa, ordine, e prelazione fra eſſe diſpoſte di ſopra nelle loro perſone...* Et tamen his non obſtantibus, fuit prælata dicta fœmina deſcendens a fœmina agnata, cum omnibus ejus deſcendentibus; dico, fuit prælata fœminis agnatis deſcendentibus a Fundatoribus, & dictis ſororibus, & earumdem

deſcendentibus maſculis, & fœminis. Ergo Fundatores non curaverunt de ingreſſu in perſonis fœminarum agnatarum, vel ſororum; ſed extinctis omnibus maſculis de Domo del Giudice, curaverunt tantum in eorum memoriam, per medium fœminarum relinquere veram & regularem Primogenituram, præferendo lineam omnibus aliis vocatis, ſive ingreſſus inciperet a fœmina agnata, & ſorore, ſive ab earumdem deſcendentibus.

Nec obſtat, quod dicta litteralis vocatio deſcendentis in primo ingreſſu loquatur de deſcendente ex agnatis deſcendentibus a Fundatoribus, non autem de deſcendentibus ex ſororibus, inter quos nunc lis agitur; quia idem ordinaverunt inter earum deſcendentes, hac tamen differentia: Reſpectu deſcendentium ab agnatis deſcendentibus a Fundatoribus, prævifus caſus tam ſuperviventiæ fœminæ agnatæ, quam ejuſdem præmorientiæ unica oratione, & in primo ingreſſu fuerunt vocati tam fœmina agnata, quam ejus deſcendens, cum onere Primogeniture regularis: Reſpectu vero deſcendentium ex ſororibus, fuerunt vocati duplici oratione, nempe in §. 12. & 13. fuerunt vocatæ ſorores ſuperviventes, cum onere dictæ Primogenituræ regularis, & immediate in §. 14. vocantur earumdem ſororum deſcendentes, prout dictum fuit in dictis ſororibus, nempe cum onere Primogenituræ regularis.

Hæc differentia, quæ unica oratione dictæ agnatæ, & earundem deſcendentes in primo ingreſſu, ſorores vero, & eorum deſcendentes duplici oratione vocantur, non demonſtrat, Fundatores diverſimode voluiſſe diſponere in uno, & in altero caſu. Sed neceſſitas recti ſermonis coegit Fundatores, ut agnatas, & earundem deſcendentes unica oratione, & in primo ingreſſu; ſorores vero, earundemque deſcendentes duplici oratione vocarent. In §. 10. fuerunt vocatæ agnatæ deſcendentes a Fundatoribus abſque expreſſione, quod ſuperviverent, unde

unde potuit unica oratione vocari dicta agnata, vel ejus deſcendens, nempe agnata, ſi viveret, ejus deſcendens, ſi ipſa præmortua fuerit. At in §. 12. & 13. vocantur tantum ſorores ſuperviventes, ad excluſionem ſororum præmortuarum; unde eadem oratione non potuit figurari caſus, quod Primogenitura in primo ingreſſu radicaretur in ſorore primogenita, ſive ejus deſcendente; hac enim locutione comprehenſa eſſet ſoror primogenita præmortua cum ejus deſcendentibus, in excluſionem ſororis ſecundogenitæ viventis contra eorum voluntatem; ſed neceſſitas recti ſermonis coegit ſeparatim vocare ſororem ſuperſtitem, ejuſque deſcendentes ordine Primogenituræ, & altera immediata oratione figurando caſum, quod omnes dictæ ſorores fuiſſent præmortuæ, vocare eoſdem deſcendentes, eodem ordine; unde clare agnoſcitur, Fundatores æquali modo diſpoſuiſſe circa fœminas agnatas deſcendentes, & ſorores, & illarum deſcendentes, & tam illas, quam iſtas gravatas fuiſſe onere Primogenituræ regularis, ſive ingreſſus ab agnatis, & ſororibus; ſive ab earundem deſcendentibus inciperet.

Illud tamen oblivioni tradendum non eſt, quod clare, & indubitanter ex verbis integri contextus inſtrumenti fundationis habetur. In vocatione maſculorum deſcendentium ex ipſis Fundatoribus voluerunt linealem vocationem cum prælatione primæ lineæ reſpectu poſteriorum linearum ſervandam eſſe, cum excluſione fœminarum, & deſcendentium ab ipſis, etiamſi eſſent maſculi, cum expreſſe iidem Fundatores declaraverint, velle conſervari bona in familia del Giudice pro majori decore, & ſplendore eorum familiæ.

Devenerunt mox iidem Fundatores ad providendum, dum maſculi fuiſſent totaliter extincti, reſpectu fœminarum; & pariter eas vocarunt cum prælatione lineæ, excluſis dumtaxat illis fœminis, quæ conditionibus, & præceptis eis adjunctis non paruiſſent, nempe ſi ad nuptias con-

vo-

volaſſent, elapſis annis 30., & nuptui ſe tradidiſſent cum perſonis non habentibus qualitates in dicto fundationis inſtrumento deſcriptas: adeo ut tales fœminæ haberentur ac ſi in mundo non eſſent.

Eamdemque linearum prælationem voluerunt tandem etiam in vocatione ſororum Ducis D. Dominici, ſive amitarum, ut ſemper prima linea ſuccederet, excluſis lineis poſterioribus, quibus locus dari nequit, niſi dicta prima linea totaliter evacuata & extincta, cum omnibus ſuis deſcendentibus maſculis, & fœminis. Itaque ſi in vocatione maſculorum agnatorum, & in vocatione fœminarum agnatarum, atque etiam in vocatione ſororum, ſeu amitarum mandata fuit prærogativa lineæ; atque inſuper ſi deſcendentes maſculi, & fœminæ dictarum ſororum, ſeu amitarum ſuccedere debent eo ordine, quo ſucceſſiſſent eædem ſorores, ſeu amitæ, ut litteraliter perlegitur in dicto inſtrumento fundationis; innegabiliter habetur, quod iidem deſcendentes tam maſculi, quam fœminæ ſuccedere debent cum ejuſdem lineæ prælatione, nec poteſt fieri tranſitus ad lineam ſequentem, niſi prima linea totaliter evacuata & extincta, *arg. text. in L. Filius familias, §. cum eſſet rogatus ff. de legat.* 1., & poſt alios opipare ratiocinatur *Card. de Luca de fideicomm. diſc.* 9. *n.* 17.

Hoc autem, quod de jure eſt, diſerte explicarunt anno 1728. duo Fundatores adhuc viventes, nempe Princeps D. Antonius del Giudice, & Cardinalis Nicolaus, qui prævidentes caſum mortis Principiſſæ Cellamare abſque filiis, declararunt, quod non exiſtentibus maſculis in linea primogenita Zenobiæ, ſuccedere deberet D. Maria Eleonora Caracciolo Duciſſa Geſſi, & actualis Principiſſa della Villa. Et quamvis Fundatores prædicti Majoratus illum revocare non voluiſſent; bene tamen declarare poterant, quod in inſtrumento fundationis perlegitur, & eorum mentem & voluntatem apertius pate-

face-

facere, juxta textum expreſſum in *L. Heredes palam*, *§. ſed ſi quid poſt. ff. de teſtam.*, ibi: *Et puto poſſe: nihil enim tunc dant, ſed datum ſignificant*: & poſt alios *de Roſa conſult.* 69.

Diſcuſſa hac cauſa die 9. Januarii currentis anni 1776. cum quatuor Regiis Conſiliariis adjunctis, licet ſub die 6. Septembris 1774., una Parte informante, fuiſſet interpoſita ſequens ſententia: *S. C. declarat, ſtante morte qu. Ill. Duciſſæ Juvenatii D. Conſtantiæ Eleonoræ del Giudice abſque filiis, ad ſucceſſionem Majoratus inſtituti ſub die 22. Auguſti 1694. vigore inſtrumenti Regio Aſſenſu vallati fol.96. eſſe vocatos maſculos deſcendentes ex maſculis primogenitis a ſororibus qu. Ill. Ducis Juvenatii D. Dominici del Giudice, ſervata forma vocationis in eodem inſtrumento contentæ, ac ſervata inter eos lineæ, ac ætatis prærogativa: Verum reſpectu capacitatis, vel incapacitatis maſculorum concurrentium, Dom. Ill. Comitis d' Egmont D. Caſimiri Pignatelli, Ill. Ducis Nojæ D. Pompei Carafa, & Ill. Principis Collis D. Vincentii de Somma, ex cauſis deductis in actis, & in comparitione in Aula præſentata fol.341., ſive etiam reſpectu prælationis inter eoſdem, moneantur partes ad audiendam proviſionem faciendam per S. C., ſalvis juribus, ſi quæ competunt Ill. Principiſſæ Villæ D. Mariæ Eleonoræ Caracciolo, viſo exitu proviſionis reſervatæ*; quum tamen adverſus dictam ſententiam productæ fuiſſent nullitates pro parte Ill. Principiſſæ Villæ, quibus adhæſit Ill. ejus filius primogenitus, qui inſtitit in ejus beneficium ſpectare dictam Primogenituram, tamquam maſculi lineæ primogenitæ; ſtantibus ſupradictis rationibus, S. R. C. habuit pro vero, Primogenituram extinctis maſculis agnatis in inſtrumento fundationis, efformatam fuiſſe, & eſſe regularem: & propterea attendendam eſſe prærogativam lineæ; unde receſſit a deciſis, & fuit ordinatum, ut ſequitur.

Re-

Referente D. Dominico Potenza R.C. & cauſæ Comm., intervenientibus Dom. Marchione Vargas Capite Aulæ, Regiis Conſil. Penſabene, Avena, Caruſo, Belli, & Gamboa adjunctis.

Nullitates propoſitas obſtare; ac proinde Majoratum inſtitutum in anno 1694. *a qu. Ill. Principe D. Antonio del Giudice, ejuſque fratribus, vigore inſtrumenti fol.* 98. *ſpectaviſſe & ſpectare ad Ill. Principiſſam Villæ D. Mariam Eleonoram Caracciolo, una cum fructibus a die mortis qu. D. Conſtantiæ Eleonoræ del Giudice Ducifſæ Juvenatii, ſervata forma ejuſdem inſtrumenti. Et reſtituatur depoſitum. Neutram partem in expenſis &c.*

Franciſcus d'Amora Act. Mag. Matthias Pallante Scriba.

In cauſa magn. D. Andreæ, & fratrum de Matera cum D. Joſepho Matera Die 26. *Januarii* 1776.

Donatio ob cauſam, & oneroſa non reſolvitur ob liberorum ſupervenientiam, præcipue cum expreſſim, & ſpecifice renunciatum fuerit *L. Si unquam*.

Valet Majoratus inſtitutus ſuper prædio, quod dotium fundum conſtituere debebat, quoties mulier aliorum bonorum adſignamenti contenta fuerit, nec fiſci conqueſti ſint.

D. Andreas, & fratres de Matera petierunt in S. R. C. revindicare bona, a qu. D. Octavio eorum patre anno 1716. donata qu. D. Arthemiſiæ Matera, ob ſupervenientiam filiorum *fol.* 263., atque judicium inſtituerunt contra D. Joſephum Matera nepotem ex filio dictæ qu. Arthemiſiæ. Deducentes poſtea, inter bona donata adfuiſſe territorium nuncupatum *Campagnano, e Linza delli Ciacci*, ſubjectum Majoratui inſtituto anno 1615. per qu. D. Philippum de Matera eorum aſcendentem; petierunt quoque declarari ſpectantiam Majoratus prædicti in beneficium dicti D. Andreæ uti primogeniti, ac condemnari D. Joſephum ad relaxandum territorium prædictum una cum fructibus a die malæ captæ poſſeſſionis *fol.* 293.

Viſis autem probationibus in curſu termini factis *fol.* 320., ac omnibus actis, S. C. decrevit, *donationem confectam anno* 1716. *per qu. D. Octavium de Matera in beneficium qu. D. Arthemiſiæ fol.* 3. *ob ſupervenientiam liberorum non fuiſſe reſolutam, ac proinde conventum ab-*

ſol-

ſolvendum eſſe ab impetitis reſpectu reſolutionis prædictæ: Declarat vero extare Majoratum inſtitutum per D. Philippum Matera in inſtrumenta diei 11. *Februarii* 1625. *ſuper integro fundo denominato* Campagnano, *&* Linza delli Cianci, *cum oneribus tamen, & detractionibus declarandis; pro quo effectu fiat relatio per Scribam cauſæ, partibus requiſitis; & tempore declarationis prædictæ habeatur ratio, tam de meliorationibus deductis per D. Joſephum Matera, quam de fructibus per Actores prætenſis; & interim citra præjudicium jurium partium, & in cauſam declarandam prætitatus D. Joſephus correſpondeat in beneficium Actorum annuos ducatos* 300, *ſcilicet annuos duc.* 120 *cum anticipatione, & in principio cujuslibet anni, & reliquos duc.* 180 *menſatim, donec aliter, etiam reſpectu majoris, vel minoris quantitatis, fuerit proviſum. Neutram partem in expenſis.*

Donatio enim, cujus reſolutionem ob ſupervenientiam filiorum prætendebant Actores *arg. L. Si unquam C. de revoc. donat.*, non fuit mera & gratuita, ſed ob cauſam, & oneroſa, imo excedens legitimum modum remunerationis, præſertim attenta exiſtentia Majoratus prædicti. Continet inſuper expreſſam ac individualem, & non de formula Notariorum conceptam renunciationem prædictæ *L. Si unquam*, & quilibet poteſt iis, quæ pro ſe introducta ſunt, renunciare, *L. Si quis in conſcribendo C. de pact.*

Quoad vero Majoratum, quamvis in acquiſitione territorii prædicti, quam idem fideicommittens fecit anno 1620, fuiſſet declaratum, portionem ejuſdem remanere pro fundo dotium qu. D. Franciſcæ Serſale *fol.* 55.; attamen eadem D. Franciſca pro dotibus prædictis contenta fuit aſſignamenti aliorum bonorum *fol.* 89.; atque ejus filii nunquam conqueſti fuerunt adverſus paternam diſpoſitionem, in qua continetur confirmatio dicti Majoratus & nulli dubium eſt, quod poterat pater gravare filios,

V v quos

quos honorabat, *arg. L. Unum ex familia §. ſed ſi fundum, L. Imp. §. ſi cantum, & L. Cum pater ff. de leg. 2.* Imo qu. D. Andreas, cujus fuit filius & heres prædictus qu. D. Octavius donator, expreſſe agnovit Majoratum prædictum in inventario, quod confecit bonorum remanſorum in hereditate qu. D. Octavii ſenioris ejus patris *fol.* 123. Ideo etiam *arg. præcitatæ L. in conſcribendo*, cenſuit S.R.C. Majoratum exiſtere ſuper integro præfato territorio.

U.J.D. Antonius Baſile Act. Mag. Manzi Scriba.

Verba fecit de his in S.R.C. D. Nicolaus Maria Veſpoli R.C. & cauſæ Comm.

In cauſa magn. D. Philippi Maſſamormile cum magn. D. Ambroſio Murena, ut ex actis. Die 26. Januarii 1776.

Denunciatio vicinis facta multo poſt venditionem non reſtringit decennium a Conſtitutione conceſſum ad retrahendum, præcipue ſi fraudulenta exiſtimari poſſit ex majoris pretii ſimulatione.

MEnſe Majo 1770. D. Joannes Matthæus Murena emit a D. Joſepho Sanſone prædia quædam ſita in Nemore Regali modiorum fere quadraginta, nulla ante emptionem facta denunciatione D. Philippo Maſſamormile contiguum prædium poſſidenti, ad normam Conſtitutionis *Sancimus*. Quinquennio & amplius elapſo, videlicet menſe Novembris 1775. petiit in M. C. V. judicialiter denunciari emptionem dicto D. Philippo, eique mandari, quod in termino brevi declararet, an vellet præferri, & ſolvere pretium, quod aſſeruit ducatorum 8435. M. C. præcepit, memoratum D. Philippum intra ſex dies declarare, an uti prælatione vellet; ni id faceret, eidem D. Philippo M. C. ſignificavit, ſe juſſuram, nulla porro moleſtia affici emptorem. De iis M. C. mandatis certior factus fuit D. Philippi Procurator die 15. Decembris 1775. Is tamen adverſus ea produxit contrarii imperii, quam vocant, inſtantiam. Oppoſitiones adductæ eo redibant, primo regerebat ſcilicet, nimis arctum terminum a M. C. præſtitutum in-

intra quem Dominus voluntatem ſuam oſtenderet: deinde addebat, ita intelligi oportere Conſtitutionem *Sancimus*, ut niſi ante venditionem vicino denunciato facta fuerit, ad decennii finem uſque prælationem is petere poſſet. Ad S. C. delata controverſia, hæc eadem ferme Procurator oppoſuit. Ibidem præterea petiit, ut ab emptore exhiberetur inſtrumentum emptionis; ſchedæ etiam producerentur ex libris publicæ Menſæ deſcriptæ, ut de veri pretii ſolutione conſtaret; poſtremo emptor ac venditor declararent ſub pœna falſi, quotum fuiſſet verum pretium, ut actor decerneret, an ſibi expediret prælationem petere, eaque de cauſa pretium apud acta deponere.

Eo apud S. C. pendente gravamine, antequam D. Joannes Murena ſcripturas produceret ab actore petitas, D. Philippus Maſſamormile novam inſtantiam penes idem S. C. inſtituit die 12. Februarii 1776. Ejus ſententia erat; ſe certo competiſſe, verum prædiorum pretium ducatorum fuiſſe 7000, exceptis tamen ducatis 434, quos emptor non ſolvit ob annuos cenſus, queis prædia ſuberant, & quorum onus translatum in eum fuerat; falſo igitur emptorem aſſeruiſſe, ducatos 8000 numeratos venditori fuiſſe; ſcopum vero D. Joannis Murena eo collimaſſe, ut præter pretium vere ſolutum, ducatos 1000 ſua fraude lucraretur. Ex diverſis autem ſcripturis ab actore exhibitis re ipſa conſtitit, a contrahentibus ad vicinum circumveniendum fraudulenter actum. Inde enim liquebat, ex pretio ducatos 1000 mandato venditoris fuiſſe ſolutos Joſepho Lombardo ejuſdem D. Joannis Murenæ ſocero ex cauſa bancalis apochæ; eoſdem autem ducatos 1000 ab eodem Joſepho Lombardo mox fuiſſe alteri ſolutos ad diſſolvendum æs alienum, debitum ab eodem ſolvente Murena. Cum igitur aperte fraus pelluceret, verum ducatorum 7000 pretium depoſuit actor, & jure prælationis prædia ſibi addici petiit.

S. C., perpenſis ſcripturis, cenſuit ducatorum 7000 fuiſſe verum prædiorum pretium; ex compacto contrahentes majus pretium ſimulaſſe, ut fraus vicino fieret; ea vero de cauſa fraudulentam denunciationem fuiſſe. Præterea S. C. viſum, pendente remedio producto adverſus decretum M. C., nequaquam peremptum terminum decem annorum, intra quem ex Conſtitutione *Sancimus* jus retractus experiri licet, ſi denunciatio venditionis tempore omiſſa fuerit; ab actore igitur peti prælationem poſſe: quoquo autem tempore denunciatio facta foret, cum vicini damno terminum non poſſe currere, ubi denunciatio fraudulenta eſſet, præſentem vero denunciationem manifeſte fraudulentam eſſe ob majoris pretii ſimulationem; id ipſa verba Conſtitutionis oſtendere, quo loco venditor denunciare jubetur, quantum pretii verus emptor ſine fraude dederit.

Quapropter S.C. pronunciavit, *quod D. Philippus Maſſamormile præferatur in emptione territorii empti per D. Joannem Matthæum Murena a D. Joſepho Sanſone, prout ex actis; ac proinde depoſitum ducatorum* 7000, *factum a dicto D. Philippo Maſſamormile, liberetur in beneficium ejuſdem D. Joannis Matthæi Murena, ſeu ejus declaratarii. Et reſpectu majoris pretii prætenſi per dictum Murena, infra quatuor dies audiantur partes, non impedita executione præſentis decreti, & facta per dictum D. Philippum obligatione de ſolvendo quicquid fuerit judicatum, viſo exitu termini.*

D. Amora Act. Mag. Paganus Scriba.

Verba de his fecit in S. R. C. D. Dominicus Potenza R. C. & cauſæ Comm.

In

In cauſa inter nonnullos intereſſe habentes ſuper Monte Maritagiorum inſtituto a qu. Fratre Hieronymo Vitelli, & magn. Gubernatores Regalis Eccleſiæ, & Hoſpitalis S. Nicolai prope Molum Adminiſtratores præfati Montis. Die 6. Februarii 1776.

ILl. Hieroſolymitanus Eques Frater Hieronymus Vitelli teſtamento anno 1605. confecto, deficientibus deſcendentibus maſculis ejus filiorum, qui Principis reſcripto legitimati fuerant, Caſtrucci ſcilicet, & Julii Cæſaris Vitelli, Alphonſum ex fratre nepotem ſubſtituit, ipſiusque deſcendentibus maſculis extinctis, ita diſpoſuit: *Iſtituiſco mio erede univerſale nella mia eredità e beni il Monte de' Maritaggi, quale fo ex nunc pro tunc, & a contra ſtabiliſco ed ordino; del quale ordino e fo perpetui Governadori, Protettori, ed Amminiſtratori il Protettore, e Maſtri della Chieſa, ed Oſpedale di S. Nicola della Carità di queſta Fedeliſſima Città di Napoli, li quali in detto caſo debbano i frutti della mia eredità convertire in maritaggi di figliole vergini, legittime e naturali, deſcendentino da detto Alfonzo, con dote a ciaſcuna di eſſe colli frutti di due annate dell' intiera mia eredità, ed in difetto di dette figliole di detto Alfonzo, o perchè non ce ne foſſero, o perchè non foſſero di età nubile, ſi convertano per detto Monte detti frutti in Maritaggi di figliole vergini della mia famiglia, a me più proſſime, legittime e naturali, con dote di docati 400 per una. Ed in difetto di tutte le predette, ſi convertano detti frutti per il detto Monte in maritaggi di figliole vergini, legittime e naturali a me più proſſime, diſcendenti da femmine legittime e naturali della mia famiglia, con dote a ciaſcuna delle predette di docati 400 per una. Ed in quelli anni, che non ce ne foſſe da maritare nulla delli detti diſcendenti dal detto Alfonzo, e non ci foſſe altra, che una di dette figliole ver-*

Subſidio dotali deſcendentibus ex fœminis, iiſque deficientibus, pauperibus Loci relicto, intelligenda eſt voluntas teſtatoris, ita ut vocatæ dicantur fœminæ deſcendentes per maſculos ex fœminis, ne locus omnino præcludatur pauperibus loci.

Addita lege reverſionis, pro carnali tantum matrimonio, non item ſpirituali dotale ſubſidium inſtitutum intelligitur.

vergini della mia famiglia, ed in difetto di quelle non ce ne foſſe altro, che una delle dette diſcendenti da femine a me più proſſime della mia famiglia, in tal caſo detto Monte debba dare a detta una per ſua dote e maritaggio un' intiera annata delli frutti della mia eredità. Ed in caſo che in un iſteſſo tempo concorreſſero più delle predette diſcendenti del detto Alfonzo, ad ognuna delle quali avendo effetto detto Monte, ſe li dovriano due annate delli frutti della mia eredità, ut ſupra; in tal caſo detti Protettore e Maſtri le debbano buſſolate, e quella a chi prima uſcirà la ſorte, abbia detto maritaggio, e poi nell' anni immediate ſeguenti l' abbiano quelle, che fuſſero ſtate buſſolate, non uſcite, e con oſſervarſi toties quoties ſuccedeſſe detto caſo. E quando in difetto delle predette diſcendenti dal detto Alfonzo in un iſteſſo tempo concorreſſero più, che foſſero in eodem gradu a me congiunte, e li frutti della detta eredità non foſſero in quell' anni ſufficienti per tutte loro; in tal caſo debbano detti Protettori e Maſtri buſſolarle, e quelle a chi prima uſcirà la ſorte, debbano detto maritaggio dare, e poi nell' anno ſeguente a quelle, che foſſero ſtate buſſolate, e non uſcite: E così debba oſſervarſi in infinitum, con farſi eſpreſſa menzione nelle loro cautele dotali, che ſe li pagano da detto Monte ordinato per me. E morendo le predette, che avranno detto maritaggio, o alcuna di eſſe ſenza figli legittimi e naturali, dette doti ſi reſtituiſcano al detto Monte; e non poſſano quelle, che così moriſſero, diſponere coſa alcuna, non oſtante la coſtumanza di Napoli, ma l' intiera loro reſtituzione ſi faccia al detto Monte, il quale, cioè i detti Protettore, e Maſtri debbano convertirle in compra, ut infra, in aumento di detto Monte, e così oſſervarſi toties quoties; Ed in difetto di dette figliole tanto diſcendentino dal detto Alfonzo, quanto di tutte altre figliole chiamate a detto maritaggio, ordine quo

ſupra,

ſupra, in tal caſo li frutti della mia eredità ſi debbano convertire in maritaggi di figliole onorate, legittime, e naturali di queſta Città di Napoli, povere, e vergini, che non ſiano ſtate a ſervizj di altri, eligende e nominande (mentre non ci ſaranno delle mie proſſime ut ſupra) per detti Protettore, e Maſtri di S. Nicola, con dote di docati cinquanta per una; le quali in caſo di loro morte ſenza figli legittimi e naturali, ſi debbano reſtituire al detto Monte, per farſene compra; e non poſſano diſporre di coſa alcuna, non oſtante la coſtumanza di Napoli. fol. 7. vol. 1.

Montis inſtitutione verificata, hæc duo in dubium revocabantur, an ſcilicet vocatæ intelligerentur fœminæ deſcendentes ex fœminis fœminarum familiæ Vitelli; & an puellæ vocatæ eadem dotalia ſubſidia obtinere poſſent, cum clauſtralem vitam eligerent. Judicio ordinarie expleto, auditis tam Gubernatoribus Ven. Eccleſiæ S. Nicolai Charitatis prope Molum, quam Curatoribus datis intereſſe habentibus, ſequens ſententia prolata fuit.

Referente R. Conſ. D. Hippolyto Porcinari cauſa Comm.

S. C. declarat: *In Monte maritagiorum inſtituto per qu. Ill. Commendatarium Ordinis Hieroſolymitani Fratrem Hieronymum Vitelli eſſe vocatas in infinitum fœminas tantum, deſcendentes ſemper per maſculos ex fœminis familiæ Vitelli, Angela ſcilicet, Laura, & Antonia filiabus qu. Alphonſi Vitelli, ac etiam ex Laura Vitelli ſorore prædicti qu. Ill. Commendatarii, ſervata tamen inter fœminas prædictas, deſcendentes ſemper per maſculos tantum, prælatione fœminis deſcendentibus ab Alphonſo Vitelli, juxta voluntatem Teſtatoris, & ſententiam S. C. diei 18. Auguſti anni 1735. fol. 95. proc. D. Bened. de Fraja: Ubi vero non extent, aut defecerint fœminæ prædictæ nubendæ, S.C. declarat maritagia ſemper deberi pauperibus puellis eligendis a magn. Gubernatoribus Ven. Eccleſiæ ſub titulo S. Nicolai Charitatis hu-*

jus

Digitized by Google

jus Civitatis, juxta in omnibus voluntatem præfati qu. Ill. Commendatarii. Nulla inſuper habita ratione inſtrumenti initi inter qu. D. Antonium Police, & magn. Gubernatores Ven. Eccleſiæ prædictæ diei 28. Februarii anni 1681. fol. 148. vol. 1. quoad monacagia in eo conventa præter voluntatem pii Teſtatoris; ab hodie in antea S.C. declarat maritagia tantum ſupradictis utriſque puellis vocatis eſſe præſtanda, ſi velint matrimonio carnali ſe copulare; & tempore earum nuptiarum maritagia denique prædicta, annuamque præſtationem a pio Teſtatore relictam Ven. Eccleſiæ ex nunc in antea deberi, pro modo præſentis ſtatus redituum Montis, pro quantitate declaranda per S. C.; pro qua declaratione fiat relatio S. R. M. juxta appuntamentum. Neutram partem in expenſis.

Cuique patebit ratio judicandi pro fœminis per maſculos ex familiæ Vitelli deſcendentibus tantum ex teſtamenti deſuper narrato tenore; numquam enim pauperibus puellis per Gubernatores Eccleſiæ S. Nicolai eligendis locus eſſet, ſi forte voluntas Teſtatoris extenderetur fœminis etiam per fœminas deſcendentibus a fœminis familiæ Vitelli: quod etſi huc uſque ſervatum fuerit, minime in poſterum ſervandum erat, adverſante Teſtatoris voluntate; maxime cum in præſenti judicio actum fuerit de cauſa ſtatus, poſt cujus judicatum quid perperam ante actum fuerit, jus facere non poteſt, ex *L. 12. & 14. de probat.*

Adverſari pariter Teſtatoris voluntati ſubſidia huc uſque præſtita pro Monialium dotibus exiſtimatum eſt, ex ipſius teſtamenti verbis, ob vetitam ſcilicet earum dotium puellis facultatem diſponendi, juſque reverſionis dotium Monti tributum: quæ omnia abſona erant a præſtatione dotium pro vita clauſtrali. Nec de inſtrumento inito anno 1686., quo eas deberi puellis vitam clauſtralem profeſſuris cautum fuit, ratio ulla haberi poterat, tum ex de-

defectu ſollemnium, quibus opus erat, ut Poſteritati conventio illa jus faceret, tum ob adverſam Teſtatoris voluntatem, quam juſtam ob cauſam Suprema tantum Poteſtas commutare poteſt. Ne tamen jus alteri huc uſque forſan quæſitum, conſtitutione jam facta dotium ſpiritualium non adhuc ſolutarum, quid detrimenti caperet, excluſio Monialium ex nunc in poſterum decreta fuit. Modus denique præſcribendus erat, ut attenuati reditus Montis in præſentiarum ferebant, tam præſtandarum dotium & fœminis vocatis, & pauperibus puellis per Gubernatores Ven. Eccleſiæ eligendis, quam annuæ largitionis ducatorum 25 iiſdem Gubernatoribus per Teſtatorem legatæ. Ne tamen quid attentaretur ipſius voluntati abſque ſupremæ Regiæ poteſtatis auctoritate, S. C. cenſuit Majeſtati Suæ ſuam referre ſententiam circa utrumque modum præſcribendum, ejuſque Placitum obſequentiſſime deprecari.

U.J.D. Joſeph Graziano Act. Mag. Del Duca Scriba:

In cauſa inter magn. Baronem D. Joſephum Mareſca cum ejus fratribus minoribus. Die 26. Februarii 1776.

D. Balthaxar Mareſca teſtamentum fecit, quo ſcripto herede nepote Barone Aſceæ D. Stephano Mareſca, hujus filio primogenito D. Joſepho Mareſca in hæc verba legavit: *Voglio che del denaro forſe in ſede di credito ſi ritroverà dopo mia morte, ſe ne debba dal detto Barone D. Stefano mio nipote ed erede come ſopra iſtituito, impiegare e convertire in compra di partite di Arrendamenti, prævia ceſſione juris luendi, ſeu di beni ſtabili, o annue entrade libere, e col patto di ricomprare quandocumque ducati* 15000, *quali laſcio a D. Giuſeppe Mareſca mio pronipote e figlio di eſſo Barone D. Stefano, procreato in coſtanza di legitimo matrimonio colla*

Conditio adjecta legato nuptias contrahendi conſenſu aviæ paternæ, utpote matrimonii libertati adverſa, rejicitur.

Legatum patrui magni, cum onere fideicommiſſi, conferendum non eſt in diviſione paternæ hereditatis, præcipue cum pater ejus teſtamento aliorum bonorum collationem

juſſerit, nullum autem verbum de legato fecerit.

colla qu. Baroneſſa d'Aſcea D.Teodora Santoro ſua prima moglie, il quale D.Giuſeppe ſia tenuto riſpettare ed obedire al detto Barone D. Stefano ſuo padre; a contemplazione del quale da me ſi fa il preſente legato; e non altrimente: da dover godere però il frutto di dette compre eſſo D. Giuſeppe dal giorno, che ſi caſerà in avanti, & in perpetuum, dovendo fare matrimonio decoroſo al ſuo ſtato e condizione, e col conſenſo in ſcriptis, e piacere così del detto Barone D.Stefano ſuo padre, che della Sig. D.Vittoria Carola ſua ava paterna, e mia cognata, perchè madre di eſſo Barone D.Stefano, e moglie di detto fu D.Giuſeppe mio fratello, ſapendo, che con la direzione delli medeſimi non potrà fare ſe non coſa piacevole al Signore; e decoroſa alla ſua condizione; e contravenendo il medeſimo D.Giuſeppe a queſta mia volontà, tanto direttamente, quanto indirettamente, debba rimanere ſtatim eſcluſo e decaduto dal beneficio e comodo di detto legato, ſenza poter allegare di eſſerſi fatto contra libertatem matrimonii, nè qualunque altra ragione, per cui poteſſe pretendere eſſergli dovuto, non oſtante la controvenzione, atteſo principalmente ho conſiderato la perſona di detto Barone mio nipote, e ſecondario la perſona di detto Sig. D.Giuſeppe, intendendo, che il preſente legato ſia al detto Sig. D. Giuſeppe compenſativo per qualunque parte, che gli ſpettaſſe ſopra la mia eredità pervenuta a detto D. Stefano mio nipote, ed a quello forſe accreſciuta dopo la morte del medeſimo, e non altrimente. Con dichiarazione però eſpreſſa, che il frutto di detti docati 15000 acquiſtandoſi per detto Sig. D. Giuſeppe in caſo di ſuo matrimonio, col conſenſo di detta Baroneſſa D. Vittoria, e Barone D.Stefano, come di ſopra, debbà cedere in conto di quello dovrebbe aſſegnargli il detto Barone D. Stefano ſuo padre per il ſuo mantenimento ed aſſegnamento, di modo che fra l'aſſegnamento, che gli farà

detto Barone D. Stefano ſuo padre, debba il frutto de' docati 15000 *eſſervi incluſo, atteſo così è mia eſpreſſa volontà:* ſubditque fideicommiſſum ſuper capitali prædicto favore ipſius D. Joſephi, ſuorumque deſcendentium maſculorum, hiſque deficientibus, vocavit maſculos deſcendentes ab aliis nepotis filiis maſculis ex ſecundo ipſius matrimonio procreatis.

Teſtamentum pariter condidit Baro D. Stephanus, quo inſtituto in feudalibus herede filio ſuo primogenito D. Joſepho, eum, cæteroſque ex ſecunda uxore ſuſceptos filios maſculos æquis partibus in bonis burgenſaticis ſcripſit heredes; hoſque conferre debere ducatos 30000. juſſit, quos contemplatione ſecundi matrimonii filius ex eo naſcituris donaverat.

Ex mutuis ipſius D. Joſephi petitionibus, ſuorumque fratrum minorum Curatoris exceptionibus, termino ordinario legitime concluſo, eo controverſia redibat, an ſubſtinenda eſſet conditio adjecta legato alterius arbitratu nuptias contrahendi, & an matrimonium initum per D. Joſephum cum D. Seraphina del Vecchio, ſuperſtitis aviæ paternæ D. Victoriæ Carola conſenſu præditum fuiſſet; legatumque ducatorum 15000, cum deberetur, an conferendum eſſet cum bonis burgenſaticis inter heredes qu. Baronis D. Stephani Mareſca dividendis. In hujuſmodi diſceptatione, inſpectis actis:

Referente R. Conſ. D. Hippolyto Porcinari cauſæ Comm.

S. C. pronunciavit: *Baroni Mareſca, ejuſque deſcendentibus, aliiſque vocatis deberi in bonis qu. D. Balthaxaris Mareſca, ſubjectum fideicommiſſo, legatum ducatorum* 15000, *ab eo relictum, una cum intereſſe duc. quatuor in ſingulos centum a die contracti matrimonii per præfatum magn. Baronem cum magn. D. Seraphina del Vecchio: Nec eſſe conferendum legatum prædictum inter bona hereditaria burgenſatica qu. Baronis D. Stephani Mareſca ipſius patris. Neutram partem in expenſis condemnando.*

Quam-

Quamvis exiſtimatum fuerit, aviæ paternæ non adfuiſſe conſenſum (qui in ſcriptis erat adhibendus) nuptiis etſi paribus Baronis D. Joſephi Mareſca cum D. Seraphina del Vecchio; conditionem tamen hujuſmodi conſenſus, utpote nuptiarum libertati adverſam, metuque pœnæ, non lucri ſpe a Teſtatore appoſitam, S.C. rejicere exiſtimavit, eaque non impleta, legatum deberi ex *l. 74. §. 4. de cond. & dem.*, & *L. 71. §. 1. D. eod.*

Conferri præterea legatum inter bona hereditaria qu. Baronis D. Stephani Mareſca, minime cenſuit, quia collatio, quæ ex novo jure locum habet, etiam in cauſa teſtati, *Nov. 18. cap. 6.*, unde ſumpta fuit *Auth. de teſtam. C. de collat.*, ad ea tantum pertinet, quæ ex bonis paternis profectitium filiorum peculium conſtituunt, *L. 21. C. de collat.*; cui quidem legatum, de quo agebatur, minime erat adſcribendum, tum quia ex alieno, patrui magni nempe, patrimonio debebatur, & onere fideicommiſſi gravatum, unde patri non quærebatur dominium, quo peculium conſtituitur profectitium, *Inſtit. lib. 1. tit. 9. §. 1.*; tum etiam quia adventitium potius dicendum erat, cum ſcriptum videatur ex pecuniis in Menſis nummulariis depoſitis, ideo patri relictis, ut filio daret, unde is ad præſtationem legati cogi poterat, juxta *L. Profectitia 5. §. 9. de jure dotium.*

His additum, eo minus collationi locum eſſe, non ſolum ex natura legati, quod ob injunctum fideicommiſſi onus ad uſumfructum tantum ducatorum 15000. beneficio legatarii cedebat ex die matrimonii, unde æqualitas inter filios, qua nititur collatio, ſervari non poterat, dum unus ex bonis communibus onere fideicommiſſi gravatam percipere tenebatur eamdem quantitatem, quam ceteri pleno jure percipiebant; ſed etiam ex præſumpta communis patris voluntate (quæ a juris Peritis, cum de collatione agendum ſit, ſummopere adhibetur) qua patet, cum ducatos 30000. filiis per ſecundam uxo-

rem

rem ſuſcipiendis donatos, collationi ſubjeciſſe; de patrui vero legato ducatorum 15000, primogenito filio relicto, ne verbum quidem feciſſe; unde jure præſumitur, eum noluiſſe conferri, *L.* 156. *de reg. jur. L. un. Cod. de caduc. toll. L.* 12. *de fundo inſtructo*.

Neque objicere valuit, cauſam legandi patris contemplationem fuiſſe, ut verbis diſertis ex eo habetur; imo voluiſſe Teſtatorem ne quid amplius ex bonis ſuis legatarius peteret, etiam patre defuncto; id enim quæſitæ collationi minime opitulabatur; cum patris favor legato adjectus, non eo ducendus erat, ut patri, non filio, Teſtator legaſſe videretur, unde profectitium legatum dici poſſet, ut ex *L.* 5. *§.* 5. *de jur. dot.*, *& ex L. Sed ſi plures §. in adrogato ff. de vulg. & pup. ſubſtit.* cautum dicebatur; ſed potius ne quid abſonum a juris mox narratis præceptis ſequeretur, referendus erat ad declaratam in eodem legato patris utilitatem, tam legati reditus computandi infra annuam præſtationem, cui tenebatur, ſi eo vivo filius uxorem duxiſſet, ut onera matrimonii ſuſtineret, quam facultatis ex legato ei tributæ libere diſponendi aliorum bonorum, ob adjectam eidem legato conditionem, eo tantum legatarium contentum eſſe debere pro omni jure, quod, etiam patre defuncto, ad eum ſpectaret; quodque bonorum ſuorum in diſtrictu hujus Civitatis medietatem uſque, Conſuetudinum ope, æquabat.

Et hinc perperam dicebatur, conferendum eſſe legatum, nè contra Teſtatoris voluntatem ex ipſius bonis legatarius reciperet ultra ducatos 15000 fideicommiſſo gravatos, eique relictos, ut aliorum paternorum bonorum, inter quæ erant Teſtatoris bona, fratrum coheredum patris portionem exæquaretur. Separanda enim erant utriuſque patrimonia. Ex illo D. Balthaxaris Marzeſca pluſquam ducatos 15000 Baro D. Joſeph percipere non poterat, idque æs alienum in hereditate patris conſtituebat,

quod

quod ante diviſionem inter heredes ab eo inſtitutos, detrahendum erat. Ex paterno autem teſtamento, & patrimonio (quod etiam ex aliis bonis conſtabat, & quibus addenda erant patrui magni bona, quæ hereditaria paterna cenſenda erant, dum pater ei ſucceſſerat; ſuaque fecerat) cum fratribus coheredibus æqualem portionem ex diviſione peragenda recipiebat.

Ut igitur & legatum deberi, & nec eſſe conferendum jure cenſuit S. C., ſic modum uſurarum legati a die contracti matrimonii debitarum, pro ducatis quatuor in ſingulos centum, tam ex more Regionis, juxta *L. 1. ff. de uſur. L. 39. de reg. jur.*, quam ex modo in diviſione ceterorum bonorum inter fratres ſervato, recte ſuſcepit.

Michael Priſcolus Act. M. Bernardus Priſcolo Scriba.

In cauſa inter D. Nicolaum Seſſa ex uno, & D. Ceciliam Santorelli ex altera. Die 13. Martii 1776.

Fratres, qui in communionem bonorum paternorum inciderunt, univerſalem ſocietatem contraxiſſe non videntur; ad quam contrahendam expreſſa voluntas requiritur.

D. Nicolaus Seſſa, & alii creditores qu. D. Antonii Criſcuolo judicium inſtituerant contra heredes D. Joſephi, fratris eorum debitoris, ex univerſali ſocietate, quam non ſtipulatione, ſed facto contractam aſſerebant ab illis, aliiſque fratribus D. Benedicto, D. Thoma, D. Dominico, & D. Laurentio. Nonnullas afferebant ſocietatis conjecturas, ex cohabitatione ſcilicet fratrum, victus, bonorumque communione deſumptas. Erant fratres Criſcuolo ex diverſis nuptiis ab eodem patre nati. D. Joſephus, qui ex matrimonio cum Gratia Dantola ortum habuerat, ex materna hereditate domum quamdam acquiſivit, quam, etſi ad ipſum tantum pervenatam, deſcripſit tamen in inventario, quod poſt patris obitum, etiam fratrum nomine confecit, atque cenſum, cui obnoxia erat, perſolvit quotannis Antonius. Hinc

Acto-

Actores affirmabant, vi ſocietatis univerſalis domus dominium fuiſſe a Joſepho fratribus ſuis conſanguineis communicatum. Iidem fratres Criſcuolo cum nuptui tradidiſſent ſororem Franciſcam anno 1688., doti paternæ ducatorum 600, ei teſtamento relictæ, alios 400 addidere, his adhibitis verbis: *Di proprj comuni denari, ſoſtanze, e facoltà di eſſi fratelli di Criſcuolo, per averno viſſuto, conforme al preſente vivono, in communi & indiviſo fra loro.* Et licet poſteriori dotali inſtrumento declaratum fuiſſet, verum dotis augmentum non exceſſiſſe 100, nam reliqua 300 fuerant ſimulate promiſſa; attamen creditores ex tranſcriptis verbis nitido eruere contendebant, unicum habuiſſe fratres patrimonium, quod ſociale vocitabant. Prænarrato inſtrumento aliud quoque addebant celebratum inter fratres Antonium, Joſephum, & Laurentium, qui anno 1721. cum diviſionem voluiſſent bonorum communium, aſſerere non dubitarunt: *Che ſin dalla morte del commun padre erano viſſuti in communi & indiviſo da buoni fratelli, ſenza niuna diſtinzione de' beni.* Ex his Antonii Creditores colligendum fore putabant, omnia cujuſque fratris de Criſcuolo mercaturæ lucra, quæſtus, univerſaque particulari titulo ab unoquoque illorum quæſita in ſocietatem fuiſſe collata. Re tamen bene perpenſa, ſententia diei 5. Maji 1772. S. C. declaravit, nullam fuiſſe inter fratres Criſcuolo omnium bonorum ſocietatem. Actores novo reclamationis judicio pro ſententiæ revocatione inſtiterunt, ac denuo de univerſali ſocietate contendentes, æris alieni ab Antonio contracti ſolutionem ab heredibus D. Joſephi petierunt.

Verum S. C., omnibus conjecturis ſerio itidem perpenſis, cenſuit cum *Paulo JCto in L. 4. ff. pro ſocio*, tunc bona particulari titulo quæſita communioni acquiri, cum *ſpecialiter omnium bonorum ſocietas coita ſit*; ſpecialem vero actum non aliter deprehendi poſſe, juxta veriorem cita-

citatæ legis ſententiam, quam ab expreſſa voluntate contrahentium; ſocietatis enim contractus licet re, verbis, & per nuncium perficiatur, ut *Modeſtinus* ait in *L. 4. pro ſoc.*, attamen univerſalis ſocietas, quæ ſociis adimit particulare dominium, omneſque ſociorum caſus miſcet, ac unum illis patrimonium conſtituit, non ex conjecturis, ſigniſque, ſæpe fallacibus, arguenda, ſed oportet, ut lucidiſſime, id eſt *ſpecialiter*, juxta citatam *Paulli legem*, appareat coita: quod nonniſi ab expreſſa voluntate contrahentium, colligi debet. Res autem geſtæ a fratribus de Criſcuolo, & a creditoribus enarratæ non probant, nec conjiciunt univerſalem ſocietatem. Joſephus propriam domum cum hereditati paternæ adſcripſiſſet, ex errore potius id feciſſe, compertum eſt; nec Antonium illius dominium quæſiviſſe, cenſum quotannis perſolvendo; liquet namque ex publico inſtrumento temporis non ſuſpecti, ſcilicet anni 1709., Joſephum eamdem domum uti ſuam, & maternæ hereditatis titulo quæſitam, vendidiſſe: ſocietas vero univerſalis, cum unus ex ſociis peculiari nomine quidquam gerat, ſibique habeat, contracta non videtur. Hoc idem confirmatur alio inſtrumento diviſionis peractæ anno 1698. inter Dominicum Criſcuolo ex una parte, alioſque fratres ex altera, ex quo liquet, Dominico non aliam portionem fuiſſe traditam, quam bonorum hereditariorum qu. Joannis Baptiſtæ, & Benedicti, patris, & fratris prædefunctorum: quæ ſane diviſio oſtendit, fratres in communionem incidiſſe bonorum paternorum, & fraternorum, non autem ſocietatem univerſalem facto contraxiſſe: quam quidem communionem fratres ipſi indicarunt anno 1688. in tabulis nuptialibus Franciſcæ ſororis, cum dotes augentes, aſſeruerunt: *avendo viſſuto, come al preſente vivono in communi & indiviſo fra loro*. Hinc Actoribus obſtare, luculenter patet, textum *Ulpiani in L. 31. Pro ſoc.*: *Ut ſit pro ſocio actio, ſocie-*

cietatem intercedere oportet, nec enim ſufficit rem eſſe communem, niſi ſocietas intercedat: communiter autem res agi poteſt, etiam citra ſocietatem: utpote cum non affectione ſocietatis incidimus in communionem, ut evenit . . . ſi hereditas, vel donatio communiter nobis obvenit . . . non ſocii futuri. Obſtare itidem, manifeſtum eſt, & alium *Ulpiani* textum in *L.* 52. *§.* 6. *eod. tit.*, cujus hæc ſunt verba: *Papinianus lib.* 3. *Reſponſorum ait: Si fratres parentum hereditates ideo retinuerint, ut emolumentum, & damnum in his commune ſentirent, quod aliunde quæſierint, in commune non redigetur*. *Scævolam* denique in *L.* 39. *§.* 3. *fam. erciſc.* ſic loquentem: *Filius Reipublicæ debita poſt mortem patris contraxit, fratri ſuo pro parte hereditaria reputare non poteſt, ſi non in omnibus ſocii eſſent, licet hereditatem paternam communem haberent*. Similiter interpretatum eſt noviſſimum inſtrumentum diviſionis celebratum anno 1721., nil refragantibus verbis: *erano viſſuti in communi, & indiviſo da buoni fratelli, ſenza neſſuna diſtinzione de' beni*; nam idem inſtrumentum nonnulla continet pacta, quæ oſtendunt, verba hæc prolata fuiſſe ad explicandam communionem, non ſocietatem univerſalem ante diviſionem. Joſephus enim, cum ipſe ſolus uxorem, filium, filiam, nurumque habuerit, ſuæ portionis damno imputavit, quæ alimentorum, vel dotis nomine erogata pro illis erant: Siquidem illiuſmodi imputatio communioni diſſolvendæ convenit, non item ſocietati univerſali, cujus eſt effectus, ut omnia, quæ in honorem alterius liberorum crogata ſint, ſociis imputentur, *L.* 73. *pro ſoc.* Additur inſuper, ſumptus pro nuptiis filii, non ex communi peculio, ſed ære proprio, Joſephum ſuppeditaſſe: *Con altra eſpreſſa dichiarazione, che per tutte le ſpeſe fatte nel matrimonio di eſſo D. Gio: Battiſta figlio di eſſo Signor Giuſeppe, eſſi Signori Antonio, e Lorenzo non poſſono pretendere coſ' alcuna,*

 per-

Digitized by Google

perchè non furono fatte dal peculio comune, ma furono fatte di proprio e privato danaro di eſſi Signori Giuſeppe, e Gio: Battiſta. En hic diſtinctio communis peculii ab ære privato & proprio Joſephi, quæ lucidiſſime oſtendit, verba antecedentia, *ſenza diſtinzione de' beni*, communioni eſſe referenda. *In ſocietate omnium bonorum omnes res, quæ coeuntium ſunt, continuo communicantur*, ait Paulus in *L.* 1. *§.* 1. *pro ſoc.*

Demum evidentiorem contra univerſalem ſocietatem argumentum præbent mercatura ab unoquoque fratrum proprio nomine ſemper geſta, & contractus, particularesque ſocietates unius, vel alterius fratris ſæpius & ſejunctim habitæ cum nonnullis, aliis fratribus irrequiſitis. Calliſtratus ait: *Cum ſeparatim ſocii agere cæperint, & unuſquiſque eorum ſibi negocietur, ſine dubio jus ſocietatis ſolvitur*: Quæ ſeparatæ negociationes cum ſufficiant ad contractam ſocietatem diſſolvendam, nulli dubium eſt, quin continuo obſtiterint tacitæ univerſali contractioni. Parcendum tamen erat refectioni expenſarum litis, tum quia temere litigantis nota taxandus haud erat, qui facti & juris dubiam cauſam fuit proſecutus, tum etiam quia priori ſententia Actores in litis expenſas damnati non fuerant; reuſque conventus in præſenti reclamationis judicio a refectionis expenſarum petitione abſtinuerit. Hinc

Referente R. Conſ. D. Hippolyto Porcinari cauſa Comm.

S. C. pronunciavit: *Bene fuiſſe judicatum ſententia diei 5. Maji* 1772. *fol.*460. *vol.*2.; *& male ab ea reclamatum per D. Nicolaum Seſſa. Neutram partem in expenſis condemnando; & proinde perpetuum imponendum eſſe ſilentium.*

Nicolaus Gerace Act. Mag. Daniele Scriba.

In

In cauſa magn. D. Franciſci, D. Portiæ, & D. Joannæ Boſco, ac D. Fabii, D. Iſabellæ, & D Joannæ Ungaro, cum magn. qu. D Carmela Amodio, & ſucceſſive cum magn. Barone D. Petro Picella nominibus ut in actis. Die 16. Martii 1776.

D. Magdalena Amodio Civitatis Sarni die 5. Martii 1708. publico inſtrumento donavit inter vivos D. Thomæ Amodio ſuo patri omnia bona ſibi undique quæſita, ſive quærenda, & præſertim hereditatem D. Dianæ Ungaro ſuæ matris jam tum defunctæ, ſibi ab inteſtato ex aſſe delatam, utpote ejus unigenitæ; ipſi reſervans tantummodo ex eadem hereditate ducatos 750, ad libitum diſtrahendos, alioſque 200 in emptionem annuorum redituum collocandos ad utendum fruendum *fol.* 276. *ad* 279. Deinde ingreſſa eſt Monaſterium quoddam Ordinis Dominicani, ibique, nomine ſibi adſcito Mariæ Archangelæ, ſeu Mariæ Gabrielis, vitam monaſticam profeſſa eſt. Sed ante profeſſionem, die ſcilicet 24. Aprilis anni 1709., præmiſſa declaratione, receptos ab ea fuiſſe ducatos 600 ex eis, quos ſibi in præcedenti donatione reſervaverat alienandos, præter ſummam aliorum 200 ex variis capitibus conſtantem ad utendum fruendum deſtinatam, *realiter*, ut ajunt, ſeu *abdicative* & *extinctive*, ac etiam per pactum *de non petendo*, ſeu *de non ſuccedendo*, renunciavit eidem ſuo patri quæcumque ad ſe, poſt mortem illius, ex ejuſdem hereditate ſpectarent, legitimam etiam, & paragium, ipſum hoc modo ab omni ſolvens obligatione, *fol.* 182. *ad* 185.

In liquidatione legitimæ ſicut nec partem, ita nec numerum facit filia, quæ vitam monaſticam profeſſa eſt.

Cum debitor legitimæ nullam moram contraxerit, cumque a legitimariis reſtituendæ ei ſint quædam ex rebus hereditariis, quaſi facta compenſatione, ad fructus non tenetur.

Filiabus heredibus inſtitutis, ac invicem ſubſtitutis, atque prælegato facto innuptis, ad æquandam earum conditionem cum ea, quæ nupta dotes recepit; in ſubſtitutione prælegatum non continetur.

Anno 1722. prædictus D. Thomas vita deceſſit, eique ſuperſtites extitere, præter dictam Monialem, quatuor aliæ filiæ, quas ſuſceperat ex ſecundis nuptiis cum D. Joanna Pagano, nempe D. Angela jam nupta D. Conſtantino Boſco, D. Nuntia, D. Roſa, & D. Carmela innuptæ. Quapropter poſtremis tabulis has quatuor æque inſtituit

 here-

Digitized by Google

heredes, eaſque invicem, abſque filiis decedentes, ſubſtituit; & quia prædictæ D. Angelæ, cum nupſerat, ducatos 300 in partem dotis, & nonnullas gemmas corrhedi nomine tradiderat; idcirco ad æquandam cum ea aliarum trium conditionem, juſſit, ipſas tres ante diviſionem hereditatis tantundem præcipere *fol.* 42. Prædictæ vero Moniali legavit tantummodo uſumfructum fundi cujuſdam poſiti in dicta Civitate Sarni, in loco nuncupato *le Chioppazze fol.* 41.

Hac hereditate ſecundum tabulas adita *fol.* 111., ejuſque bonis æſtimatis, deventum inter coheredes ad illorum diviſionem, atque unicuique ſua pars ex inſtrumento addicta *fol.* 82. Et mortua anno 1743. Moniali Maria Archangela, diviſa quoque inter ipſas fuere antedicta capita ducatorum 200, ab eadem Maria Archangela in enarrato donationis inſtrumento pro uſufructu reſervata, cum aliis ducatis 260 ex venditione fundi eidem legati perventis *fol.* 120.

His ita ſe habentibus, deceſſerunt primum cum filiis D. Angela, & D. Nuntia *fol.* 45., & poſt eas abſque filiis die 11. Junii 1757. D. Roſa *fol.* 47., ſuperſtite tantum D. Carmela: quare caſus pro hac extitit, in quem collata ſubſtitutio. De illis tamen bonis prædicta D. Roſa, poſt multorum etiam inter vivos alienationem, teſtata eſt, atque heredem inſtituens in ſolo triente ipſam D. Carmelam, in reliquo beſſe D. Franciſcum, D. Portiam, & D. Joannam Boſco, ac D. Fabium, D. Iſabellam, & D. Joannam Ungaro aliarum ſororum prædefunctarum filios pro æquis partibus inſtituit: dein cavit „ Si hæc
„ mea inſtitutio conſiſtere non poterit quod ad bona ab
„ hereditate paterna mihi delata, ſint heredes ex aſſe præ-
„ dicti de Ungaro, & Boſco, excluſa penitus D. Carme-
„ la; quo caſu iiſdem relinquo etiam legitimam, quæ de
„ illa hereditate jure mihi debetur *fol.* 11.

Sed D. Carmela hujuſmodi prorſus recuſata hereditate, inſtitit

ſtitit in M C.V., atque ab ea die 28. Martii ejuſdem anni 1757. decretum obtinuit, quo declaratum, bona ſubjecta prædictæ ſubſtitutioni a die obitus D. Roſæ, una cum fructibus, ad ipſam ſpectare *fol.*50.; & conſequenter die 2. Aprilis per Curiam Civitatis Sarni immiſſa fuit in poſſeſſionem quatuor fundorum inter bona prædicta in illa Civitate jacentium *fol.* 24.

Ex adverſo dicti de Ungaro, & Boſco eamdem hereditatem in S. C. deduxerunt, & petierunt primum decerni, ut penes ſequeſtrum deponeretur; deinde, mutato conſilio, ut ipſi in poſſeſſione tuerentur, & quatenus opus reſtituerentur; idque variis ex cauſis; ſcilicet quia enarrata ſubſtitutio nulla erat atque invalida; quia, etiamſi valida eſſet, valere quoque pro ipſis debebat, uti matrum prædefunctarum perſonas præſeferentibus; quia prædictæ ſubſtitutioni, uti adſeveraverunt, renunciatum tacite fuerat per ipſammet D. Carmelam; & quia omnia bona ſubſtitutioni ſuppoſita accipienda erant ab ejuſdem D. Roſæ heredibus, poſt factas etiam debitas detractiones, & præſertim legitimæ, & dotis maternæ ad illam pertinentium *fol.* 1. *&c.* In hoc tamen judicio poſſeſſorio Regius qu. Conſil. D. Franciſcus Carfora, cui fuit ejuſmodi cauſæ demandata cognitio, pro D. Carmela interloquutus eſt, & ſuper oppoſitis terminum impartitus *fol.* 104.; ejuſque interlocutionem S. C. confirmavit *fol.* 135.

Inter has moras die 16. Martii prædicti anni 1771. ad hujuſmodi diſtrahendas controverſias congreſſus habitus eſt inter duas Partes litigantes, intervenientibus utriuſque Patronis, nimirum D. Joſepho Sorge, & D. Fortunato Villani, qui inter cetera arbitrati ſunt, prædicta bona, ſubſtitutioni obligata, ad D. Carmelam pertinere; ex iis vero detrahendas pro heredibus qu. D. Roſæ petitas legitimam, & dotem maternam *fol.* 65. Quod ubi intellexit D. Carmela, uſque a die 15. Junii ejuſdem anni

1757.

Digitized by Google

1757. libellum edidit in M.C.V. *fol.57.*, quo ſolemniter proteſtata eſt, ſe non detrectare, neque unquam detrectaſſe heredibus D. Roſæ legitimæ, & dotis maternæ ſolutionem; ſed quia nemo illuc uſque ipſius teſtamentum agnoverat, & conſequenter nemo aderat, cui ſolvi utraque poſſet, nullam idcirco moram ſibi poſſe imputari, neque fore imputandam; uſquequo illius heres extaret, atque ideo ad nullas uſuras ſe poſſe in poſterum teneri. His addidit, ex bonis vi paternæ ſubſtitutionis ſibi reſtituendis quatuor tantum fundos accepiſſe; cetera aut per ipſam qu. D. Roſam diſtracta, aut ab iiſdem Actoribus, aliiſve habentibus ab illa cauſam detineri: quapropter imputari petens in legitimam, & dotem, quæ ex illis bonis paria eſſent earumdem exſolutioni, & reliqua reſtitui; hac etiam de ratione proteſtata eſt, ſe ad nullas uſuras, ſeu fructus poſſe in poſterum obligari *fol. 56.*; atque hujuſmodi proteſtationem poſthac etiam in S.C. iteravit *fol. 59.*

Deinde die 10. Januarii 1766., cauſa plenius per S. C. poſt terminum expletum in petitorio examinata, promulgata fuit quæ ſequitur, ſententia: ***D. Carmelam Amodio abſolvendam eſſe ab impetitis per fratres de Ungaro, & Boſco pro prætenſa remiſſa ſubſtitutione, ut ex actis: Pro detractionibus vero ab iiſdem prætenſis, Scriba cauſæ, Partibus requiſitis, referat omnia hinc inde deducta ad finem providendi; qua relatione pendente, eadem D. Carmela non alienet bona, ut ex actis, & ſe obliget reſpectu fructuum: ſalva proviſione facienda ſuper ſequeſtro per S. C. fol.*** 149.

Qua ſententia in judicatum tranſacta, cum facienda eſſet per Scribam cauſæ ei demandata relatio, per dictos de Ungaro, & Boſco petitum fuit, ut is idem referret, ex bonis per qu. D. Thomam Amodio ſubſtitutioni ſuppoſitis detrahendas eſſe pro heredibus qu. D. Roſæ ejus filiæ ſequentes quantitates; ſcilicet primo ducatos 125. pro

pro quarta parte ad eam ſpectante dotis qu. D Johannæ Pagano ſuæ matris, una cum fructibus a die obitus ipſius D. Roſæ; ſecundo legitimam, una quoque cum fructibus bonorum hereditariorum dicti qu. D. Thomæ; atque hanc in ſemiſſe taxandam, computata ad ſupplendum numerum ſemiſſi præſtitutum ſupradicta Moniali Maria Archangela, ſuccedendi licet incapace; & taxandam inſuper in quolibet ceſpite, atque inſpecto etiam præſenti bonorum pretio, cum omni incremento, & acceſſione; tertio prælegatum ſupradictum ducatorum 300, non modo tanquam immune a ſubſtitutione, ſed ne imputandum quidem in legitimam; quarto alterum prælegatum ſuperius etiam memoratum nonnullarum gemmarum; quinto tandem ducatos 90 per qu. D. Roſam ſolutos D. Nicolao, & heredibus qu. D. Johannis, & D. Vincentii Ungaro, in tranſactionem cujuſdam controverſæ vetuſtæque actionis per ipſos de Ungaro ſuſcitatæ *f. l. 167. &c.*

Ex adverſo D. Carmela referri poſtulavit, ex ducatis 500 dotalibus qu. D. Joannæ Pagano, 100 jam alienatos per ipſam D. Joannam; quapropter quartam partem ſpectantem ad heredes qu. D. Roſæ ejus filiæ quantitatem tantummodo ducatorum 100 importare: legitimæ nomine trientem deberi, non ſemiſſem; præfata enim Maria Archangela neque ad numerum, neque ad partem faciendam poterat admitti; quandoquidem neque per ſe, quippe Monialis, neque per alium, ob renunciationem ipſius patri *reali & extinctivo* modo jam factam, capax fuerat ſuccedendi: deberi eamdem legitimam in pecunia, haud vero in quolibet ceſpite, propter alienationes præſertim a prædicta D. Roſa jam factas, atque in legitimam imputandas: deberi demum, inſpecto pretio bonorum tempore mortis ipſius D. Thomæ; quoniam tunc temporis eadem legitima debebatur: neque ad uſuras, neque ad fructus ſe poſſe obligari; tum quia nulla mora

ra dici poterat per ſe facta; tum quia habenda erat ratio fructuum bonorum ſibi viciſſim reſtituendorum; tum ob ſupra enarratas etiam ſuas proteſtationes: prædicta duo prælegata, aut comprehenſa in ſubſtitutione, aut, niſi comprehenſa, in legitimam imputanda. Et præter huc uſque enarratas exceptiones, referri quoque petiit has mutuas actiones, ſeu reconventiones; ſcilicet ſibi reſtituenda permulta bona, quæ cum onere præfatæ ſubſtitutionis pervenerant ad D. Roſam ex paterna hereditate, & ſolvendam etiam ratam ducatorum 500, qui prædictæ D. Roſæ donati fuerant in augumentum ſuæ dotis per qu. D. Franciſcum Amodio communem patruum, cum illa conditione, ut de ſola tertia parte ei teſtari liceret *fol.* 171.

Hiſce omnibus a Scriba cauſæ relatis, in relationis diſcuſſione decrevit die 24. Aprilis 1778. Regius Conſiliarius Mauri ſucceſſor, deberi heredibus declarandis qu. D. Roſæ tum ducatos 125, quartam partem dictæ dotis ducatorum 500 qu. D. Joannæ Pagano, tum legitimam bonorum hereditariorum qu. D. Thomæ Amodio; deductis tamen quantitatibus receptis: & quod ad aſſertionem per dictam D. Carmelam factam, ducatos 100 ex prædictis 500 alienatos fuiſſe per dictam qu. D. Joannam, terminum impartitus: cetera S. C. cognitioni reſervavit *fol.* 244. Atque hujuſmodi decretum utraque Pars tacite adgnovit.

Ad hæc inſtantes in M. C. V. prædicti de Ungaro, & Boſco die 17. Julii 1771. declarati fuerunt heredes ex teſtamento ſupradictæ qu. D. Roſæ; nunquam tamen de hujuſmodi declaratione D. Carmelam certiorem fecere; ſed vix nuper in præſenti anno 1776. ejuſdem documentum penes acta prodiderunt *fol.* 263.

Interea deceſſit ipſa D. Carmela, ejuſque hereditatem ab inteſtato adiit Baro D. Petrus Picella ejus filius, qui nunc eſt in judicio *fol.* 265. Eoque petente, eidem Scribæ cau-

cauſæ alterà demandata relatio; ex qua liquet, quæ res ex prædictis ſubſtitutioni obligatis poſt mortem D.Roſæ reſtitutæ fuerint D. Carmelæ, quæ reſtent reſtituendæ; & liquet inſuper diſtincte & ſingillatim, quænam, ex iiſdemmet non reſtitutis, ab ipſa qu. D. Roſa vel vivente fuerint alienatæ, vel moriente legatæ *fol.*270.

His omnibus perpenſis, S. C., quod primum attinet ad legitimam, pro indubitato habuit, ſupradictam Mariam Archangelam in ea taxanda minime connumerandam; ipſa enim, quippe Monialis, *mundo erat jam mortua*, *Cap. Placuit*, *cauſ.* 16. *qu.* 1. *L.* 53. *C. de Epiſc. & Cler.*, itaut, niſi illa ante profeſſionem renunciaſſet, in locum ejus patri defuncto Monaſterium ſucceſſiſſet, *Novell.* 5. 76. & 123., unde ſumptæ *Auth. Ingreſſi*, & *Si qua mulier C. de Sacroſ. Eccl.*: neque pro ipſa poſſe alium connumerari; quandoquidem prædicta renunciatione illa in neminem ſua jura tranſtulerat, patrem ipſum, de cujuſmet futura ſucceſſione renuncianda agebatur, per pactum de non petendo, ſive de non ſuccedendo, ab omni ſolvens obligatione. Quapropter, cum ex quinque filiabus, quæ prædicto patri ſupervixerunt, quatuor tantum reſtent connumerandæ, legitimam cenſuit, ſecundum *Novell.* 18., taxandam in triente.

Quemadmodum tamen S.C. id juſtum exiſtimavit; ita juri quoque putavit conſentaneum, omnia bona, & præſertim materna, quæ prædicta Monialis, antequam in Monaſterium ingrederetur, patri donaverat, utpote quæ patrimonium paternum jam adauxerant, ad augendam etiam, in triente licet, legitimam, in illius hereditate computari; immo, quidquid dicta Monialis utcumque a patre accepiſſet, in eamdem hereditatem cenſuit conferendum, exceptis tantum, quæ ipſa, etſi ab illo accepiſſet, ſibi tamen in eodem donationis inſtrumento ex maternis bonis jampridem reſervaverat. Inſuper imputandos cenſuit in eamdem legitimam ducatos 115, qui

 poſt

poſt mortem dictæ Monialis ad D. Roſam pervenerunt ex 200 per eamdem Monialem ſuo patri donatis, reſervato uſufructu, atque ex venditione ſupradicti territorij *le Chioppazze*, eidem Moniali per ipſum patrem legati ad utendum fruendum: illi enim, etſi ad ipſam D. Roſam pervenerint poſt mortem dictæ Monialis, quæ ab illis uſumfructum, quoad vixit, percepit; fuerunt nihilominus paternæ hereditatis obventio. Et cenſuit tandem, liquidandam juxta pretium bonorum in tempore obitus prædicti D. Thomæ, quemadmodum etiam ſupradicti D. Joſeph Sorge, & D. Fortunatus Villani arbitrati ſunt; quia legitima eſt portio filiis debita bonorum, quæ patris fuerunt ſuæ mortis tempore, & conſequenter quidquid illis poſtea vel accedit, vel decedit, eam profecto neque auget, neque minuit. *L. Si patronum 44. D. de bonis libert.*, *L. Cum quæritur, & Auth. noviſſima C. de inoff. teſtam.*

Quod ad uſuras vero, ſive fructus legitimæ, ac etiam dotis per dictos de Boſco, & Ungaro prætenſos, S. C. ab iis abſolvendam cenſuit D. Carmelam; aut enim prætenduntur ex cauſa moræ, & nullam moram eam feciſſe fatendum eſt; quandoquidem ipſa poſt mortem D. Roſæ paratam ſtatim ſe exhibuit dictam dotem, & legitimam ſolvendi his, qui ejuſdem D. Roſæ hereditatem adirent, quique viciſſim reſtituere ſibi debebant bona omnia prædictæ ſubſtitutioni ſubjecta: ipſi autem de Ungaro, & Boſco in deliberando cunctati ſunt uſque ad diem 17. Julii 1771., quo per M. C. heredes declarati ſunt; neque poſt hujuſmodi aditionem ſive declarationem fecerunt de ea certiorem prædictam D. Carmelam. *L. 21. D. de uſur. & fruct.* Sin autem petuntur ex eo, quod D. Carmela ex dicta pecunia fructus perceperit; & neque ex hac cauſa debentur; ſiquidem id nullimode probatum. Præterquamquod ex proteſtatione per eamdem D. Carmelam iterum atque iterum in ſuis libellis

facta,

facta ; & a prædictis de Ungaro , & Boſco tacite admiſſa , ſcilicet mentem ſibi eſſe, ab omni ſolvi obligatione uſurarum ſive fructuum , tum ob moram ipſorum in deliberando, tum propter uſuras & fructus, ſive amiſſos, ſive amittendos rerum ſibi viciſſim reſtituendarum, inducta eſt, veluti ex pacto, tacita antycreſis; fructuumque rerum reſtituendarum , cum hujuſmodi uſuris, ſeu fructibus compenſatio . His accedit , idem S. C. , ſummatim licet, cognoviſſe ex inſtrumentis *fol.*82. *&* 120., & relatione Scribæ cauſæ *fol.* 270. , bona viciſſim reſtituenda prædicto Baroni D. Petro Pitella paris circiter eſſe pretii cum legitima, & dote per ipſum ſolvendis, & per conſequens uſuras & fructus eſſe fere coæquales, quapropter, ceteris etiam ſepoſitis rationibus, boni Judicis officio competere animadvertit , ad reſecandas lites , & inutilia diſpendia , quæ ad patefaciendam adamuſſim utrorumque quantitatem forent neceſſaria , eos viciſſim ab ipſis abſolvere.

Quod ad prælegata ducatorum 300 , & gemmarum , in comperto habuit S. C. , non comprehendi in ſubſtitutione per qu. D. Thomam præcepta ; quia cum relicta ab eo fuerint unicuique ex filiabus innuptis, conſideratione totidem ducatorum 400, & gemmarum dotis , & corrhedi nomine donatarum filiæ jam nuptæ, atque ita ad æqualitatem inter omnes ſervandam ; quemadmodum hæc, nulla ſine conditione jam data, non poterant ab ipſo ſubſtitutionis vinculo obligari ; ita etiam , quoniam voluit, ut par in omnibus eſſet illarum cum hac conditio ; dicendum eſt, noluiſſe itidem prælegata ipſis relicta ſubſtitutioni ſupponere: ſecus imparis forent conditionis . Cenſuit tamen imputanda in legitimam , tum quia teſtamento relicta, *L. Omnimodo* 30. *& L. Scimus antea* 36. *C. de inoff. teſtam.* , *L. Etiam* 3. *§. ſi debita* 15. , *L. Libertas* 20. *§. libertas* 2. *& ſeq. Dig. de bon. libert.* , tum quia relicta ad æquiparanda , quæ , inter vivos li-

cet donata, quod donata tamen erant, non meræ liberalitatis cauſa, ſed dotis nomine, & nuptiarum gratia, conferri quoque debuiſſent, atque in legitimam imputari, *L. Illud* 20. *& Auth. ex teſtamento C. de collat. L. Quoniam Novella* 29. *C. de inoff. teſtam.*

Et quod demum ad quintam detractionem ducatorum 90, qui per qu. D. Roſam ſoluti fuere, ut ſupra innuimus, D. Joanni, aliiſque de Ungaro, S. C. minime dubitavit illius heredibus reficiendos; conſtat enim ex inſtrumento, cum conſenſu coheredum qu. D. Thomæ Amodio, inter quas ipſa fuit D. Carmela, ad levandam onere hereditatem ab illa ſolutos *fol.* 193.

Contra ex reconventionibus qu. D. Carmelæ, ſive Baronis D. Petri Picella ejus filii & heredis adverſus prædictos de Ungaro, & Boſco, juſtam perſpexit S. C. eam, quæ reſtitutionem reſpicit bonorum ſubſtitutioni ſubjectorum; quandoquidem ipſi declarati jam ſunt heredes qu. D. Roſæ; imo, tamquam ejus heredes, ſupradictas petiere detractiones. Et quia ex iis permulta, ab ipſa quippe D. Roſa vel inter vivos alienata, vel teſtamento relicta, reficienda cognovit; atque eorumdem ad D. Carmelam, ejuſque heredem, utpote dominam, omne incrementum, atque acceſſionem pertinere; idcirco mobilia, quæ incrementum accipere non poterant, reficienda putavit juxta æſtimationem, quam conſtat ex actis factam tempore obitus prædicti D. Thomæ; res autem ſoli, ſive immobilia, juxta præſens ipſorum pretium, quod cum ex actis non conſtet, probandum cenſuit. Ab uſuris vero & fructibus eorumdem bonorum abſolvendos cenſuit, conſideratione, ut dictum eſt, aliarum uſurarum & fructuum legitimæ, & dotis per ipſos viciſſim petitorum.

Alterius autem reconventionis de rata ducatorum 500 per qu. D. Franciſcum Amodio in augumentum dotis donatorum prædictæ D. Roſæ, quia plura utrinque adduce-

ban-

Digitized by Google

bantur non bene dilucidata, idcirco S. C. deciſionem cenſuit ſuſpendendam. Hinc pronunciavit,

Referente R. Conſ. D. Joſepho Mauri cauſa Comm.

Decretum diſcuſſionis interpoſitum ſub die 24. Aprilis 1770. fol. 244. exequatur reſpectu dotium D. Joannæ Pagano, & explicando proviſionem reſervatam reſpectu intereſſe earumdem dotium, magn. Baro D. Petrus Picella heres D. Carmelæ Amodio non moleſtetur.

Quoad liquidationem legitimæ, ejuſque intereſſe, debitæ qu. D. Roſæ Amodio, explicando proviſionem reſervatam in eodem decreto diſcuſſionis, remaneat legitima prædicta liquidata in triente bonorum hereditariorum qu. D. Thomæ Amodio patris, ſtante renunciatione Sororis Mariæ Archangelæ Amodio in beneficium ejuſdem D. Thomæ; pro quo effectu portio, bona, & jura ſpectantia eidem Moniali augeant patrimonium paternum, & in eo computentur pro liquidatione legitimæ ipſius D. Roſæ; deductis tamen quantitatibus per eamdem reſervatis, atque in ejus monacatione expenſis; ac imputatis pariter in legitima prædicta ducatis 115, poſt ejus obitum obventis eidem D. Roſæ. Verum liquidatio legitimæ prædictæ fiat juxta appretium bonorum ſequutum poſt obitum D. Thomæ patris, & ad normam inſtrumenti diviſionis ſtipulati in anno 1725. fol. 82., etiam pro exequutione tertii capitis contenti in judicio duorum arbitrorum Sorge, & Villani fol. 65.; & tandem pro hujus legitimæ intereſſe, idem Baro D. Petrus Picella non moleſtetur.

Explicando pariter proviſionem reſervatam in eodem præcitato decreto diſcuſſionis, non comprehendantur in ſubſtitutione ordinata per D. Thomam teſtatorem omnia prælegata relicta in ejus teſtamento fol. 41. Verum eadem computentur in patrimonio paterno; & quantitas, aliaque bona eidem D. Roſæ prælegata imputentur in liquidatione ejus legitimæ.

Ac pariter, explicando etiam proviſionem reſervatam in eodem

dem decreto diſcuſſionis, admittantur inter onera hereditaria qu. D. Thomæ ante liquidationem legitimæ in beneficium heredum præfatæ D. Roſæ ducati 90, per eam ſoluti creditori hereditario, ut ex inſtrumento, & comparitione fol. 192.

Inſuper heredes ejuſdem D. Roſæ reficiant in beneficium præfati Baronis D. Petri Picella, abſque intereſſe uſque ad præſentem diem, bona ſubjecta ſubſtitutioni a dicto D. Thoma ordinatæ, etiam vigore ſententiæ anni 1766. bona ſcilicet ſive alienata, ſive per eamdem D. Roſam diſpoſita; pro quorum bonorum pretio liquidando, quoad ſtabilia in biduo audiantur Partes, quo vero ad mobilia attendatur idem appretium bonorum ut ſupra enunciatum, ſecutum poſt obitum D. Thomæ patris, ut ex præcitato inſtrumento diviſionis ſtipulato in anno 1725. fol. 82., etiam in vim tertii capitis contenti in judicio arbitrorum Sorge, & Villani fol. 65.; Et proinde ad normam præcitati inſtrumenti diviſionis fiat calculus per Scribam cauſæ Partibus requiſitis, ad finem providendi, ſalvis juribus heredibus prædictis de Boſco, & Ungaro contra quos decet.

Demum reſpectu ratæ prætenſæ per viam reconventionis, & principalis actionis nedum per D. Carmelam Amodio, verum etiam hodie per ejus heredem, ſuper ducatis 500 in augumentum dotium conſtitutis a D. Franciſco Amodio in beneficium prædictæ D. Roſæ, inſpecto capite 10. comparitionis per capita præſentatæ pro parte D. Carmelæ Amodio fol. 174.; inſpecta quoque præcitata prima relatione Scribæ cauſæ fol. 228., ac eodem decreto diſcuſſionis Domini cauſæ Commiſſarii, cum proviſione reſervata ſuper capitibus 6. & 7. relationis fol. 245., Partes informent ad finem providendi.

In

In cauſa D. Horatii Aprile cum D. Joſepho Riccio. Die ... Martii 1776.

Priori donationi præfertur ſecunda, cum conſtet, liberam diſponendi facultatem non habuiſſe donantem ubi primum donavit.

D. Catharinæ Aprile, quæ nuptui tradebatur D. Franciſco Antonio Stefanelli, dotes conſtitutæ fuere ab ejus patre D. Dominico, ejuſque fratre Rev. D. Joſepho, tam in nonnullis mobilibus, quam in ſtabilibus omnibus per dotantes poſſeſſis, pro medietate tamen conjugii tempore, proque altera medietate poſt eorumdem dotantium obitum conſequendis, hoc disertim adjecto pacto: *che morendo la detta D. Catarina dopo la morte di eſſi, o ancora eſſi viventi, poteſſe la ſteſſa diſporre di tutta la roba ſita nel feudo di Minervino. E riſpetto alla roba di Muro debba ſuccedere il Rev. Capitolo di Muro*, prout patet ex tabulis nuptialibus anni 1729. *fol.* 25. *vol.* 1.

Anno 1740. præfatus Rev. D. Joſephus teſtamentum fecit, quo in eiſdem bonis in terra Muri poſitis, inſtituit heredem ex aſſe eamdem D. Catharinam, cui tamen morienti ſine filiis ſubſtituit Rev. Capitulum Terræ Muri *fol.* 238.

Donationem anno 1757. eadem D. Catharina, vivente adhuc ejus fratre D. Joſepho, pro D. Horatio Aprile ejus pronepote ſtipulata eſt, his verbis concepta: *dona irrevocabilmente tra vivi tutta la ſua parte, e porzione, che poſſede in comune coll' Arciprete D. Giuſeppe ſuo fratello sì di ſtabili, mobili, caſamenti, ſemoventi, ed altro, sì di beni paterni, fraterni, e zierni, che ad eſſa in qualſivoglia modo le potranno ſpettare per qualſivoglia titolo, ragione, e cauſa. fol.* 238.

Alteram donationem anno 1770. eadem D. Catharina fecit D. Joſepho Riccio, ejus pariter pronepoti, bonorum quæ uti heres ejus fratris D. Joſephi (infirmata ob ſaluberrimam legem Regiam anni 1769. in beneficium Rev.

Rev. Capituli Terræ Muri ſubſtitutione) acquiſiverat *fol.* 5.

His poſitis, judicium in S. R. C. inſtituit D. Joſephus Riccio, ut non turbaretur a poſſeſſione bonorum in poſtrema donatione contentorum. Contra D. Horatius Aprile objecit, hujuſmodi donationem nedum extortam, verum etiam nullam irritamque fuiſſe: quippe quæ bona ſibi antea ab eadem D. Catharina donata, atque fideicommiſſo qu. D. Pompeji Aprile in ejus beneficium obnoxia complectebatur *fol.* 1.

Sententiam (probationibus per utramque partem inſtructis) die 14. Maji 1774. S. R. C., referente Regio Conſil. Marchione Mauri, pronunciavit, qua conventus D. Joſephus Riccio abſolutus fuit ab impetitis pro parte D. Horatii Aprile *fol.* 246.

Reclamatione autem per dictum D. Horatium contra hujuſmodi ſententiam propoſita *fol.* 1. *vol.* 2.; atque re denuo perpenſa,

Referente eodem Regio Conſil. D. Joſepho Mauri cauſæ Commiſs.

S. R. C. declaravit: *Bene fuiſſe judicatum in ſua ſententia diei* 14. *Maji* 1774. *fol.* 246. *vol.* 1., *& male fuiſſe reclamatum per D. Horatium Aprile in præcitato ejus ſupplici libello fol.* 1. *Verum S.R.C. declarat, bona mobilia deſcripta in tabulis nuptialibus anni* 1729. *qu. D. Catharinæ Aprile fol.* 25., *eſſe comprehenſa in inſtrumento donationis initæ anno* 1757. *ab eadem D. Catharina in beneficium præfati D. Horatii: ac proinde eſſe condemnandum D. Joſephum Riccio ad ei reſtituenda bona prædicta; ſalvis juribus, ſi quæ competunt eidem D. Horatio in alio judicio pro prætenſo fideicommiſſo qu. D. Pompeji Aprile, exhibito per eundem D. Horatium legali atque authentico exemplari teſtamenti prædicti qu. D. Pompeji. Neutram partem in impenſis &c.*

Tria erant, quæ per D. Horatium Aprile objiciebantur:

I. In donatione per D. Catharinam pro D. Joſepho Riccio

cio ſtipulata complecti bona ſibi prius ab eadem D. Catharina donata. At exceptis mobilibus in tabulis nuptialibus ejuſdem D. Catharinæ deſcriptis, eique traditis, ac proinde in donatione anni 1757. pro eodem D. Horatio comprehenſis (pro quibus in hac ſententia eſt proviſum) aliter S. R. C. viſum fuit. Siquidem ex tabulis ipſis nuptialibus, atque ex teſtamento Rev. D. Joſephi Aprile liquido conſtat, ipſam D. Catharinam minime pro ſuo arbitrio uti potuiſſe bonis Muri poſitis, cum moriente eadem ſine filiis, in illis bonis pro Rev. Capitulo Muri ſubſtitutio adeſſet, quæ deinde anno 1769. virtute legis Regiæ evanuit. Si igitur tempore donationis perfectæ pro D. Horatio Aprile nullum jus erat D. Catharinæ donanti in bonis prædictis, nullum jus pariter ad donatarium transferri poterat, *L. Nemo* 55. *de reg. jur.* Hinc Pomponius ait: *Donari non poteſt, niſi id, quod ejus ſit, cui donatur*, *L.* 9. *§. donari de donat.* *Neque videntur data, quæ eo tempore, quo dantur, accipientis non ſiunt*, *L.* 128. *de reg. jur.*

Præterquamquod ex ipſius donationis verbis: *dona la ſua parte e porzione, che poſſede in comune &c.*, clare eruitur, D. Catharinam non donaſſe anno 1757., niſi id quod tempore donationis *ſuum* dici poterat. Siquidem nomen poſſeſſivum *meum tuum* præſens, non futurum tempus oſtendit, *L.* 8. *de auro*, *& arg. leg.*

Neque obſtare viſum fuit verba illa generalia donationis, *in qualſivoglia modo le potranno ſpettare:* conſequuntur ſiquidem verba illa verba præcedentia: *la ſua parte e porzione, che poſſede in comune &c.* Et alioquin in jure certum eſt hujuſmodi verba generalia ad bona donationis tempore per donantem poſſeſſa, vel ut maxime ad bona ex cauſa de præterito ipſi debita, poſſe referri, non vero ad futura, ſive ex cauſa de futuro in poſterum acquirenda, *L. ult.* *§. qui indiviſam de legat.* 2.

Opponebatur ſecundo, donationem anni 1770. a D. Joſe-

pho Riccio dolo, ac fraude fuiſſe extortam. Sed probationibus per D. Horatium Aprile inſtructis attente perpenſis, neutiquam de hujuſmodi fraude & dolo conſtare S. R. C. viſum fuit. Hinc actore non probante, reus erat abſolvendus, *L. 9. Cod. de act. & obligat.*, *L. 2. C. de probat.*

Tertio tandem objiciebatur, bona D. Joſepho Riccio donata, fideicommiſſo per D. Pompejum Aprile anno 1705. conſtituto eſſe obnoxia. At cum ſcriptura hujuſmodi prætenſi fideicommiſſi *fol.* 134. non paucis laborare vitiis aperte viſa fuit, præſertim cum non ex authentico, ſed ex indice, & exemplo non legali educta fuerit; hinc jure merito S. R. C. cenſuit jura, ad eundem D. Horatium pro hujuſmodi prætenſo fideicommiſſo forſan ſpectantia, alio ſervanda judicio, exhibito per eumdem D. Horatium illius teſtamenti legali atque authentico exemplari, *L. 2. de fide inſtrum. L. 17. C. eod.*

Neutram tamen partem ad litis impenſas damnandam, idem S. R. C. judicavit, cum explorati juris ſit, ad has tantummodo teneri temere litigantes, *L. 4. C. de fruct. & litis expenſis*, *§. 1. n. 38. Reg. Conſtit. anni* 1738.: quod in hac cauſa, ob primæ ſententiæ partem in eo, quod mobilia tangebat, temperatam, neutiquam habere locum videbatur.

In cauſa magn. D. Raphaelis Folliero cum magn. D. Petro Folliero ejus fratre. Die 27. Martii 1776.

Vitalitio legato filiis relicto ea lege, ut ſi a matre diſceſſerint, legatum idem minuatur; matre defuncta, indeminutum deberi exiſtimatur.

D. Petrus Folliero ſolvat in bonis hereditariis qu. D. Joannis Folliero in beneficium D. Michaelis ejus fratris, a die obitus pro nunc qu. D. Juliæ Saracino communis matris, alios annuos duc. 100, ultra duc. 200 ſolvendos virtute decreti S. C. fol. 77.; & ab hodie in antea, durante vita ipſius D. Michaelis, ei ſolvat annuos

Digitized by Google

nuos duc. 300; *ſalva proviſione facienda reſpectu præteritorum annuorum duc.* 300, *uſque ad mortem matris. Nihil in expenſis.*

Juſſerat communis pater in ejus ultimo elogio, filiis ſecundogenitis annuos ducatos 300 deberi, adjecta conditione: *che convivano ſempre colla loro Signora Madre con ſomma concordia, ed uniti: e che quando elaſſa la loro minore età, e tempo ſtabilito dalle leggi, alcuno di eſſi miei figli voglia dividerſi dal comune convitto, abitazione, tavola, e ſervitù, debba detrarſegli dalla ſua porzione annui ducati* 100; *quali debbano accumularſi in beneficio di D. Pietro, o altro figlio, che farà la caſa. fol.* 18. Primogenitus D. Michaeli, uni ex ſecundogenitis, oppoſuerat a communi matre diſceſſum: & nefas hinc eſſe integros annuos ducatos 300 eidem perſolvi. At S. C., etſi ſummario termino cognoſcere ſibi reſervaſſet de cauſa diviſionis, & interim D. Michaeli decreviſſet præſtari tantum ducatos 200; ſecuto tamen matris obitu ab anno 1773. (quidquid eſſet temporis anteacti, de quo agere diſtulit) indubiam recte cenſuit integri legati actionem ex *L.* 1. *C. de legat.*, ubi legitur: *Quamvis verbis his, quoad cum Claudio Juſto morati eſſetis, alimenta vobis, & veſtiarium legatum ſit, tamen hanc fuiſſe defuncti cogitationem interpretor, ut & poſt mortem Juſti eadem vobis præſtari voluerit.* Maxime cum de legato ageretur, quod loco legitimæ filio debitæ, in paterno teſtamento relictum fuerat.

Capobianco a Secr.

Verba de his fecit in S.R.C. D. Hippolytus Porcinari R. C. & cauſæ Comm.

Digitized by Google

In cauſa vertente inter D. Auroram, D. Ermenegildam, & D. Rachelem Ingleſe Romano ex una, ac D. Thereſiam Ceſarano, & D. Cajetanam Azzimmatore ex altera. Die 27. Martii 1776.

> Fideicommiſſo inſtituto ea lege, ut deficientibus maſculis, fœminæ, quæ ſuperſint, & eorum deſcendentes ſuccedant, excluduntur deſcendentes ex fœmina, quæ ultimo maſculo præmortua eſt.

ABbas D. Clemens Romano poſt heredum inſtitutionem, & vocationem maſculorum deſcendentium ex Jo: Baptiſta Ingleſe Romano ejus fratre ad fideicommiſſum in eodem teſtamento inſtitutum, vocavit fœminas his verbis: *Succedendo il caſo che moriſſero detti iſtituiti ſenza figli maſcoli, e così anche i diſcendenti da eſſi, ma aveſſero aſſolutamente figlie femine, e non vi foſſe neſſuno maſcolo della mia famiglia di caſa Romano, in tali caſi voglio, ordino; e comando, che in detta iſtituzione, e ſucceſſione s' intendano iſtituite, e ſoſtituite le figlie femine, che in detto tempo ſaranno vive, preferendo ſempre le più proſſime, e nobili, e dopo loro morte poſſano, e debbano ſuccedere i loro diſcendenti legitimi e naturali uſque in infinitum, non oſtante che detti figli di dette donne di caſa Romano non fuſſero della ſteſſa caſata Romano; ma con queſta condizione, e legge, che ſebbene eſſi non ſaranno di caſa Romano, tirandone la caſata di lor padre, niente di meno voglio, che ſi debbano cognominare ancora della detta caſata di lor madre Romano*. Defuncto in anno 1773. D. Petro ultimo maſculo, ad dictum fideicommiſſum concurrerunt D. Aurora, D. Ermenegilda, & D. Rachel Ingleſe Romano filiæ qu. D. Matthiæ Ingleſe Romano patruelis dicti qu. D. Petri ultimi defuncti ex una parte, ex altera vero D. Cajetana Azzimmatore filia prædefunctæ D. Catharinæ Ingleſe Romano, germanæ dictarum D. Auroræ, D. Ermenegildæ, & D. Rachelis, & denique D. Thereſia Ceſarano filia prædefunctæ D. Feliciæ germanæ dicti qu. D. Petri. Ex verbis dicti teſtamenti clare & literaliter patet vocatas eſſe fœminas de caſa Romano, quæ vi-

viventes ſupereſſent, ad excluſionem præmortuorum, & deſcendentium ex dictis fœminis præmortuis: Unde cum in verbis nulla ſit ambiguitas, non debet admitti voluntatis quæſtio, *L. Ille, aut ille D. de legat.* 3. Nec attendenda eſt oppoſitio pro parte D. Thereſiæ Ceſarano, caducato gradu intermedio, videlicet ob mortem D. Feliciæ ejus matris, tranſitum fieri ad gradum ſequentem, *L. unic. §. pr. ſecundo, & §. ſin autem aliquid C. de caduc. toll.*, non obſtante conditione vitæ fœminarum de domo Romano, cum ſit conditio, quæ de ſui natura ineſt in omni gravamine, *L. Et ſi ſic §. fin. D. de legat.* 3., *L. Ille, a quo §.* 1. *D. ad Trebell.*, *L. Eam quam C. de fideicom.*, quia fuit reſponſum, una eſt quæſtio inter gravatum, & tertio loco vocatum, an corrupto gradu intermedio, fiat locus gradui ſequenti, nam cum in perſona gravati ſit onus reſtituendi, cumque ſecundo vocato, utpote præmortuo, reſtituere non poſſit, oportet, ut tertio reſtituat, ne in perſona gravata libera bona remaneant contra mentem defuncti, *L. Si ab eo D. de uſu, & uſufr.*, *L. Quod pater §. cum pater, & L. Si alienus D. de legat.* Altera eſt quæſtio inter convocatos in eodem gradu, cum conditione, ſi ſuperviveret; tunc ſi exiſtit una perſona ex convocatis, ceſſat abſurdum, quod bona remaneant libera penes gravatum: Et inſuper expreſſio, ſi viverent, eſt vera conditio ad excludendos alios convocatos præmortuos, eorumque deſcendentes directa. Nec ratio habenda eſt de oppoſitione pro parte dictæ Thereſiæ, quod attendenda ſit nobilitas inter concurrentes, ut ex ejus ſupplicatione *fol.* 139., cum talis qualitas ex contextu dictorum verborum attendenda ſit inter concurrentes in eodem gradu. Ac propterea

Referente R. C. D. Dominico Antonio Avena cauſa Comm.

Declaratum fuit: *Stante obitu D. Petri Ingleſe Romano abſque liberis, bona in ejus hereditate remanſa, & advventa ab hereditate qu. Abbatis Clementis Romano, ſpe-*

Digitized by Google

ſpectare; & ſpectaviſſe in beneficium D. Rachelis, & D. Ermenegildæ Ingleſe Romano pro duabus ex tribus portionibus vigore teſtamenti dicti qu. Abbatis Clementis, conditi manu Notarii Franciſci Roſſi hujus Civitatis fol. 2.: cum conditionibus, ſubſtitutionibus, & fideicommiſſo in eo contentis, & in omnibus ſervata forma ipſius, una cum fructibus a die mortis dicti qu. D. Petri Ingleſe Romano: ſalva proviſione facienda ſuper reliqua tertia portione, comparente perſona legitima qu. D. Auroræ Ingleſe Romano.

Quaranta Act. Mag. Morra Scriba.

In cauſa vertente inter Angelam Crauſo, & Franciſcum Crauſo. Die 27. Martii 1776.

Etſi læſio in dotium conſtitutione manifeſto non conſtet, datur tamen ſupplementum, cum probabiliter læſa mulier cenſeri poſſit.

ANgela Crauſo Petri jam defuncti ex priore uxore Urſula Jannelli filia, in viduitate morte Franciſci Campanile viri relicta, a Turri Regalis Villæ Caſertanæ, menſe Decembri anni 1768. inſtitit in S.R.C., ut ſupplementum legitimæ ex bonis paternis ab eo ſibi decerneretur, læſam fuiſſe contendens in dote ei conſtituta; maternas item petiit dotes, atque alimenta a Franciſco Crauſo fratre conſanguineo; eo magis quod liberi ſibi eſſent teneræ adhuc ætatulæ, ipſaque egeſtate laboraret *fol.* 22. Sed quum Franciſcus Crauſo cum matre ejus Magdalena Fiorillo, altera Petri uxore, jam inde a menſe Januarii ejuſdem anni patris hereditatem in S.R.C. deduxiſſet, nihil juris excepit Angelæ eſſe in hac hereditate; tum quia, accepta ab ipſo patre dote, ceteris omnibus forma ampliſſima, cunctiſque ſollemnitatibus munita, quo tempore jam apud virum erat, renunciavit; tum quod legatum ad legitimæ ſupplementum pater idem reliquerat *fol.* 1. In hac controverſia

ter-

terminum ordinarium dari placuit, atque interim in cauſam declarandam legatum, ſine tamen jurium illius præjudicio, præſtari *fol.*32. Termino jam compilato, atque ab ambobus, quæ ſecum facere videbantur, in medium allatis, res pro ejus momentis perpenſa eſt. Conſtat ſane, Petrum Crauſo quum filiam hanc Franciſco Campanile nuptui daret, ducatos 300 dotis nomine promiſiſſe, nempe 120 in pecunia numerata ex dote materna, alioſque 30 in auro facto, 150 vero ex ære ſuo; hoc tamen in tabulis ſponſalitiis addito: *Riſerbandoſi per contratto tra vivi, ovvero di ultima volontà ſupplire, come è di giuſtizia, con detta ſua figlia con ulteriori gratitudini ed amorevolezza, a miſura del ſuo patrimonio fol.* 162. Certum item eſt, antequam Angela, virque ejus ad renunciationem acceſſiſſent, apud acta Joſephi Ricciardi caviſſe, ne cui ſibi renunciatio iſthæc detrimento, quod ad legitimam, quæ ex legum ſanctionibus ad eam in bonis paternis pertineret, foret *fol.*28. Sine dubio etiam eſt, Petrum ſupremum condentem teſtamentum, & Franciſcum alterius uxoris filium heredem inſtituentem, Angelæ huic ex priori matrimonio filiæ ducatos 50 legaſſe, qui in partem & legitimam, quæ de jure ad eam ſpectaret, cederent, cum omnia alia renunciaret *fol.* 25. Itaque dos a patre filiæ data, cum legato relicto, ſummam conficit ducatorum tantum 200, quum ceteri ducati 120, præter aurum factum, ex dote ſint matris. Id quidem hic deſiderandum eſſet, ut patrimonii paterni vires, quo tempore dos conſtituta eſt, innoteſcerent, ex quibus ſine ulla controverſia decerni poſſet paragium, quod inſtar legitimæ eſt. Sed hoc omnino non conſtat. Compertum tamen eſt, ditior, an pauperior tunc fuerit Petrus, hereditatis ejus defuncti æſtimationem per ſollemnia omnia, relationem & reviſionem factam, una ſimul comprehenſis prædiis urbanis, ruſticiſque, frugibus, agrorum, domuſque ſupel-

pelleſtili, deductis oneribus, ſummam ducatorum 7000 exceſſiſſe. Itaque læſam in congrua dote filiam hanc Petri, probabiliter cenſendum eſt; quare ſuccurrendum huic, atque ex æquo bono aliquid amplius ex paterna hereditate ei dandum nobis viſum, qui quippe quod patris officium eſt filias non ſolum in matrimonium collocare, ſed & pro ratione facultatum dotare, *L. 60. L. 61. §. 5. de jure dot.*; eo magis, quod in ambiguis pro dotibus reſpondere melius, *L. 70. ff. eod.* Et in dubitatione juris juſtis decretis res temperanda, *L. 85. ff. de reg. jur.* Quapropter, me referente, ampliſſimo huic Ordini decernendum placuit: *Deberi Angelæ Crauſò ducatos 500, una cum fructibus a die contracti matrimonii, ad rationem ducatorum quaternorum pro centenis, ad ſupplementum ejus paragii, & ad alia per eam prætenſa.*

Franciſcus d'Amora Act. Mag.

Verba fecit de his in S. R. C. D. Hector Capycinslatro R. C. & cauſ. Comm.

In cauſa D. Pauli, aliorumque de Flumine, & D. Nicolai Mariæ Caruſii, cum fratribus de Marco, filiis D Juliæ de Flumine, ſororis utrinque conjunctæ ejuſdem D. Andreæ. Die 26. Aprilis 1776.

Renunciatio mulieris dotatæ ex paternis, maternisque bonis tantum, ampliſſime facta bonis omnibus etiam Conſuetudini obnoxiis, pro ſuis fratribus, illorumque heredibus, etiam extraneis, & legitimis, non eſt ita interpretanda, ut officiat filiis, quo-

D. Philippus de Flumine teſtamento anni 1692. inſtituta herede uſufructuaria ejus uxore D. Felicia de Auria, eique tributa facultate diſponendi inter liberos, ac inſtitutis octo filiis maſculis heredibus in legitima, dotem dixit fœminis aureorum 2000, facta ab ipſis pro eorum fratribus ad conſilium ſapientis renunciatione *fol. 40. proc. curr.* Tabulis nuptialibus anni 1702. dicta D. Felicia de Auria dotem dixit D. Juliæ de Flumine ejus filiæ, nuptui traditæ D. Thomæ de Marco, aureorum 3000, nempe 2000 ex bonis D. Philippi ejus patris, & reliquorum aureorum 1000 ex bonis maternis ipſius D. Fe-

D. Feliciæ *fol.* 154. *proc. præamb.* Hinc juxta præceptum patris præfata D. Julia (accedente conſenſu, ac obligatione ejus viri D. Thomæ de Marco) anno 1702. renunciavit omnia bona, etiam Conſuetudini hujus Civitatis obnoxia, ejus fratribus, horumque heredibus etiam extraneis & venientibus ab inteſtato, quamvis in remotiori gradu & linea, omni cautione Pragmaticorum adhibita *fol.* 88. *proc. curr.*

minus conſequantur medietatem bonorum antiquorum, cum dotatæ mulieris fratres abſque liberis deceſſerint.

Anno 1764. D. Andreas de Flumine, qui ſolus ſupererat ex permultis D. Philippi filiis, teſtamentum condidit, quo inſtitutis ex aſſe heredibus Ill. qu. D. Carolo Gaeta Regalis Cameræ S. Claræ Conſiliario, & D. Mutio Gaeta S. Nicolai Duce, ejus nepote, multisque ac uberrimis relictis legatis, declaravit, nullum jus ſpectare ſuper bonis antiquis tam ad prædictam D. Juliam de Flumine ejus ſororem, ob renunciationem in ampliſſima forma ab ipſa in ſui beneficium, ſuorumque heredum & ſucceſſorum, etiam extraneorum factam, quam ad quoſdam ſuum cognomen ferentes Terræ S. Antimi, propter nullam cum eiſdem propinquitatem, obque alias innumeras cauſas; addiditque: *Ma nel caſo che detti pretenſori convenir voleſſero, ed eſſi Signori D. Carlo, e D. Muzio miei eredi ſtimaſſero venire a concordia con qualunque, e per qualunque di dette pretenſioni; in tal caſo voglio, che le compongano, ed al di loro parere e determinazione, una, o più che foſſero, debba ſtarſi... Con doverſi riputare detti ſtabilimenti, come ſe da me fatti foſſero, e come inſeriti nel preſente mio teſtamento. fol.* 35. *proc. præamb.* Codicillis deinde diei 21. Septembris 1764. ab ipſo D. Andrea conditis, & termino ordinario per S. R. C. decreto diei 18. Julii 1765. ſubjectis *fol* 179., ipſe D. Andreas poſt firmatam prædictam teſtamenti ſui partem, ita addidit: *Bensì prego, che nel caſo, oltre de' ſuddetti pretenſori, vi foſſero altri, i quali per altre loro pretenſioni voleſſero promuovere liti....*

Digitized by Google

Sebbene non credo ve ne poſſano eſſere, pure anche voglio, che nel caſo queſti voleſſero colle buone eſaminare, e componere tali altre loro pretenſioni, in tal caſo, per evitar le liti, prego i medeſimi miei Signori eredi a venir con eſſi a convenzione, anche ſi pagar li doveſſero fino alla ſomma di ducati quattromila, ſenza però, che ſe l'induca neceſſità di farlo... e ſenza che poſſano eſſere obbligati a convenire. fol. 41.

Anno 1769. concordia, ſive tranſactio, prævio arbitrio præfati D. Caroli Gaeta, inita fuit inter fratres de Marco, jam defunctæ D. Juliæ de Flumine filios, eoſdem de Gaeta heredes ſcriptos, & legatarios D. Andreæ de Flumine; cujus virtute prædicti fratres de Marco medietatem bonorum antiquorum in aureis 54000 receperunt; & contra renunciaverunt litem ab eorum matre D. Julia in S.R.C., & in M.C.V., tam pro prætenſa nullitate teſtamenti, quam pro medietate bonorum antiquorum, tentatam; promiſeruntque ſuam facere litem pro medietate ipſa bonorum antiquorum, a D. Paulo de Flumine, & a D. Nicolao Maria Caruſio forſan proſequendam *fol.* 348.

Penes acta autem hereditatis in S. C. deductæ, petiit D. Nicolaus Maria Caruſius, ob renunciationem D. Juliæ de Flumine in ejus tabulis nuptialibus, medietatem bonorum antiquorum, in hereditate D. Andreæ de Flumine ex latere materno remanſorum: qua quidem petitione termino ordinario ſubjecta, *cartularie* hunc actor explevit *fol.* 473. *&c.* Acceſſerunt ſupplices libelli D. Pauli, & exinde D. Ignatii fratrum de Flumine, petentium ſibi ipſis deferri medietatem bonorum antiquorum, poſthabita non modo concordia inter fratres de Marco cum heredibus, atque legatariis prædicti D. Andreæ de Flumine, verum etiam renunciatione litis, facta ab ipſo D. Paulo, virtute procurationis, fraude, ac dolo extortæ *fol.* 10. *&* 83.

Præ

Digitized by Google

Præ oculis autem S. C. habens & quæ huc uſque narrata ſunt, & probationes per eumdem D. Paulum in termino ordinario, auditis tantum fratribus de Marco, inſtructas, ac cetera acta in pluribus voluminibus contenta,

Referente R. Conſ. D. Horatio Guidotti cauſæ Comm., et intervenientibus Dom. Aulæ Præfecto D. Carolo Paoletti, & Regiis Conſil. D Joanne Pallante, D Dominico Potenza, D. Joſepho Criſconio, & D. Antonio Carpentiero adjunctis.

Hanc protulit ſententiam: *Fratres de Marco filios qu. D. Juliæ de Flumine eſſe abſolvendos ab impetitis pro prætenſa medietate bonorum antiquorum, eiſdem obventa ex bonis hereditariis qu. D. Andreæ de Flumine eorum patrui tam per D. Paulum, & Rev. D. Ignatium fratres de Flumine, quam per D. Nicolaum Mariam Caruſium. Neutram partem in expenſis.*

Paulus de Flumine, primum uti quarto gradu, exinde uti ſeptimo gradu agnationis defuncto D. Andreæ de Flumine conjunctus, medietatem bonorum antiquorum, in hujus opulentiſſima teſtamentaria hereditate remanſorum, ſibi vindicare totis viribus contendebat. Hanc eandem medietatem rei conventi fratres de Marco, filii qu. D. Juliæ de Flumine (quæ fratri ſuo germano D. Andreæ ſupererat) inita anno 1769. cum Ill. D. Carolo, & D. Mutio Gaeta, heredibus in teſtamento ſcriptis, atque legatariis, concordia pro aureis 54000, aſſecuti jam fuere. Hoc itidem pro bonis maternis contendebat D. Nicolaus Maria Caruſius, tamquam ipſi D. Andreæ quarto cognationis gradu conjunctus. Nitebantur Actores in ampliſſima renunciatione, quam D. Julia, anno 1702. D. Thomæ de Marco nuptui tradita, fecerat in beneficium ſuorum fratrum, eorumque heredum & ſucceſſorum, *etiam extraneorum, & venientium ab inteſtato, etiamſi eſſent in remotiori gradu, & linea.*

Hæc ideo perpendenda erant: An ſcilicet Actores recte probaverint ſuam conjunctionem: Et an renunciatio, quæ proponebatur, D. Juliæ, ejuſque filiis obſtaret.

 Quoad

Digitized by Google

dem decreto diſcuſſionis, admittantur inter onera hereditaria qu. D. Thomæ ante liquidationem legitimæ in beneficium heredum præfatæ D. Roſæ ducati 90, *per eam ſoluti creditori hereditario, ut ex inſtrumento, & comparitione fol.* 192.

Inſuper heredes ejuſdem D. Roſæ reficiant in beneficium præfati Baronis D. Petri Picella, abſque intereſſe uſque ad præſentem diem, bona ſubjecta ſubſtitutioni a dicto D. Thoma ordinatæ, etiam vigore ſententiæ anni 1766. *bona ſcilicet ſive alienata, ſive per eamdem D. Roſam diſpoſita; pro quorum bonorum pretio liquidando, quoad ſtabilia in biduo audiantur Partes, quo vero ad mobilia attendatur idem appretium bonorum ut ſupra enunciatum, ſecutum poſt obitum D. Thomæ patris, ut ex præcitato inſtrumento diviſionis ſtipulato in anno* 1725. *fol.* 82., *etiam in vim tertii capitis contenti in judicio arbitrorum Sorge, & Villani fol.* 65.; *Et proinde ad normam præcitati inſtrumenti diviſionis fiat calculus per Scribam cauſæ Partibus requiſitis, ad finem providendi, ſalvis juribus heredibus prædictis de Boſco, & Ungaro contra quos decet.*

Demum reſpectu ratæ prætenſæ per viam reconventionis, & principalis actionis nedum per D. Carmelam Amodio, verum etiam hodie per ejus heredem, ſuper ducatis 500 *in augumentum dotium conſtitutis a D. Franciſco Amodio in beneficium prædictæ D. Roſæ, inſpecto capite* 10. *comparitionis per capita præſentatæ pro parte D. Carmelæ Amodio fol.* 174.; *inſpecta quoque præcitata prima relatione Scribæ cauſæ fol.* 228., *ac eodem decreto diſcuſſionis Domini cauſæ Commiſſarii, cum proviſione reſervata ſuper capitibus* 6. *&* 7. *relationis fol.*245., *Partes informent ad finem providendi.*

In

In cauſa D. Horatii Aprile cum D. Joſepho Riccio. Die ... Martii 1776.

Priori donationi præfertur ſecunda, cum conſtet, liberam diſponendi facultatem non habuiſſe donantem ubi primum donavit.

D. Catharinæ Aprile, quæ nuptui tradebatur D. Franciſco Antonio Stefanelli, dotes conſtitutæ fuere ab ejus patre D. Dominico, ejuſque fratre Rev. D. Joſepho, tam in nonnullis mobilibus, quam in ſtabilibus omnibus per dotantes poſſeſſis, pro medietate tamen conjugii tempore, proque altera medietate poſt eorumdem dotantium obitum conſequendis, hoc diſertim adjecto pacto: *che morendo la detta D. Catarina dopo la morte di eſſi, o ancora eſſi viventi, poteſſe la ſteſſa diſporre di tutta la roba ſita nel feudo di Minervino. E riſpetto alla roba di Muro debba ſuccedere il Rev. Capitolo di Muro*, prout patet ex tabulis nuptialibus anni 1729. *fol.* 25. *vol.* 1.

Anno 1740. præfatus Rev. D. Joſephus teſtamentum fecit, quo in eiſdem bonis in terra Muri poſitis, inſtituit heredem ex aſſe eamdem D. Catharinam, cui tamen morienti ſine filiis ſubſtituit Rev. Capitulum Terræ Muri *fol.* 238.

Donationem anno 1757. eadem D. Catharina, vivente adhuc ejus fratre D. Joſepho, pro D. Horatio Aprile ejus pronepote ſtipulata eſt, his verbis concepta: *dona irrevocabilmente tra vivi tutta la ſua parte, e porzione, che poſſede in comune coll'Arciprete D. Giuſeppe ſuo fratello sì di ſtabili, mobili, caſamenti, ſemoventi, ed altro, sì di beni paterni, fraterni, e zierni, che ad eſſa in qualſivoglia modo le potranno ſpettare per qualſivoglia titolo, ragione, e cauſa. fol.* 238.

Alteram donationem anno 1770. eadem D. Catharina fecit D. Joſepho Riccio, ejus pariter pronepoti, bonorum quæ uti heres ejus fratris D. Joſephi (infirmata ob ſaluberrimam legem Regiam anni 1769. in beneficium Rev.

Digitized by Google

Rev. Capituli Terræ Muri ſubſtitutione) acquiſiverat *fol. 5*.

His poſitis, judicium in S. R. C. inſtituit D. Joſephus Riccio, ut non turbaretur a poſſeſſione bonorum in poſtrema donatione contentorum. Contra D. Horatius Aprile objecit, hujuſmodi donationem nedum extortam, verum etiam nullam irritamque fuiſſe: quippe quæ bona ſibi antea ab eadem D. Catharina donata, atque fideicommiſſo qu. D. Pompeji Aprile in ejus beneficium obnoxia complectebatur *fol. 1*.

Sententiam (probationibus per utramque partem inſtructis) die 14. Maji 1774. S. R. C., referente Regio Conſil. Marchione Mauri, pronunciavit, qua conventus D. Joſephus Riccio abſolutus fuit ab impetitis pro parte D. Horatii Aprile *fol. 246*.

Reclamatione autem per dictum D. Horatium contra hujuſmodi ſententiam propoſita *fol. 1. vol. 2.*; atque re denuo perpenſa,

Referente eodem Regio Conſil. D. Joſepho Mauri cauſæ Commiſſ.

S. R. C. declaravit: *Bene fuiſſe judicatum in ſua ſententia diei* 14. *Maji* 1774. *fol.* 246. *vol.* 1., *& male fuiſſe reclamatum per D. Horatium Aprile in præcitato ejus ſupplici libello fol.* 1. *Verum S.R.C. declarat, bona mobilia deſcripta in tabulis nuptialibus anni* 1729. *qu. D. Catharinæ Aprile fol.* 25., *eſſe comprehenſa in inſtrumento donationis initæ anno* 1757. *ab eadem D. Catharina in beneficium præfati D. Horatii: ac proinde eſſe condemnandum D. Joſephum Riccio ad ei reſtituenda bona prædicta; ſalvis juribus, ſi quæ competunt eidem D. Horatio in alio judicio pro prætenſo fideicommiſſo qu. D. Pompeji Aprile, exhibito per eundem D. Horatium legali atque authentico exemplari teſtamenti prædicti qu. D. Pompeji. Neutram partem in impenſis &c.*

Tria erant, quæ per D. Horatium Aprile objiciebantur: I. In donatione per D. Catharinam pro D. Joſepho Riccio

cio ſtipulata complecti bona ſibi prius ab eadem D. Catharina donata. At exceptis mobilibus in tabulis nuptialibus ejuſdem D. Catharinæ deſcriptis, eique traditis, ac proinde in donatione anni 1757. pro eodem D. Horatio comprehenſis (pro quibus jn hac ſententia eſt proviſum) aliter S. R. C. viſum fuit. Siquidem ex tabulis ipſis nuptialibus, atque ex teſtamento Rev. D. Joſephi Aprile liquido conſtat, ipſam D. Catharinam minime pro ſuo arbitrio uti potuiſſe bonis Muri poſitis, cum moriente eadem ſine filiis, in illis bonis pro Rev. Capitulo Muri ſubſtitutio adeſſet, quæ deinde anno 1769. virtute legis Regiæ evanuit. Si igitur tempore donationis perfectæ pro D. Horatio Aprile nullum jus erat D. Catharinæ donanti in bonis prædictis, nullum jus pariter ad donatarium transferri poterat, *L. Nemo 55. de reg. jur.* Hinc Pomponius ait: *Donari non poteſt, niſi id, quod ejus ſit, cui donatur, L. 9. §. donari de donat. Neque videntur data, quæ eo tempore, quo dantur, accipientis non fiunt, L. 128. de reg. jur.*

Præterquamquod ex ipſius donationis verbis: *dona la ſua parte e porzione, che poſſede in comune &c.*, clare eruitur, D. Catharinam non donaſſe anno 1757., niſi id quod tempore donationis *ſuum* dici poterat. Siquidem nomen poſſeſſivum *meum tuum* præſens, non futurum tempus oſtendit, *L. 8. de auro, & arg. leg.*

Neque obſtare viſum fuit verba illa generalia donationis, *in qualſivoglia modo le potranno ſpettare:* conſequuntur ſiquidem verba illa verba præcedentia: *la ſua parte e porzione, che poſſede in comune &c.* Et alioquin in jure certum eſt hujuſmodi verba generalia ad bona donationis tempore per donantem poſſeſſa, vel ut maxime ad bona ex cauſa de præterito ipſi debita, poſſe referri; non vero ad futura, ſive ex cauſa de futuro in poſterum acquirenda, *L. ult. §. qui indiviſam de legat. 2.*

Opponebatur ſecundo, donationem anni 1770. a D. Joſepho

pho Riccio dolo, ac fraude fuiſſe extortam. Sed probationibus per D. Horatium Aprile inſtructis attente perpenſis, neutiquam de hujuſmodi fraude & dolo conſtare S. R. C. viſum fuit. Hinc actore non probante, reus erat abſolvendus, *L.* 9. *Cod. de act. & obligat.*, *L.* 1. *C. de probat.*

Tertio tandem objiciebatur, bona D. Joſepho Riccio donata, fideicommiſſo per D. Pompejum Aprile anno 1705. conſtituto eſſe obnoxia. At cum ſcriptura hujuſmodi prætenſi fideicommiſſi *fol.* 134. non paucis laborare vitiis aperte viſa fuit, præſertim cum non ex authentico, ſed ex indice, & exemplo non legali educta fuerit; hinc jure merito S. R. C. cenſuit jura, ad eundem D. Horatium pro hujuſmodi prætenſo fideicommiſſo forſan ſpectantia, alio ſervanda judicio, exhibito per eumdem D. Horatium illius teſtamenti legali atque authentico exemplari, *L.* 2. *de fide inſtrum.* *L.* 17. *C. eod.*

Neutram tamen partem ad litis impenſas damnandam, idem S. R. C. judicavit, cum explorati juris ſit, ad has tantummodo teneri temere litigantes, *L.* 4. *C. de fruct. & litis expenſis*, *§.* 1. *n.* 38. *Reg. Conſtit. anni* 1738.: quod in hac cauſa, ob primæ ſententiæ partem in eo, quod mobilia tangebat, temperatam, neutiquam habere locum videbatur.

In cauſa magn. D. Raphaelis Folliero cum magn. D. Petro Folliero ejus fratre. Die 27. Martii 1776.

Vitalitio legato filiis relicto ea lege, ut ſi a matre diſceſſerint, legatum idem minuatur; matre defuncta, indeminutum deberi exiſtimatur.

D. Petrus Folliero ſolvat in bonis hereditariis qu. D. Joannis Folliero in beneficium D. Michaelis ejus fratris, a die obitus pro nunc qu. D. Juliæ Saracino communis matris, alios annuos duc. 100, *ultra duc.* 200 *ſolvendos virtute decreti S. C. fol.* 77.; *& ab hodie in antea, durante vita ipſius D. Michaelis, ei ſolvat annuos*

nuos duc. 300; *ſalva proviſione facienda reſpectu præteritorum annuorum duc.* 300, *uſque ad mortem matris. Nihil in expenſis.*

Juſſerat communis pater in ejus ultimo elogio, filiis ſecundogenitis annuos ducatos 300 deberi, adjecta conditione: *che convivano ſempre colla loro Signora Madre con ſomma concordia, ed uniti: e che quando elaſſa la loro minore età, e tempo ſtabilito dalle leggi, alcuno di eſſi miei figli voglia dividerſi dal comune convitto, abitazione, tavola, e ſervitù, debba detrarſegli dalla ſua porzione annui ducati* 100; *quali debbano accumularſi in beneficio di D. Pietro, o altro figlio, che farà la caſa. fol.* 18. Primogenitus D. Michaeli, uni ex ſecundogenitis, oppoſuerat a communi matre diſceſſum: & nefas hinc eſſe integros annuos ducatos 300 eidem perſolvi. At S. C., etſi ſummario termino cognoſcere ſibi reſervaſſet de cauſa diviſionis, & interim D. Michaeli decreviſſet præſtari tantum ducatos 200; ſecuto tamen matris obitu ab anno 1773. (quidquid eſſet temporis anteacti, de quo agere diſtulit) indubiam recte cenſuit integri legati actionem ex *L.* 1. *C. de legat.*, ubi legitur: *Quamvis verbis his, quoad cum Claudio Juſto morati eſſetis, alimenta vobis, & veſtiarium legatum ſit, tamen hanc fuiſſe defuncti cogitationem interpretor, ut & poſt mortem Juſti eadem vobis præſtari voluerit.* Maxime cum de legato ageretur, quod loco legitimæ filio debitæ, in paterno teſtamento relictum fuerat.

Capobianco a Secr.

Verba de his fecit in S.R.C. D. Hippolytus Porcinari R. C. & cauſæ Comm.

Digitized by Google

In cauſa vertente inter D. Auroram, D. Ermenegildam, & D. Rachelem Ingleſe Romano ex una, ac D. Thereſiam Ceſarano, & D. Cajetanam Azzimmatore ex altera. Die 27. Martii 1776.

Fideicommiſſo inſtituto ex lege, ut deficientibus maſculis, fœminæ, quæ ſuperſint, & eorum deſcendentes ſuccedant, excluduntur deſcendentes ex fœmina, quæ ultimo maſculo præmortua eſt.

ABbas D. Clemens Romano poſt heredum inſtitutionem, & vocationem maſculorum deſcendentium ex Jo: Baptiſta Ingleſe Romano ejus fratre ad fideicommiſſum in eodem teſtamento inſtitutum, vocavit fœminas his verbis: *Succedendo il caſo che moriſſero detti iſtituiti ſenza figli maſcoli, e così anche i diſcendenti da eſſi, ma aveſſero aſſolutamente figlie femine, e non vi foſſe neſſuno maſcolo della mia famiglia di caſa Romano, in tali caſi voglio, ordino, e comando, che in detta iſtituzione, e ſucceſſione s' intendano iſtituite, e ſoſtituite le figlie femine, che in detto tempo ſaranno vive, preferendo ſempre le più proſſime, e nobili, e dopo loro morte poſſano, e debbano ſuccedere i loro diſcendenti legitimi e naturali uſque in infinitum, non oſtante che detti figli di dette donne di caſa Romano non fuſſero della ſteſſa caſata Romano; ma con queſta condizione, e legge, che ſebbene eſſi non faranno di caſa Romano, tirandone la caſata di lor padre, niente di meno voglio, che ſi debbano cognominare ancora della detta caſata di lor madre Romano*. Defuncto in anno 1773. D. Petro ultimo maſculo, ad dictum fideicommiſſum concurrerunt D. Aurora, D. Ermenegilda, & D. Rachel Ingleſe Romano filiæ qu. D. Matthiæ Ingleſe Romano patruelis dicti qu. D. Petri ultimi defuncti ex una parte, ex altera vero D. Cajetana Azzimmatore filia prædefunctæ D. Catharinæ Ingleſe Romano, germanæ dictarum D. Auroræ, D. Ermenegildæ, & D. Rachelis, & denique D. Thereſia Ceſarano filia prædefunctæ D. Feliciæ germanæ dicti qu. D. Petri. Ex verbis dicti teſtamenti clare & literaliter patet vocatas eſſe fœminas de caſa Romano, quæ

viventes ſupereſſent, ad excluſionem præmortuorum, & deſcendentium ex dictis fœminis præmortuis: Unde cum in verbis nulla ſit ambiguitas, non debet admitti voluntatis quæſtio, *L. Ille, aut ille D. de legat.* 3. Nec attendenda eſt oppoſitio pro parte D. Thereſiæ Ceſarano, caducato gradu intermedio, videlicet ob mortem D. Feliciæ ejus matris, tranſitum fieri ad gradum ſequentem, *L. unic. §. pr. ſecundo, & §. ſin autem aliquid C. de caduc. toll.*, non obſtante conditione vitæ fœminarum de domo Romano, cum ſit conditio, quæ de ſui natura ineſt in omni gravamine, *L. Et ſi ſic §. fin. D. de legat.* 3., *L. Ille, a quo §.* 1. *D. ad Trebell.*, *L. Eam quam C. de fideicom.*, quia fuit reſponſum, una eſt quæſtio inter gravatum, & tertio loco vocatum, an corrupto gradu intermedio, fiat locus gradui ſequenti, nam cum in perſona gravati ſit onus reſtituendi, cumque ſecundo vocato, utpote præmortuo, reſtituere non poſſit, oportet, ut tertio reſtituat, ne in perſona gravata libera bona remaneant contra mentem defuncti, *L. Si ab eo D. de uſu, & uſufr.*, *L. Quod pater §. cum pater, & L. Si alienus D. de legat.* Altera eſt quæſtio inter convocatos in eodem gradu, cum conditione, ſi ſuperviveret; tunc ſi exiſtit una perſona ex convocatis, ceſſat abſurdum, quod bona remaneant libera penes gravatum: Et inſuper expreſſio, ſi viverent, eſt vera conditio ad excludendos alios convocatos præmortuos, eorumque deſcendentes directa. Nec ratio habenda eſt de oppoſitione pro parte dictæ Thereſiæ, quod attendenda ſit nobilitas inter concurrentes, ut ex ejus ſupplicatione *fol.* 139., cum talis qualitas ex contextu dictorum verborum attendenda ſit inter concurrentes in eodem gradu. Ac propterea

Referente R. C. D. Dominico Antonio Avena cauſa Comm.

Declaratum fuit: *Stante obitu D. Petri Ingleſe Romano abſque liberis, bona in ejus hereditate remanſa, & ei obventa ab hereditate qu. Abbatis Clementis Romano, ſpe-*

ſpectare, & ſpectaviſſe in beneficium D. Rachelis, & D. Ermenegildæ Ingleſe Romano pro duabus ex tribus portionibus vigore teſtamenti dicti qu. Abbatis Clementis, conditi manu Notarii Franciſci Roſſi hujus Civitatis fol.2.: cum conditionibus, ſubſtitutionibus, & fideicommiſſo in eo contentis, & in omnibus ſervata forma ipſius, una cum fructibus a die mortis dicti qu. D.Petri Ingleſe Romano: ſalva proviſione facienda ſuper reliqua tertia portione, comparente perſona legitima qu. D. Auroræ Ingleſe Romano.

Quaranta Act. Mag. Morra Scriba.

In cauſa vertente inter Angelam Crauſo, & Franciſcum Crauſo. Die 27. Martii 1776.

Etſi læſio in dotium conſtitutione manifeſto non conſtet, datur tamen ſupplementum, cum probabiliter læſa mulier cenſeri poſſit.

ANgela Crauſo Petri jam defuncti ex priore uxore Urſula Jannelli filia, in viduitate morte Franciſci Campanile viri relicta, a Turri Regalis Villæ Caſertanæ, menſe Decembri anni 1768. inſtitit in S.R.C., ut ſupplementum legitimæ ex bonis paternis ab eo ſibi decerneretur, læſam fuiſſe contendens in dote ei conſtituta; maternas item petiit dotes, atque alimenta a Franciſco Crauſo fratre conſanguineo; eo magis quod liberi ſibi eſſent teneræ adhuc ætatulæ, ipſaque egeſtate laboraret *fol.* 22. Sed quum Franciſcus Crauſo cum matre ejus Magdalena Fiorillo, altera Petri uxore, jam inde a menſe Januarii ejuſdem anni patris hereditatem in S.R.C. deduxiſſet, nihil juris excepit Angelæ eſſe in hac hereditate; tum quia, accepta ab ipſo patre dote, ceteris omnibus forma ampliſſima, cunctiſque ſollemnitatibus munita, quo tempore jam apud virum erat, renunciavit; tum quod legatum ad legitimæ ſupplementum pater idem reliquerat *fol.* 1. In hac controverſia ter-

terminum ordinarium dari placuit, atque interim in cauſam declarandam legatum, ſine tamen jurium illius præjudicio, præſtari *fol.*32. Termino jam compilato, atque ab ambobus, quæ ſecum facere videbantur, in medium allatis, res pro ejus momentis perpenſa eſt. Conſtat ſane, Petrum Crauſo quum filiam hanc Franciſco Campanile nuptui daret, ducatos 300 dotis nomine promiſiſſe, nempe 120 in pecunia numerata ex dote materna, alioſque 30 in auro facto, 150 vero ex ære ſuo; hoc tamen in tabulis ſponſalitiis addito: *Riſerbandoſi per contratto tra vivi, ovvero di ultima volontà ſupplire, come è di giuſtizia, con detta ſua figlia con ulteriori gratitudini ed amorevolezza, a miſura del ſuo patrimonio fol.* 162. Certum item eſt, antequam Angela, virque ejus ad renunciationem acceſſiſſent, apud acta Joſephi Ricciardi caviſſe, ne cui ſibi renunciatio iſthæc detrimento, quod ad legitimam, quæ ex legum ſanctionibus ad eam in bonis paternis pertineret, foret *fol.*28. Sine dubio etiam eſt, Petrum ſupremum condentem teſtamentum, & Franciſcum alterius uxoris filium heredem inſtituentem, Angelæ huic ex priori matrimonio filiæ ducatos 50 legaſſe, qui in partem & legitimam, quæ de jure ad eam ſpectaret, cederent, cum omnia alia renunciaret *fol.* 25. Itaque dos a patre filiæ data, cum legato relicto, ſummam conficit ducatorum tantum 200, quum ceteri ducati 120, præter aurum factum, ex dote ſint matris. Id quidem hic deſiderandum eſſet, ut patrimonii paterni vires, quo tempore dos conſtituta eſt, innoteſcerent, ex quibus ſine ulla controverſia decerni poſſet paragium, quod inſtar legitimæ eſt. Sed hoc omnino non conſtat. Compertum tamen eſt, ditior, an pauperior tunc fuerit Petrus, hereditatis ejus defuncti æſtimationem per ſollemnia omnia, relationem & reviſionem factam, una ſimul comprehenſis prædiis urbanis, ruſticiſque, frugibus, agrorum, domuſque ſupel-

pellectili, deductis oneribus, ſummam ducatorum 7000 exceſſiſſe. Itaque læſam in congrua dote filiam hanc Petri, probabiliter cenſendum eſt; quare ſuccurrendum huic, atque ex æquo bono aliquid amplius ex paterna hereditate ei dandum nobis viſum, qui quippe quod patris officium eſt filias non ſolum in matrimonium collocare, ſed & pro ratione facultatum dotare, *L. 60. L. 61. §. 5. de jure dot.*; eo magis, quod in ambiguis pro dotibus reſpondere melius, *L. 70. ff. eod.* Et in dubitatione juris juſtis decretis res temperanda, *L. 85. ff. de reg. jur.* Quapropter, me referente, ampliſſimo huic Ordini decernendum placuit: *Deberi Angelæ Crauſo ducatos 500, una cum fructibus a die contracti matrimonii, ad rationem ducatorum quaternorum pro centenis, ad ſupplementum ejus paragii, & ad alia per eam prætenſa.*

Franciſcus d'Amora Act. Mag.

Verba fecit de his in S. R. C. D. Hector Capyciuslatro R. C. & cauſ. Comm.

In cauſa D. Pauli, aliorumque de Flumine, & D. Nicolai Mariæ Caruſi, cum fratribus de Marco, filiis D Juliæ de Flumine, ſororis utrinque conjunctæ ejuſdem D. Andreæ. Die 26. Aprilis 1776.

Renunciatio mulieris dotatæ ex paternis, maternisque bonis tantum, ampliſſime facta bonis omnibus etiam Conſuetudini obnoxiis, pro ſuis fratribus, illorumque heredibus, etiam extraneis, & legitimis, non eſt ita interpretanda, ut officiat filiis, quo-

D. Philippus de Flumine teſtamento anni 1692. inſtituta herede uſufructuaria ejus uxore D. Felicia de Auria, eique tributa facultate diſponendi inter liberos, ac inſtitutis octo filiis maſculis heredibus in legitima, dotem dixit fœminis aureorum 2000, facta ab ipſis pro eorum fratribus ad conſilium ſapientis renunciatione *fol. 40. proc. curr.* Tabulis nuptialibus anni 1702. dicta D. Felicia de Auria dotem dixit D. Juliæ de Flumine ejus filiæ, nuptui traditæ D. Thomæ de Marco, aureorum 3000, nempe 2000 ex bonis D. Philippi ejus patris, & reliquorum aureorum 1000 ex bonis maternis ipſius D. Fe-

Digitized by Google

D. Feliciæ *fol.* 154. *proc. præamb.* Hinc juxta præceptum patris præfata D. Julia (accedente conſenſu , ac obligatione ejus viri D. Thomæ de Marco) anno 1702. renunciavit omnia bona , etiam Conſuetudini hujus Civitatis obnoxia , ejus fratribus , horumque heredibus etiam extraneis & venientibus ab inteſtato , quamvis in remotiori gradu & linea , omni cautione Pragmaticorum adhibita *fol.* 88. *proc. curr.*

minus conſequantur medietatem bonorum antiquorum , cum dotatæ mulieris fratres abſque liberis deceſſerint.

Anno 1764. D. Andreas de Flumine , qui ſolus ſupererat ex permultis D. Philippi filiis , teſtamentum condidit , quo inſtitutis ex aſſe heredibus Ill. qu. D. Carolo Gaeta Regalis Cameræ S. Claræ Conſiliario , & D. Mutio Gaeta S. Nicolai Duce , ejus nepote , multisque ac uberrimis relictis legatis , declaravit , nullum jus ſpectare ſuper bonis antiquis tam ad prædictam D. Juliam de Flumine ejus ſororem , ob renunciationem in ampliſſima forma ab ipſa in ſui beneficium , ſuorumque heredum & ſucceſſorum , etiam extraneorum factam , quam ad quoſdam ſuum cognomen ferentes Terræ S. Antimi , propter nullam cum eiſdem propinquitatem , obque alias innumeras cauſas ; addiditque : *Ma nel caſo che detti pretenſori convenir voleſſero , ed eſſi Signori D. Carlo , e D. Muzio miei eredi ſtimaſſero venire a concordia con qualunque , e per qualunque di dette pretenſioni ; in tal caſo voglio , che le compongano , ed al di loro parere e determinazione , una , o più che foſſero , debba ſtarſi ... Con doverſi riputare detti ſtabilimenti , come ſe da me fatti foſſero , e come inſeriti nel preſente mio teſtamento. fol.* 35. *proc. præamb.* Codicillis deinde diei 21. Septembris 1764. ab ipſo D. Andrea conditis , & termino ordinario per S. R. C. decreto diei 18. Julii 1765. ſubjectis *fol* 179. , ipſe D. Andreas poſt firmatam prædictam teſtamenti ſui partem , ita addidit: *Bensì prego , che nel caſo , oltre de' ſuddetti pretenſori , vi foſſero altri , i quali per altre loro pretenſioni voleſſero promuovere liti . . . .*

Digitized by Google

Sebbene non credo ve ne poſſano eſſere, pure anche voglio, che nel caſo queſti voleſſero colle buone eſaminare, e componere tali altre loro pretenſioni, in tal caſo, per evitar le liti, prego i medeſimi miei Signori eredi a venir con eſſi a convenzione, anche ſe pagar li doveſſero fino alla ſomma di ducati quattromila, ſenza però, che ſe l' induca neceſſità di farlo... e ſenza che poſſano eſſere obbligati a convenire. fol. 42.

Anno 1769. concordia, ſive tranſactio, prævio arbitrio præfati D. Caroli Gaeta, inita fuit inter fratres de Marco, jam defunctæ D. Juliæ de Flumine filios, eoſdem de Gaeta heredes ſcriptos, & legatarios D. Andreæ de Flumine; cujus virtute prædicti fratres de Marco medietatem bonorum antiquorum in aureis 54000 receperunt; & contra renunciaverunt litem ab eorum matre D. Julia in S.R.C., & in M.C.V., tam pro prætenſa nullitate teſtamenti, quam pro medietate bonorum antiquorum, tentatam; promiſeruntque ſuam facere litem pro medietate ipſa bonorum antiquorum, a D. Paulo de Flumine, & a D. Nicolao Maria Caruſio forſan proſequendam *fol.* 348.

Penes acta autem hereditatis in S. C. deductæ, petiit D. Nicolaus Maria Caruſius, ob renunciationem D. Juliæ de Flumine in ejus tabulis nuptialibus, medietatem bonorum antiquorum, in hereditate D. Andreæ de Flumine ex latere materno remanſorum: qua quidem petitione termino ordinario ſubjecta, *cartularie* hunc actor explevit *fol.*473. *&c.* Acceſſerunt ſupplices libelli D. Pauli, & exinde D. Ignatii fratrum de Flumine, petentium ſibi ipſis deferri medietatem bonorum antiquorum, poſthabita non modo concordia inter fratres de Marco cum heredibus, atque legatariis prædicti D. Andreæ de Flumine, verum etiam renunciatione litis, facta ab ipſo D. Paulo, virtute procurationis, fraude, ac dolo extortæ *fol.* 10. *&* 83.

Præ

Præ oculis autem S. C. habens & quæ huc uſque narrata ſunt, & probationes per eumdem D. Paulum in termino ordinario, auditis tantum fratribus de Marco, inſtructas, ac cetera acta in pluribus voluminibus contenta,

Referente R. Conſ. D. Horatio Guidotti cauſæ Comm., ac interveniuntibus Dom. Aulæ Præfecto D. Carolo Paoletti, & Regiis Conſil. D. Joanne Pallante, D. Dominico Potenza, D. Joſepho Criſconio, & D. Antonio Carpentiero adjunctis.

Hanc protulit ſententiam: *Fratres de Marco filios qu. D. Juliæ de Flumine eſſe abſolvendos ab impetitis pro prætenſa medietate bonorum antiquorum, eiſdem obventa ex bonis hereditariis qu. D. Andreæ de Flumine eorum patrui tam per D. Paulum, & Rev. D. Ignatium fratres de Flumine, quam per D. Nicolaum Mariam Caruſium. Neutram partem in expenſis.*

Paulus de Flumine, primum uti quarto gradu, exinde uti ſeptimo gradu agnationis defuncto D. Andreæ de Flumine conjunctus, medietatem bonorum antiquorum, in hujus opulentiſſima teſtamentaria hereditate remanſorum, ſibi vindicare totis viribus contendebat. Hanc eandem medietatem rei conventi fratres de Marco, filii qu. D. Juliæ de Flumine (quæ fratri ſuo germano D. Andreæ ſupererat) inita anno 1769. cum Ill. D. Carolo, & D. Mutio Gaeta, heredibus in teſtamento ſcriptis, atque legatariis, concordia pro aureis 54000, aſſecuti jam fuere. Hoc itidem pro bonis maternis contendebat D. Nicolaus Maria Caruſius, tamquam ipſi D. Andreæ quarto cognationis gradu conjunctus. Nitebantur Actores in ampliſſima renunciatione, quam D. Julia, anno 1702. D. Thomæ de Marco nuptui tradita, fecerat in beneficium ſuorum fratrum, eorumque heredum & ſucceſſorum, *etiam extraneorum, & venientium ab inteſtato, etiamſi eſſent in remotiori gradu, & linea.*

Hæc ideo perpendenda erant: An ſcilicet Actores recte probaverint ſuam conjunctionem: Et an renunciatio, quæ proponebatur, D. Juliæ, ejuſque filiis obſtaret.

Quoad

Quoad primum, non recte D. Paulum ſuam conjunctionem cum defuncto D. Andrea probaſſe, S. R. C. putavit. Litis initio, prætenſæ proximitatis agnationis ſuæ idem ipſe neſcius, quarto gradu ab illo dumtaxat diſtare aſſeruit, uti filius Antonii, qui fuit filius Franciſci Mariæ filii Franciſci de Flumine, ex quo pariter ortus Philippus pater defuncti D. Andreæ *fol.* 11. Deinde in termino nonnullis teſtibus de auditu, nonnullisque ſcripturis, ſe, uti ab Hortenſio de Flumine deſcendentem, ipſi D. Andreæ ſeptimo conjunctum gradu probare ſtuduit, uti filius nempe Carmini Antonii, ſive Antonini, filii Franciſci Mariæ filii Scipionis, qui fuit Hortenſii filius, ex quo ortus pariter Franciſcus pater Philippi, qui & pater fuit D. Andreæ. Sed licet Hortenſium de Flumine, inter alios liberos, Scipionem, atque Franciſcum procreaſſe conſtaret; attamen non liquebat, eumdem Scipionem filium Hortenſii illum eſſe, ex quo Paulus, cumque eo Rev. D. Ignatius, fratres de Flumine, eorum originem ducebant. Siquidem ex fide matrimonii in actis exhibita *fol.* 171., quemdam Scipionem de Flumine cum Hippolyta Ruſſo nuptias contraxiſſe habetur; ſed in ea non deſignatur (uti par erat, & moris eſt, atque ex documentis ſimilibus eſt videre), ipſum Scipionem eſſe præfati Hortenſii filium. Accedit quod ipſe D. Paulus, ejuſque frater D. Ignatius, ſe ortos a conjugibus Carmine Antonio ſive Antonino de Flumine, & Roſolina de Vivo in hoc termino probare operam dederunt; contra ex quibuſdam aliis probationibus, ob præambulum eorum patris, eorumque patrui Rev. D. Joſephi, ab iiſdem anno 1736. in M. C. V. inſtructis, ex Antonio de Flumine, ac Roſalia de Chiara conjugibus genitos fuiſſe habetur *fol.* 167.

Imperfectas quoque D. Nicolai Mariæ Caruſii eſſe probationes, pro conjunctione ſua cum defuncto D. Andrea ex latere materno, animadverſum fuit. Probavit ipſe qui-

Digitized by Google

quidem, ſe genitum a Franciſca de Auria filia qu. Dominici, ex ſecundis nuptiis inter eumdem Dominicum initis cum Joanna Cavaliero *fol.* 534. Erat quoque in probatis, Feliciam de Auria, Philippi de Flumine uxorem, ac defuncti D. Andreæ matrem, filiam fuiſſe cujuſdam Dominici de Auria *fol.*533. Deficit tamen identitatis ejuſdem perſonæ probatio, cum deſit atteſtatio, ſive fides primarum nuptiarum, uti aſſerebatur, inter eumdem Dominicum, & Magdalenam Maſullo initarum. Cum igitur de auferenda ſorori utrinque conjunctæ, ac nepotibus teſtatoris, medietate bonorum antiquorum ageretur, in re tam magni momenti mendoſas eſſe atque imperfectas Actorum probationes, pro eorum legitimatione, primo loco exiſtimatum eſt. Ad recte etenim probandam filiationem quamplurimas requiri conditiones, (inter quas legitimarum nuptiarum probatio poſtremum non obtinet locum) certi manifeſtique juris eſt, *L.* 13. *de probat.*

Quoad ſecundum (cum etiam Actores recte eorum conjunctionem probaſſent) cenſuit S.R.C., oppoſitam renunciationem, quamvis realem & ampliſſimam, pro aſſequenda medietate bonorum antiquorum virtute Conſuetudinis *Etſi teſtator*, D. Juliæ, ejuſque filiis, non obſtare, ſive invalida & inefficax, ſive valida, uti ex adverſo proponebatur, vellet exiſtimari.

Et revera de hujuſmodi renunciationis validitate haud parum dubitabatur; deque ea valde dubitatum fuit, cum alias anno 1765. (non adhuc inita concordia inter heredes ſcriptos, & legatarios cum fratribus de Marco) urgente dumtaxat D. Julia eorum matre (quæ tunc in humanis agebat) S.R.C. decreverit, petitionem ipſius D. Juliæ, uti moris eſt, diei ordinariæ eſſe ſubjiciendam; *Firmo interim remanente ſequeſtro, etiam quoad fructus, ſuper medietate prædicta, fol.*129. *proc. præamb.* Nec immerito: Siquidem non ambigitur in facto, D. Juliam nul-

nullas alias habuiſſe dotes, præter aurea 3000, nempe 2000 ex paternis, aliaque 1000 ex bonis maternis *fol.* 154.; ejuſque vero fratres nihil de proprio promiſiſſe, nilque dediſſe. Hinc renunciatio a D. Julia facta, etiam filiorum nomine, nedum in beneficium D. Feliciæ de Auria ejus matris, ac dotem dicentis tam ſuo, quam defuncti D. Philippi ejus viri nomine (cujus ex teſtamento heres erat uſufructuaria, cum facultate diſponendi inter liberos, heredes dumtaxat ſcriptos in legitima), verum etiam ad ſuorum fratrum de Flumine favorem, eorumque heredum & ſucceſſorum, *quamvis extraneorum, & denique venientium ab inteſtato, etiamſi eſſent in remotiori gradu & linea*, non poterat ad bona fraterna protrahi, de quibus ſoror renuncians nullam accepit dotem.

Fuit etiam facta *ſine cauſa, nihiloque accepto*: &, quod magis eſt, in detrimentum, ac perniciem filiorum, ad favorem extraneorum, ut fratres ipſi renunciatarii abſque liberis decedentes, Conſuetudinis diſpoſitione ſpreta, poſſent de bonis antiquis libere diſponere. Sane hujuſmodi renunciationes, quæ aliud non ſunt, niſi pactum de non ſuccedendo, juris civilis auctoritate recte improbantur, *L.* 3. *C. de collat. & L. ult. de ſuis & legit.* Et non aliter, quam juramento firmatæ, jure Canonico tutantur, *Cap. Quamvis de pactis in 6.* At ipſo Pontificum jure, cum aut in æternæ ſalutis diſpendium, vel in maximam renunciantium perniciem, ſive in alterius, id eſt filiorum, viri, & ab inteſtato venientium detrimentum redundent, inefficaces ſunt, atque infirmantur, *dict. Cap. Quamvis in fin. & ibi gloſſ.*

Accedit, quod inſpecto teſtamento D. Philippi de Flumine patris ipſius D. Andreæ, ac D. Juliæ ejus ſororis, ab iiſdem Actoribus exhibito, hujuſmodi renunciatio in beneficium *fratrum maſculorum*, ad conſilium ſapientis, non autem *pro extraneis, ac pro inteſtato venientibus*, *etiam*

etiamſi eſſent in remotiori gradu & linea facienda erat *fol.* 40. Enormiſſimam igitur læſionem, contra juſſum patris, hæc renunciatio redolere videbatur.

Neque ferendum erat, ut hujuſmodi renunciatio tantam aſperitatem ſapiens, & contra patris præceptum facta, in eo caſu quoque locum haberet, quo (abſque liberis & deſcendentibus) defectis atque extinctis omnibus aliis filiis qu. D. Philippi de Flumine, ſola D. Julia anno 1764. ſuperſtes extitit, itaut, ipſa excluſa (ac remota idcirco filia, eademque ſorore) ſucceſſio bonorum antiquorum, in hereditate ſui fratris D. Andreæ remanſorum, extraneis deferenda eſſet. Verba renunciationum, quantumvis ampla & generalia, ex mente ipſius renunciationis declaranda ſemper ſunt, & limitanda; ut quando caſus, præter mentem & expectationem contrahentium, eveniat, hujuſmodi renunciatio non obſtet. Et fruſtra objiciebatur in contractu renunciationis obligationem D. Thomæ de Marco, ipſius D. Juliæ viri, interfuiſſe: ſiquidem cum talis obligatio acceſſoria eſſet, explorati quoque juris eſt, ut qui acceſſionis loco promittunt, in leviorem cauſam accipi poſſunt, in deteriorem non poſſunt, *L. 4. & 35. §. illud commune de fidejuſſ. & mandat.*

Sed poſita, quæſo, hujuſmodi renunciationis validitate, nulli dubium, quin fuerit *translativa*. Ita ex ipſis inſtrumenti verbis eruitur; & talem eſſe iidem Actores faſſi ſunt. Neque intereſt, in renunciatione clauſulas adeſſe, realitatem præſeferentes, quum pro comperto ſit, clauſulas iſtas nullatenus prodeſſe, niſi iis, quorum favore ſit renunciatum. In hac igitur renunciatione *translativa* tacita ineſt conditio, *ſi hereditas, ſive ſucceſſio ipſi renuncianti deferatur:* Et tunc, cum primum renuncianti ſucceſſio deferatur, juris fictione ab ipſa adquiri, & ad renunciatarium, ſive ad heredes ipſius, ad cujus favorem facta eſt renunciatio, cenſetur transferri. Cum igitur D. Julia per pactum de non petendo *translative* renun-

Digitized by Google

renunciaverit in ejus fratrum, eorumque heredum & ſucceſſorum, etiam extraneorum, beneficium; cumque D. Andreas, ultimus ex ſuis fratribus ſuperſtes, heredes in teſtamento ſcripſerit D. Carolum, & D. Mutium Gaeta; medietas idcirco bonorum antiquorum renuncianti D. Juliæ, uti proximiori a Conſuetudine vocatæ, vere delata fuit; & veluti ab ipſa adquiſita, translata eſt ad ipſius D. Andreæ heredes ſcriptos, in quorum beneficium primum facta fuit renunciatio. Firmata igitur pro ipſa renunciante bonorum antiquorum ſucceſſione, proximioribus in gradu ſequentibus nullum ſuccedendi in iiſdem bonis jus erat; quum una eademque ſucceſſio pluribus in ſolidum deferri non poſſit.

At, inquiunt Actores, renunciationem, de qua agitur, pactam quoque fuiſſe in *venientium ab inteſtato* beneficium, *etiamſi eſſent in remotiori gradu & linea*. Sed animadverſum fuit primo, pactum hoc nonniſi paciſcentibus prodeſſe poſſe, nullumque ex eo jus agnatis & cognatis, in remotiori gradu & linea exiſtentibus, ex juris regulis adquiri, *L. Stipulatio iſta §. alteri de verb. obligat. §. ſi quis alii, §. alteri Inſtit. de inutil. ſtipul.* Secundo perpenſum fuit, huic diſceptationi, mortuo ab inteſtato renunciatario, non vero teſtato, locum fore. At, poſtquam adſunt ipſius renunciatarii heredes ſcripti, in quorum beneficium re ipſa, virtute renunciationis, ac teſtamenti, bonorum antiquorum medietas fuit delata; ſane venientium ab inteſtato ceſſat ſucceſſio, *L. Antequam 9. C. communia de ſucceſſ. Gloſſ. deſtituerit in L. Si quis poſtumos §. final. de liber. & poſtum. Gloſſ. 1. in L. final. de condit. & demonſtr., L. 1. & ibi Gloſſ. pen. C. unde liberi.*

Nec proderat Actoribus ad prætenſam teſtamenti ipſius D. Andreæ nullitatem confugere: ſiquidem omiſſo, quod ex *L. 12. C. de judic.*, & ex Regio Reſcripto diei 29. Aprilis *fol.* 158. de teſtamenti nullitate (quatenus actio

eis

Digitized by Google

eis competeret) lis proſequenda erat in M.C.V., in in qua, inſtante dumtaxat D. Julia, ac liti iſti ſignanter renunciante D. Paulo *fol. 152.*, terminus ordinarie dictus (dato heredibus ſcriptis præambulo ex teſtamento) nunquam fuit compoſitus; ipſimet Actores teſtamenti validitatem fateri non ſunt veriti; quum alter, nempe Caruſius, in S.R.C. *fol.173.*; alter, ſcilicet D. Paulus, ad Regale faſtigium *fol.184.* inſtiterint, ut heredes in teſtamento ſcripti, virtute facultatis eiſdemmet a D.Andrea teſtatore tributæ pro componendis adverſis petitionibus, quoad prætenſam medietatem bonorum antiquorum, declarationem facerent: quod nil aliud eſt, quam teſtamentum, ejuſque validitatem approbare, & confiteri. Et nulla major probatio, quam proprii oris confeſſio, *L. 1. C. de confeſſ.*

Fruſtra vero ab Actoribus reponebatur, quod hæc declaratio pro ipſis ab heredibus ſcriptis facienda eſſet: ſiquidem licet D. Andreas ejus ſororem D. Juliam, ob ampliſſimam renunciationem ab ipſa factam, in teſtamento excluſiſſet; rejecit quoque a bonorum antiquorum medietate Actores, veluti ſibi nulla ſanguinis conjunctione adſtrictos, obque alias cauſas, quas non expreſſit. At D. Julia (citra nullitatem teſtamenti, quæ diei ordinariæ ſubjecta fuit) excepit pariter de renunciationis ſuæ viribus, ad medietatem bonorum antiquorum ſaltem aſſequendam, ſuper quo, uti ſuperius, dicta per S.R.C. die ordinaria, fuit additum: *Firmo remanente ſequeſtro, etiam quoad fructus, ſuper eadem medietate*. Contra vero ob teſtamenti ipſius D. Andreæ, ac *translativæ* ejuſdem D. Juliæ renunciationis validitatem in heredum teſtamentariorum beneficium, nullum jus erat Actoribus, uti quoque ſuperius demonſtratum. Jure igitur meritoque, heredes ſcripti, facultate ſibi a teſtatore relicta recte utentes, cum fratribus de Marco, filiis D. Juliæ, quæ fratri ſuo teſtatori ſupererat, ac po-

Digitized by Google

tiora jura habentibus, concordiam pro bonis antiquis iniere.

Rurſus componendi facultas heredibus ſcriptis in teſtamento conceſſa, fuit libera. Verba ſunt: *Con qualunque, e per qualunque pretenſione*. Hinc hujuſmodi facultas habenda erat, tamquam legatum ad arbitrium heredis collatum. At hujuſmodi legatum pro boni viri arbitrio accipiendum erat, *L. 1. de legat. 2.*; & ex viri boni arbitratu, in teſtamentorum, legatorumque interpetratione *mens patris fam'lias, legatarii dignitas, ſanguinis quoque, & conjunctionis ordinata charitas* inſpicienda eſt, *L. 70. §. pen.*, *L. 79. §. pen. de leg. 2.* Jure merito igitur perneceſſe S. R. C. cenſuit, conventionem hanc approbandam, qua, poſthabitis D. Paulo de Flumine, & D. Nicolao Maria Caruſio, remotioribus in agnationis & cognationis gradu ſe ſe aſſerentibus, heredes ſcripti medietatem bonorum antiquorum filiis D. Juliæ, teſtatoris nepotibus, dedere. Et quod heredum in teſtamento ſcriptorum, uti virorum bonorum judicium fuit, ex ipſius teſtatoris præcepto *fol. 35.*, veluti judicium ejuſdem, idem S R. C. habendum eſſe putavit.

Et fruſtra demum (quod attinet ad Caruſium) per ipſum in medium proferebatur, legatum contineri in ſui beneficium ſub verbis illis codicillorum diei 21. menſis Septembris anni 1764., quibus D. Andreas de Flumine cum aliis ſuper bonis ſuis hereditariis forſan intereſſe habentibus concordiam, uſque ad aureorum 4000, fieri commendavit. Hæc equidem codicilla decreto S. R. C. diei 18. Julii anni 1765. (firmato tantum præambulo ex teſtamento) diei ordinariæ ſubjecta fuere *fol. 179.* Neque in his codicillis obligatio injuncta fuit heredibus diſſidia ſuper bonis ſuis hereditariis componendi, ſed dumtaxat per modum conſilii (ut jurgia declinarentur, ſi ita heredibus ipſis videretur) facta fuit per præfatum D. Andream teſtatorem exhortatio *fol. 42.* Et denique hujuſ-

hujuſmodi conſilium non reſpexit medietatem bonorum antiquorum ex latere materno per eumdem Caruſium prætenſam, uti ex verbis illis codicillorum ſuperius relatis, videre eſt. Et notatu dignum eſt, quod hic neque in teſtamento, neque in codicillis fuit nominatus; bonorumque prædictorum exiſtentiam (uti par erat) nequicquam recte probabit.

Jacobus Nicoletti, & Andreas de Roſa Scribæ.

In cauſa inter Mariannam de Franco, & Petrum de Franco. Die 1. Julii 1776.

CUm Horatius de Franco ſine liberis deceſſiſſet, relicta ſorore utrinque conjuncta Marianna, Petrus de Franco patruus, in cujus tutela erat, dominium prædii jugerum circiter quinque ſibi aſſeruit, tamquam jure ſuo vindicando, cauſatione fideicommiſſi ejus abavi Jacobi de Franco; ſubindeque nuptui tradidit Mariannam fratris ſui filiam, cui dotem ducatorum 200, ex fructibus ejuſdemmet prædii percipiendam, conſtituit, ampliſſimamque ſibi paravit renunciationem. Ubi primum autem Marianna cognitum habuit, nullo jure Petrum de Franco occupaſſe prædium, revindicationis actionem illi intendit: in qua dijudicanda, perſpectis per S. C. verbis codicillorum Jacobi de Franco, compertum eſt, eumdem Jacobum interdicta tantummodo bonorum ſuorum alienatione, neque agnationi proſpexiſſe, neque fœminas a ſucceſſione rejeciſſe. Quod quidem conſervationis bonorum conſilium, cum æque in maſculis, atque in fœminis comprobaretur, ſequebatur utrumque genus in vocatione comprehendi, *L. Quod & tertia §. 1. ff. de libero homine exhibendo*, *L. Ait Prætor 3. ff. de negot. geſtis*, *L. Lucius ff. de legat.* 1. Potiſſimum quia cum ſucceſſio in fideicommiſſis, qualitate carentibus, ad nor-

Qui bonorum ſuorum alienationem vetat, nullo peculiaris agnationis intuitu, nec remotis fœminis a ſucceſſione; utrumque genus vocare intelligitur.

mam inteſtatæ ſucceſſionis dirigatur, nullo pacto, ſuperſtite adhuc Marianna, tranſitio dari poterat ad Petrum de Franco. Hinc viſis actis,

Referente R. Conſ. D. Joſepho Criſconio cauſa Comm.

S. R. C. decrevit: *Petrum de Franco condemnandum eſſe ad relaxandum in beneficium Mariannæ de Franco bona remanſa in hereditate qq. Honuphrii, & Horatii de Franco, etiam perventa a fideicommiſſo qu. Jacobi de Franco, una cum fructibus, pro quantitate, & tempore liquidandis, & tempore liquidationis prædictæ providebitur reſpectu expenſarum litis.*

Euphebius Girardi Act. Mag. Januarius Caſtelus Scriba.

In cauſa inter D. Carolum Ariciello, & D. Roſam Ferullo conjuges ex una, & D. Michaelem de Tomaſo ex altera. Die 3. Julii 1776.

Beneficium reſciſſionis ex capite læſionis locum non habet in donationibus oneroſis.

CONjuges D. Carolus Ariviello, & D. Roſa Ferullo inſtrumento diei 21. Martii 1762. donaverunt Michaeli de Tomaſo domum quamdam cum viridario, poſitam in hac Civitate in declive Montis S. Martini, in via, qua itur ad Monaſterium; tranſlatis in eumdem de Tomaſo oneribus omnibus, omnique ære alieno, quibus domus prædicta, ac viridarium premebantur, & quorum mentio in dicto inſtrumento facta fuit; reſervata eis habitatione in parte quadam præfatæ domus, & præcipuo uſu viridarii eorum vita durante, ac etiam alimentis, quæ ab eodem Michaele de Tomaſo, in caſu ipſius præmorientiæ, taxata fuerunt in ſumma annuorum ducatorum viginti *fol.* 20. Quam donationem iidem conjuges altero inſtrumento diei 20. Februarii inſequentis anni 1763. iterum confirmaverunt, ipſo Michaele de Tomaſo præſente & acceptante; accedente etiam Regia diſpenſatione reſpectu D. Roſæ Ferullo, ac denuo recenſitis in eodem inſtrumento omnibus oneribus, & debitis

re

rei donatæ innixis : in quo altero inſtrumento præſcriptis verbis fuit dictum , onera prædicta excedere valorem domus, & viridarii *fol.* 8.

Die 16. Februarii 1764. donantes Ariviello, & Ferullo petierunt in S. R. C. manutentionem , eorum vita durante, in habitatione prædictæ domus, & in uſu viridarii, citatis inſtrumentis donatorum.

E contra Michael de Tomaſo die 13. Martii 1765. deduxit, circumventum ſe fuiſſe a prædictis de Ariviello, & Ferullo; & in acceptatione donationis antedictæ domus cum viridario fuiſſe enormiſſime læſum; ex eo quia onera, atque æs alienum domui prædictæ innixa longe excedebant ipſius valorem; ac inſuper prædicti conjuges, ultra reſervatam habitationem , occupaverant etiam alteram ipſius domus partem, atque integros viridarii fructus contra id, quod in inſtrumento donationis conventum fuerat: quapropter petiit donationem præfatam reſcindi ex capite enormiſſimæ læſionis non minus, ac controventionis, & condemnari dictos de Ariviello, & Ferullo ad reſtituendum omne id , quod æris alieni , & alimentorum nomine , atque in refectionibus dictæ domus, noviſque ædificiis ipſe de Tomaſo impenderat *fol.*6.

Hinc decreto interpoſito per tunc Dominum cauſæ Commiſſarium ſub die 12. Maji 1766., ſuper petita reſciſſione donationis fuit impartitus terminus ordinarius; terminus vero ſummarius ſuper prætenſis controventionibus, non impedita interim executione inſtrumenti donationis *fol.*34. Deinde teſtes examinati fuere tam ad inſtantiam Michaelis de Tomaſo , quam ipſorum conjugum ſuper articulis per utramque partem præſentatis *fol.* 59. *&c.*; & his omnibus acceſſit æſtimatio domus , & viridarii, facta in gradu reviſionis per Tabularium D. Nicolaum Schioppa pro ſumma ducatorum 2463, & aſs. 10, *fol.*311.

Inſpectis omnibus actis, S.R.C. ita pronunciavit:

Referente R. Conſil. D. Franciſco Maſtellone cauſæ Comm.

Magn.

Magn. D. Carolum Ariviello, & D. Roſam Ferullo eſſe abſolvendos ab impetitis pro parte magn. Michaelis de Tomaſo, qui condemnetur ad litis expenſas.

Cenſuit enim S. C. contractum donationis præfatæ inter prædictos de Ariviello, & Ferullo, ac de Tomaſo fuiſſe initum bona fide, ac mutuo partium conſenſu, atque mediante altero inſtrumento poſterius celebrato confirmatum, repetita deſcriptione onerum, æriſque alieni; ac nullam fraudem, nullumque dolum interceſſiſſe pro parte donantium, vel ante, vel poſt donationem, ut ex inſtrumentis ſupra enunciatis, & probationibus in termino factis compertum eſt: proindeque ex ſolo diſſenſu, & pœnitentia Michaelis de Tomaſo donatarii nullo modo poſſe reſolvi, *L.* 80. *ff. de ſolut. & liberat. L.* 35. *&* 75. *ff. de reg. jur. L.* 5. *Cod. de oblig. & act. L.* 12. *in fin. Cod. de contrah. empt.* Neque locum eſſe petitæ reſciſſioni ex capite deductæ læſionis; beneficium enim iſtud reſciſſionis fuit legibus introductum ad compeſcendam nimis effrænem ementium, ac vendentium licentiam ſe invicem decipiendi, quoties tamen intervenerit læſio ultra dimidium juſti pretii, *L.* 2. *& L.* 8. *Cod. de reſcind. vend.* Quapropter non admitti, niſi in contractibus emptionis & venditionis, aliiſque eorum vicem ac vim obtinentibus; non autem in hoc donationis, quantumvis oneroſo, pro quo præterea probatum fuit, onera, & æs alienum vix æquari pretio rei donatæ, deque illis Michaelem de Tomaſo replicatis actibus fuiſſe contentum. Cenſuit inſuper S. C., nullam adfuiſſe controventionem ex parte prædictorum de Ariviello, & Ferullo, utendo quodam parvo cubiculo ſuperimpoſito eorum habitationi, & integris fructibus viridarii; etenim reſervato, tempore donationis, ingreſſu ad viridarium, conſtitit uſque adhuc, nullam aliam patere viam illud adeundi, niſi per dictum parvum cubiculum, recteque dictos conjuges illo uti, ſicut & modicis fructibus viri-

darii

darii prædicti, *L. Fundi uſu 15. ff. de uſu, & habit.*; attenta ejus parva extenſione, ut ex relatione Regii Architecti D. Joannis Dominici Vinaccia *fol* 167. Jure igitur Michael de Tomaſo tamquam improbus litigator adverſus factum proprium, propriamque obligationem libere contractam temere veniens, ac nihil probans de deductis læſione, circumventione, & controventione, ad litis expenſas prædictis de Ariviello, & Ferullo reficiendas erat condemnandus, *L. 7. ff. de jud. L. 4. Cod. de fruct. & lit. expenſ. L. 6. §. 4. Cod. de appellat. Conſtit. Regni Eorum fraud. tit. de except. malit. oppoſit. Pragm. 1. & 2. tit. de expenſ.*

Antonius Baſile Act. Mag. Bartholomæus Cocozza Scriba.

In cauſa D. Joſephi Gravante cum Rev. Canonico D. Thoma de Rentiis, & D. Michaele Gravante: Die . . . Julii 1776.

DOctor Phyſicus Michael Gravante heres ab inteſtato, una cum Joſepho ejus fratre conſanguineo, communis patris Jo: Baptiſtæ Gravante *fol.* 4., anno 1755., nulla prævia æſtimatione; vendidit Rev. Canonico D. Thomæ de Rentiis ædes quaſdam cum viridario, in Civitate Capuæ poſitas, hereditarias Joannis Baptiſtæ, pro aureis quadringentis, quæ ipſi, utpote dotium qu. Roſæ Viani ſuæ matris creditori, aliiſque creditoribus hereditariis ejuſdem Jo: Baptiſtæ ſoluta fuere *fol.* 65. Joſephus autem Gravante, quo inſcio, venditio facta fuit, quique venditionis tempore non adhuc minorem ætatem exceſſerat, judicium in S.C. contra emptorem inſtituit, quo & nullitatis, & læſionis cauſa venditione impugnata, petiit, ut emptor ei reſtitueret medietatem domus, ac viridarii *fol.* 10. Termino ordinarie dato *fol.* 27., atque compoſito *fol.* 37., menſe Februario anni 1773. S.R.C. mandavit Regiæ Curiæ Civitatis Capuæ, ut citra

Venditio, nullis adhibitis ſolemnibus, facta a fratre coherede, cum alter & abſens & minor eſſet, revocatur quoad partem minoris; etiamſi pretium æri alieno perſolvendo deſtinatum fuiſſet.

tra præjudicium jurium partium, & termini jam compoſiti, adhibitis duobus peritis, partibus non ſuſpectis, & partibus ipſis requiſitis, ædes prædictas cum viridario, tam inſpecto venditionis tempore, quam præſenti, æſtimandas curaret *fol.* 140. Peritia, atque æſtimatione facta *fol.* 149.; facta quoque reviſione per Regium Architectum D. Joſephum Attanaſio, petente eodem Rev. Canonico de Rentiis *fol.* 171.; altera demum reviſio, inſtante eodem Rev. Canonico, mandata fuit Tabulario S. C. D. Horatio Salerno, qua ſtabilia prædicta (ædes ſcilicet & viridarium) prout venditionis tempore valebant, pro ducatis 643; prout vero tempore præſenti (demptis duc. 57 ob ædium reparationem, aliiſque duc. 612, propter novi horrei conſtructionem) pro ducatis 743 æſtimata fuere *fol.* 212.: quaque pariter fructus ex viridario atque ædibus prædictis percepti, ſive qui percipi poterant, in annuis duc. 31 ſunt patefacti *fol.* 222. His itaque inſpectis, ac omnibus actis, S.C. pronunciavit,

Referente R. Conſ. D. Horatio Guidotti cauſæ Comm.

Condemnamus Rev. Canonicum D. Thomam de Rentiis ad reſtituendam in beneficium Joſephi Gravante nomine ut in actis, medietatem viridarii, atque ædium, die 27. Decembris 1755. a Michaele Gravante ejus fratre ei venditarum (dempto tamen horreo noviter conſtructo) una cum fructibus a prædicto die per Scribam cauſæ, partibus requiſitis, calculandis, ad rationem duc. 15, & aſs. 50. ſingulis annis, ſecundum relationem magn. Tabularii S. R. C. D. Horatii Salerni fol. 224.; Solutis tamen, ſive compenſatis per dictum Joſephum in beneficium præfati Rev. Canonici ducatis 200, creditoribus hereditariis qu. Jo: Baptiſtæ Gravante numeratis, una cum intereſſe a die prædicto pariter per Scribam cauſæ, ad rationem ducatorum quinque pro ſingulis centum, calculando; & ſolutis quoque ducatis 28, & aſs. 50, ob medietatem ducatorum 57 pro reparatione dictarum ædium

ædium ab eodem Rev. Canonico impenſorum , qui Rev. Canonicus condemnetur etiam ad litis expenſas poſt ſententiam S. R. C. diei 8. Februarii 1773. Necnon viſis libello per eumdem Rev. Canonicum noviter producto, petentem reficiendum ſibi eſſe omne id quod intereſt per Michaelem Gravante fol. 265.; ſupplicatione ejuſdem Doctoris Phyſici Michaelis Gravante fol. 263., in biduo audiantur partes ſuper omnibus hinc inde deductis & prætenſis.

Ita ſane judicandum erat, cum bona ſtabilia, de quibus lis erat, quæque pro medietate ad Joſephum Gravante, uti filium ex ſecundis nuptiis, atque ab inteſtato heredem ex ſemiſſe Jo: Baptiſtæ Gravante, pertinebant, Rev. Canonicus de Rentiis a Michaele Gravante ejus filio ex primis nuptiis, atque coherede pariter ex altero ſemiſſe, injuria ipſius Joſephi, tunc minoris & abſentis, inconſulto acquiſiverit. *Domum,* (ait lex) *quam ex matris ſucceſſione ad te pertinere, & ab adverſa parte injuria occupatam eſſe oſtendis; Præſes Provinciæ cum penſionibus, quas percepit, aut percipere poterit, & omni cauſa damni dati, reſtituere jubebit, L. 5. C. de reivindic., L. Nemo 6. C. de reb. alien. non alienand.* Et fruſtra objiciebatur, venditionem hanc ex cauſa neceſſaria fuiſſe factam, ob æs alienum, nempe, cui bona hereditaria Jo: Baptiſtæ Gravante obnoxia reperiebantur; propter quod Creditorum in M. C. V. concurſus, eorumdem bonorum ſequeſtratio, ac decretum ejuſdem M. C. venditionem mandantis, evenere. Siquidem venditio hæc non fuit facta, authore Prætore, neque ſollemnia ſervata fuere, quæ habentur in *L. 6. §. 9. 10. & 11. & in L. 11. de rebus eorum, qui ſub tutela, vel cura ſunt;* ſed ſublato ſequeſtro, ob conventionem inter Creditores ipſos, & Michaelem Gravante, qui ſe heredem patris ſui ex aſſe profeſſus fuit, ipſe unus deinde vendidit bona, de quibus agitur; & pretii maximam partem po

ſatisfactione dotium Roſæ Viani ejus matris, ipſe unus ſibi attribuit. Venditio hæc inſuper fuit facta, nulla, uti par erat, intercedente bonorum æſtimatione; & revera in perniciem Joſephi Gravante, tunc minoris annorum duodecim, & abſentis, uti ex confecta peritia videre eſt, pro ducatis tantummodo 400. ipſe Rev. Canonicus bona emit, quæ tunc temporis ducatos 643 valebant: quæque hodie, demptis acceſſionibus, atque reparationum impenſis, ducatis 743 ſunt æſtimata. Jure merito igitur eumdem Rev. Canonicum damnandum eſſe S. R. C. cenſuit, ad reſtituendam in beneficium Joſephi Gravante medietatem ædium, & viridarii, una cum fructibus, & litis expenſis, ſolutis tamen ducatis 200., una cum eorum intereſſe, ne idem Joſeph cum aliena jactura locupletaretur, *L.* 14. *de condict. indeb.*, *L.* 8. *§.* 22. *de tranſact.*

Quaranta A8. Mag. Salſanus Scriba.

In cauſa Joſephi Gravante cum Angelo Buglione, & Angelo Ventriglia. Die ... Julii 1776.

Periti æſtimationem ad æquitatem redigere, Judicis officium eſt.

SEntentia S. R. C. diei 6. Februarii 1773. damnatus fuit Angelus Buglione ad reſtituendum in beneficium Joſephi Gravante, nomine ut in actis, medietatem duarum ædium cum parvo horto, hereditariarum qu. Jo: Baptiſtæ Gravante ejus patris, illi venditarum virtute inſtrumenti diei 15. Junii 1757., una cum fructibus a prædicto die liquidandis, pro quorum liquidatione dicta fuit dies ordinaria; ſalvis eidem Angelo Buglione juribus, ſi quæ competunt, contra Carolam, & Michaelem Gravante; fuitque etiam damnatus Angelus Ventriglia ad reſtituendam in beneficium ejuſdem Joſephi Gravante medietatem alterius domus etiam hereditariæ qu. Jo: Baptiſtæ Gravante, illi venditæ virtute inſtrumenti diei

20.

20. Junii 1764., & 5. Martii 1765., una cum fructibus a prædicto die 5. Martii 1765. liquidandis, pro quorum liquidatione etiam dicta fuit dies ordinaria; ſalvis quoque eidem Angelo Ventriglia juribus, ſi quæ competunt, tam contra D. Franciſcum Danza primum emptorem domus prædictæ, quam contra Carolam, & Michaelem Gravante venditores, *fol.*140. Acceſſit decretum Domini cauſæ Commiſſarii diei 14. Junii 1773., quo pro executione ſententiæ prædictæ in rem judicatam tranſactæ, mandatum fuit, fieri per peritos, partibus requiſitis eligendos, æſtimationem ædium prædictarum, fierique de omnibus relationem, ad finem providendi *fol.* 147. Relationem confecit die 20. Aprilis 1774. Regius Gubernator Civitatis Capuæ, ex qua habetur, Peritos per eumdem electos domum ab Angelo Ventriglia poſſeſſam aureis 78, & aſſ. 50 æſtimaſſe; domoſque ab Angelo Buglione acquiſitas, aureis 67. *fol.*158. Ex alia relatione Regii Architecti D. Joſephi Attanaſio diei 8. menſis Auguſti 1774. habetur, redditus domus ab Angelo Ventriglia poſſeſſæ, aureos ſeptem cum dimidio; redditus vero ædium cum horto, per Angelum Buglione poſſeſſarum, aureos quatuor, & aſſ. 80 attingere *fol.* 179.

His omnibus perpenſis, atque præ oculis habens S. C. probationes factas *fol.*247., item libellos Angeli Ventriglia, & Angeli Buglione, quibus ii impugnant æſtimationem fructuum confectam a Regio Architecto Attanaſio *fol.*184.

Referente D. Horatio Guidotti R. Conſ. & cauſæ Comm.

Hanc protulit ſententiam: *Angelum Buglione, & Notarium Angelum Ventriglia damnandos eſſe ad ſolvendum in beneficium Joſephi Gravante medietatem fructuum domorum in actis deductarum, ad rationem annuorum ducatorum quinque in ſingulis centum per Scribam cauſæ, partibus requiſitis, a die in præcitata ſententia præſcripto calculandam. Neutram in expenſis.*

 Fru-

Fructuum damnatio ſequitur dominium, atque bonorum injuria acquiſitorum reſtitutionem, *L. 5. C. de reivindic. L. Nemo 6. C. de reb. alien. non alienand.* Hos vero fructus ad æquam rationem annuorum ducatorum quinque in ſingulis centum, poſthabita Architecti Attanaſio æſtimatione, reducere, S.R.C. viſum fuit; cum hujuſmodi æſtimatio neque pretio per Peritos a Regio Gubernatore Civitatis Capuæ electos, domibus conſtituto, & a Joſepho Gravante non contradicto, neque dictorum bonorum locationibus convenire videretur; & rem ad æquitatem redigere, Judicis officium eſt, *L. 5. de eo quod cert. loc. L. 8. C. de interdicto.*

Quaranta Act. Mag. Salſanus Scriba.

In cauſa D. Pauli Antonii Ferrari cum magn. Curatore dato futuris vocatis in fideicommiſſis D. Matthia, & D. Joſephi Cavaliere. Die 9. Auguſti 1776.

Junctis Aulis Dominorum Vargas, & Paoletti, ac referente Regio Conſiliario D. Hectore Capycirlatro.

Res tempore peritura, etſi fideicommiſſo obnoxiæ, recte alienantur; atque alienationi auctoritatem præſtat Magiſtratus, præcipue ſi ad æs alienum exſolvendum neceſſaria ſit venditio.

QUum anno 1774. D. Paulus Antonius Ferrari Cavenſis domum quamdam cum viridario a vidua viri qu. D. Thomæ Cavaliero, eorumque filiis annorum majoribus, minoribusque, ſollemnibus præventibus, ducatis 3400 emiſſet; in emptionis ipſius inſtrumento deſcripti fuerunt Creditores quidam, quibus ex pretio illo ſolverentur ducati 2374. quippe qui pecuniam ad domum eam reficiendam dederant, ac ſpecialem proinde hypothecam, cauſamque potiorem præſeferebant; reliqui vero, ut certo tempore perſolverentur, conventum eſt, atque interim trientes uſuræ penſitarentur. Facta rei traditione, & reparationibus, novaque ab emptore ædificatione incepta, domum hanc fideicommiſſo familiari & maſculino obnoxiam, auditum eſt; quapropter, quam hic ſponderat, renuit ſolutionem.

Id

Id videntes venditores ſupplicatione a S.R.C. petierunt, ut junctis Aulis, vinculum illud fideicommiſſi ſolveretur, quum domus juſtis & neceſſariis de cauſis vendita eſſet; tum quod uſuræ, quæ Creditoribus quotannis debebantur, domus ipſius penſiones facile ſuperabant; tum quia ad peragendas refectiones nova facienda eſſent nomina; quare & venditoribus ipſis, & vocatis deinceps commodior ejus erat diſtractio; maxime vero, quod qui fideicommiſſa ſtatuerant, venditionem hanc juſſerunt, præceperuntque, ut poſt venditionem, ære alieno diſſoluto, quod reliquum eſſet in cetera omnia collocaretur, præter domorum emptionem.

Curatore dato, cuncta hæc in termino ordinario comprobata ſunt, & peritia D. Nicolao Schioppa S.R.C. Tabulario commiſſa, is retulit, domus hujus æſtimationem ante refectionem a venditoribus factam eſſe ducatorum 1200, impenſos ad reficiendam alios ducatos 2500; ſed venditionis tempore ejus valorem ſummam attingere ducatorum 3500.

His omnibus adhærens Curator, neceſſariam venditionem faſſus eſt, quum domus hæc detrimento potius, quam emolumento præſentibus fideicommiſſariis, & in poſterum venientibus futura eſſet, ob grave nimirum uſurarum onus ex pecunia ad fœnus accepta impoſitum, aliudque ad ejuſdem refectionis complementum imponendum; & ut confirmaretur venditionis contractus, inſtitit; propterea quod adeo magnifice in eam jam impenſum eſt, ut emptor novus reperiri amplius vix poſſit; modo tamen pretium ducatorum 3500 ex Tabularii æſtimatione ſolvatur, & expunctis Creditorum nominibus, reliqua pecunia ſecundum fideicommittentium vota occupetur. Addidit inſuper moderationes aliquas, pacta, declarationesque, ut ex actis.

Jam vero, quoniam res tempore perituræ permittere debet Prætor, ut diſtrahantur, *L. 5. ff. de hered. petit.*; atque ad

ad æs alienum hereditarium exſolvendum neceſſaria poſſeſſori alienatio eſt, *L. 53. eod.*; quumque juſta de cauſa permitti poſſit, ut pupilli etiam hereditas minuatur per alienationem, *L. 7. ff. de jur. delib.*

S. R. C. declaravit, quod *expedit*, *pro pretio tamen ducatorum* 3500, *ſervata forma appretii magn. Tabularii S. R. C. D. Nicolai Schioppa*, *& in omnibus juxta conventa in inſtrumento venditionis*. *Verum ex pretio ducatorum* 3500 *remaneant penes emptorem ducati* 1200, *ſubjecti fideicommiſſis a qq. D. Matthia*, *& D. Joſepho Cavaliero ſeniore conſtitutis*, *pendente quorum depoſito*, *ad finem eos convertendi in emptionem conſulto S. R. C.*; *teneatur emptor penſitare venditoribus*, *& futuris vocatis uſuras ad rationem ducatorum quaternorum pro centenis*; *ac proinde delegationes conventæ in præcitato inſtrumento executioni mandentur pro reliquo pretio*, *& prout de jure*. *Et ad cautionem futurorum vocatorum præſens decretum notetur in margine teſtamentorum utriuſque fideicommittentis*.

Manſi Scriba.

In cauſa Univerſitatis Oſtajani cum Ill. Principe ejuſdem. *Die* 3. *Septembris* 1776.

Contributiones, monopolia, aliaque, quæ, impetrato Regio aſſenſu, poſſunt Univerſitates inter cives conſtituere, nequeunt officere Baroni, quatenus utili feudi domino.

MEnſe Martio 1773. S. C. pronunciavit, bene fuiſſe proviſum per Dominum cauſæ Commiſſarium decreto *fol.* 175.; verum pendente termino dato ab olim Regio Conſiliario Porcinari die 18. Septembris 1728., obſervandas eſſe Capitulationes anni 1549., juxta earum ſeriem, continentiam, & tenorem, etiam pro executione Regalis Reſcripti, & pro earum obſervantia licere dicto Ill. Principi panem vendere etiam non comedentibus intus ejus tabernam, vulgo dictam *del Paſſo*, ſervata forma dictarum Capitulationum, cum onere ſolutionis

Digitized by Google

tionis gabellæ farinæ: ſalva proviſione facienda reſpectu prætenſæ gabellæ panis in qualibet parte termini; firma tamen remanente inhibitione de non vendendo panem in aliis ejus tabernis.

Cum vero petiiſſet Univerſitas in integrum reſtitui adverſus decretum, eo quod jus prohibendi venditionem panis, privative quoad alios quoſcumque ſibi aſſereret; idcirco de ea re iterum actum fuit in S. C. Cumque hinc inde complura congererentur, eo tandem rediit diſputatio, num ſcilicet Univerſitatis decreta, ſeu concluſiones pro vectigalibus, vel monopoliis inter Cives conſtituendis, ad onera univerſalia ſatisfacienda, imminuere valeant jura feudi. Apparuit enim ad feudum Octajani pertinere tabernam feudalem vulgo dictam *del Paſſo*, cum furno æque feudali; eidemque furno ab antiquo inſitam fuiſſe facultatem liberam vendendi panem etiam non comedentibus in memorata taberna, cum nihil adhuc de prohibenda inter Cives venditione Univerſitas ſtatuiſſet. Id autem luculenter innotuit ex conventione inita anno 1549. inter Univerſitatem, & ejus temporis Baronem, vulgo *Capitolazione*, qua cautum fuit his verbis Cap. XVII.

Item macellandoſi animali, o vendendoſi altre robe da mangiare per li Tavernari dell' Oſteria del Paſſo di detto Signor Fabrizio, e ſua Baronal Corte, per dette robe, quali ſi magneranno in tale Taverna della Corte, quale ſi tene per detto Signor Fabrizio, non ſi debba pagare gabella, o diritto alcuno, ma ſi poſſano mangiare franche. E per le altre reſtanti robe, che ſi venderanno in detta Taverna crude, e quando non ſi magneranno in detta Taverna, ma ſi porteranno fuor di quella per li Cittadini di detta Terra, e per lo pane ſi debba pagare la gabella alli Gabelloti, ed Affittatori della gabella, e loro Soſtituti di detta Univerſità; e venderſi per l'aſſiſa da ponerſi da' Catapani di detta Terra. E queſto s'intenda

tenda quanto alla predetta ſola Taverna, ma facendoſi altra Taverna ad iſtanza di detta Corte, ſi debba oſſervare tutto quello ſarà declarato eſſere di giuſtizia avanti la fondazione di tal Taverna de novo facienda, adeout prima ſi debba declarare di giuſtizia il ſopradetto, e poi ſi poſſa fondare, e non altrimenti.

Id ſcilicet placuit contrahentibus, quod ſi Cives panem, vel alia eſculenta vectigalibus obnoxia, in taberna quidem emerent, ſed extra tabernam, & in Univerſitatis territorio conſumerent, vectigalia ipſa perſolverent ex Univerſitatis decreto tunc Civibus impoſita. Eo tamen pacto jus erat liberum Baroni tum panem, tum cetera eſculenta vendendi in taberna feudali: nec ſolutio vectigalium obſtabat libertati venditionis.

Cum autem Univerſitas ſequiori tempore, quo reditum uberiorem ex vectigalibus conficeret, numerum furnorum in Terra imminuiſſet, ac dempta Civibus facultate furnos exercendi, panemque vendendi ſoluto vectigali, ſolutionem ad unum, vel duos furnos, Univerſitatis nomine exercendos, coanguſtaſſet, cenſuit S.C. id quidem ab Univerſitate ſtatui potuiſſe ad onus Civium, neutiquam vero in perniciem jurium feudalium. In medio enim ſunt jura apertiſſima in *L.74.*, *& in L.206. ff. de reg. jur.*, quod ſcilicet non debet alteri per alterum iniqua conditio inferri: & quod jure naturæ æquum ſit, neminem fieri locupletiorem cum alterius detrimento & injuria. Quamquam enim Univerſitati ſuorum onerum cauſa liceat capitationes, contributiones, monopolia inter Cives inſtituere (dummodo Regius adſit aſſenſus, quem in præſenti cauſa Ill. Princeps ajebat deficere), ea tamen Baronem, quatenus utilem feudi dominum, non afficiunt; nec enim is quoad bona, & jura feudalia ceterorum Civium jure cenſetur.

His conſequenter apparuit, petitionem Univerſitatis de prohibenda ſcilicet Baroni venditione panis in taberna feudali,

dali, manifeſto etiam adverſari memoratæ conventioni anni 1549., ex qua libera eidem erat venditio, dummodo Univerſitati ſolveretur, quod vectigalium nomine pro pane, aliiſque eſculentis a Civibus extra tabernam comedentibus eſſet perceptura. Refragabantur igitur jura de conventionibus ſervandis in *L.1. & ſeqq. ff. de pact.*

Ea omnia viſa ſunt firmari decreto Collateralis olim Conſilii, de quo teſtatur *Conſ. Joſeph de Roſa conſult. 66.* Cum enim ineunte ſæculo XVII. paulatim cœptaſſet Univerſitas furnorum reſtrictionem, Baro vero obſtaret, ne quid detrimenti caperent jura feudi; re deducta ad Collaterale Conſilium, ſtatutum fuit ex partium conſenſu, *quod ad evitandas lites, Princeps abſtineret ab exactione ſcannagii, & clauderet furnum, & macellum: e contra Univerſitas ſolveret ipſi quotannis ducatos* 400, *qui cederent in augmentum feudi, in quorum ſatisfactionem pro ducatis* 100 *aſſignaret jus exigendi bonatenentiam ab exteris, alios vero* 300 *quotannis ſolveret ipſa Univerſitas.* Perſpectum itaque fuit, vergere in diminutionem feudi, quod moliebatur Univerſitas, & ne damno feudum afficeretur injuria, eamdem diminutionem mutua præſtatione penſandam, quæ cederet in augmentum feudi, vice emolumenti percipiendi ex jure feudali. Cumque deinde Univerſitas ab annua præſtatione ceſſaſſet, plane conſtat, omnia fuiſſe in integro, antiquumque jus feudi fuiſſe redivivum.

Quod autem ajebat Univerſitas, prætenſum jus prohibendi in Terra Octajani, quoad venditionem panis, antiquius fuiſſe, quam ipſa Capitulatio anni 1549., eidemque juri veteres Barones dicta Capitulatione ſe ſubjeciſſe, id temere apparuit dictum, cum in ea Capitulatione apertiſſime ſermo fiat de pane vendendo in taberna feudali, cum onere ſolvendi vectigalis; Concluſiones vero Univerſitatis pro minuendo primum furnorum numero, annum pene 1628. non excedant.

Eee Obji-

Objiciebat inſuper Univerſitas, Baroni poſſeſſionem deeſſe prætenſi juris vendendi panem in taberna feudali. At Baro non fruſtra reponebat, quod etſi poſt ann. 1650. defeciſſet præſtatio annuorum duc. 400, quos vice præfati juris pendebat Univerſitas; attamen cum ea de re iterum mota fuiſſet quæſtio, demum partibus placuit litem deſerere, & conjunctim locare Baronis, & Univerſitatis furnos, ita tamen quod ambo pro quibuſdam ratis partem caperent penſionis. Id etiam addebat, quod licet Univerſitas anno 1728. lite mota coram Regio Conſiliario Porcinari, inter alia capita petiiſſet, ſibi licere ab hujuſmodi furnorum unione recedere, attamen cum partes poſt annum 1728. a lite receſſiſſent, eadem furnorum conjuncta locatio cum repartitione penſionis ſequiori tempore fuit executa uſque ad annum 1771.: quo demum tempore facta ſejunctim locatione furnorum Univerſitatis, utraque pars rediit ad jura ſua.

Quo vero ad conventionem anni 1664., qua Baro juri ſuo cedens, promiſit, panem atque alia eſculenta non vendere in taberna feudali, objiciebat Ill. Princeps, eam jure non fulciri. Cum enim actum fuiſſet de imminuendis juribus feudi, ex Conſtitutione *Conſtitutionem divæ memoriæ*, ea conventio ſine ſpeciali Regis privilegio nullam habuit omnino firmitatem. Adjiciebat illam ea de cauſa nullo umquam tempore fuiſſe executioni demandatam, ſed ex oppoſito jam dictam furnorum conjunctam locationem perpetuo ſervatam: & præterea eandem conventionem in anno 1728. a qu. Ill. Principe D. Joſepho de Medicis vigore memoratæ Conſtitutionis fuiſſe revocatam: & a qu. Regio Conſiliario Porcinari, dato termino, juſſum fuiſſe, quod interim ſervarentur Capitulationes anni 1549., quibus tribuebatur Baroni facultas venditionis: tandemque Regis Reſcripto diei 6. Maji 1772., cum ageretur de compromittendis litibus, ſancitum fuiſſe, quod Capitulationes anni 1549., & anni

ni 1571. in compromiſſum non venirent, utpote indubitanter ſervandæ;

Quibus perpenſis, S.C. judicavit, feudum jure ſuo privari non oportere, & Univerſitatis indemnitati ſatis conſuli ſolutione gabellæ; ſive omnium aliorum onerum, ſi quæ ſunt, prout ceteri cives ſolvunt in panis contractatione; ac proinde viſis ſupplicationibus *fol.* 250. *&c.*, ac omnibus actis:

Referente Reg. Conſ. D. Salvatore Gentile cauſæ Comm., cum interventu Præfecti Aulæ Ill. Marchionis Vargas Macciucca, ac intervenientibus Dominis Regiis Conſiliariis Avena, & Carpentiero Adjunctis.

Idem S.R.C. decrevit: *Non eſſe deferendum in integrum reſtitutioni petitæ pro parte Univerſitatis Octajani. Verum decretum S.C. diei 13. Martii 1773. fol.* 248. *exequatur reſpectu panis, qui vendetur non comedentibus intus Tabernam Ill. Principis, vulgo dictam* del Paſſo; *ac proinde idem Ill. Princeps, ſive Conductor dictæ Tabernæ, ſolvat in beneficium dictæ Univerſitatis gabellam, ſive omnia alia onera, ſi quæ ſunt, prout ceteri cives in contractatione dicti panis.*

Quaranta Act. Mag. Franciſcus Daniele Scriba.

In cauſa Ill. Principis Scalea cum Ill. Principe Cariati. Die 3. Septembris 1776.

ILl. Princeps Cariati ſub die 28. Junii 1765. petiit in S.R.C. non eſſe turbandum ab Ill. Principe Scaleæ in quaſi poſſeſſione annuorum ducatorum 1220 functionum fiſcalium in feudum ſuper Univerſitate Civitatis Caſtrovillaris, comprehenſa in iiſdem adoha Regiæ Curiæ debita *fol.* 2. Contra Ill. Princeps Scaleæ heres in feudalibus qu. Ill. Principiſſæ Scaleæ D. Iſabellæ Caracciolo, ejus ex patre proaviæ, judicium revocationis, virtute Conſtitutionis *Conſtitutionem divæ memoriæ*, inſtituit pro revo-

Triginta annorum poſſeſſio, quæ conjuncta non eſt præſtationi ſervitii feudalis a Regio Fiſco recogniti, non impedit revocationem venditionis rerum feudalium: ad quam excludendam opus eſt centenaria præſcriptione.

revocanda venditione earundem functionum fiſcalium anno 1700. ab Ill. Principe Scaleæ D. Antonio ejus avo, abſque Regio aſſenſu peracta *fol.* 20.

Ex inſtrumento diei 8. Maji 1700. patet venditio annuorum duc. 814, & aſs. 51 functionum fiſcalium in feudum ſuper Univerſitate Caſtrovillaris, facta per qu. Ill. Principem Scaleæ D. Antonium Spinelli in beneficium Ill. Principis Cariati D. Caroli Antonii Spinelli, dempto onere adohæ, ſejunctim pro Regia Curia in libris Regalis Patrimonii deſcriptæ *fol.* 22. Ex alio inſtrumento ſtipulato die 4. Martii 1765. evincitur revocatio venditionis facta per hodiernum Ill. Principem Scaleæ, virtute Conſtitutionis *Conſtitutionem divæ memoriæ*, ob Regium aſſenſum non obtentum ſuper venditione prædicta *fol.* 18. Dato hinc termino ordinario, & chartularie compoſito *fol.* 7.

Referente D. Horatio Guidotti Reg. Conſ. & cauſa Comm., intervenientibus Aulæ Præfecto, & Reg. Conſ. D. Nicolao Veſpoli adjunctis.

S. R. C. pronunciavit: *Eſſe locum revocationi petitæ per Ill. Principem Scaleæ D. Antonium Spinelli, virtute Conſtit.* Conſtitutionem divæ memoriæ, *at proinde Ill. Principem Cariati condemnandum eſſe ad reſtituendum eidem Ill. Principi Scaleæ partitam functionum fiſcalium in feudum, ut ex actis, una cum fructibus, ad rationem annuorum duc. 814, & aſs. 51, a die petitæ revocationis pro nunc: Et contra condemnari debere Ill. Principem Scaleæ ad ſolvendum eidem Ill. Principi Cariati ducatos 7000, cauſa pretii partitæ prædictæ functionum fiſcalium, una cum intereſſe ad rationem ducatorum quinque in ſingulos duc. centum, etiam pro nunc a die revocationis prædictæ: Et pro fructibus atque intereſſe reſpondenti, pro tempore antea decurſo, a die ſcilicet contractus uſque ad diem petitæ revocationis, partes informent. Salva proviſione facienda pro quantitatibus ante diem inſtrumenti venditionis decurſis, &* non

Digitized by Google

non exactis , atque inſtrumento prædicto in beneficium Ill. Principis Cariati D. Caroli Antonii Spinelli ceſſis. Et ſalvis pariter juribus , ſi quæ competunt Ill. Duci Laurini D. Trojano Spinelli pro deductis & prætenſis in ejus ſupplicatione fol. 128.

Excipiebatur ab Ill. Principe Cariati, obſtare petitæ revocationi virtute Conſtitut. *Conſtitutionem divæ memoriæ*, præſcriptionem pluſquam tricennariam , longæva quaſi poſſeſſione annorum ſexaginta quinque poſt emptionem , vigore Conſtit. *Conſuetudinem pravam de rei actione, & exceptione*, munitam, & ex ſententia Regentis de Marinis *lib.* 1. *reſol. cap.* 234., rebus in S. R. C. judicatis approbatam. Addebatur, functiones fiſcales, de quibus agebatur, ſub individua univerſitate feudali fuiſſe comprehenſas in conceſſione Status Caſtrovillaris anno 1521. a Sereniſſimo Imperatore Carolo V. facta qu. Ill. Comiti Cariati D. Joanni Baptiſtæ Spinelli , ac proinde nullam eſſe putandam primam earumdem functionum fiſcalium diviſionem ab unitate univerſitatis feudi , adhibito tantum Proregis aſſenſu, id vetante *Pragm. IV. §.* 5. *&* 7. *de feudis*: qua de re firmam fuiſſe, aſſenſu etiam deficiente , noviſſimam prædictarum functionum fiſcalium emptionem ab utili poſſeſſore Caſtrovillaris , in feudi incrementum & reintegrationem, peractam. Proponebatur demum in libello recenter exhibito *fol.* 182., in ambiguo eſſe legitimationem tituli agendi Ill. Principis Scaleæ , obſtante ipſi nimirum actione pertinentiæ pro iiſdem functionibus fiſcalibus, mota per Ill. Ducem Laurini D. Trojanum Spinelli in ejus ſupplicatione *fol.* 128.

His tamen minime refragantibus, S. R. C. cenſuit pro petita revocatione eſſe pronunciandum. Siquidem dubitatum primo fuit de ſententia , præſcriptionem annorum triginta in hujuſmodi revocationum judiciis inter privatos ex Conſtit. *Conſuetudinem pravam*, probante, utpote neque juris feudalis rationi uſquequaque conſentanea,

neque

neque conſtanti omnium Scriptorum calculo recepta. Nullitas profecto cujuſcumque contractus rei feudalis, deficiente Principis aſſenſu, nedum ſublata haud fuit ex Conſtit. *Conſtitutionem divæ memoriæ*, imo vi etiam & poteſtate ejuſdem Conſtitutionis magis firmata iis verbis: *nullam omnino firmitatem habere*. Quod vero, lege vetante fit, ipſo jure nullum eſt. Hinc cum ex contractu ipſo jure nullo oriri nequaquam poſſit neque juſtus titulus, neque bona fides, ſine quibus nec inchoari, neque jure perfici quævis præſcriptio valet; conſequens eſt, ut in judiciis revocationum, etiam inter privatos, hujuſmodi præſcriptio non ſit protinus admittenda: Explorati inſuper juris eſt, Conſtitutionem *Conſtitutionem divæ memoriæ* non ſuſtuliſſe prorſus poenam caducitatis in alienantes abſque aſſenſu res feudales ſtatutam; ſed tantummodo gratiam ipſis indulſiſſe, cujus ope Fiſcum in actione caducitatis poſſint antevertere, facta per contrahentes, ante propoſitam Fiſci actionem, revocatione. Qua de re ſicuti Fiſci actio, juxta Conſtit. *Quadragennalem* non præſcribitur, niſi ex centenaria; ita perdurante Fiſci actione pro caducitate, producta pariter inter privatos intelligenda eſt facultas revocandi; nullamque ipſis obſiſtere præſcriptionem, præter centenariam Fiſco officientem. Neque enim alia ratione percipi poteſt facultas illa caducitatis vitandæ indefinite privatis tributa, Fiſci actionem revocatione, Conſtitutionis beneficio, antevertendi. Præterea admiſſa præſcriptione triginta annorum facultatis revocandi inter privatos; admittere quoque perneceſſe erit inter ipſos aſſenſus præſcriptionem, quam jus feudale protinus non patitur adverſus Fiſcum. Quocirca res eſſent inter ſe prorſus pugnantes, ex eodem contractu, habito aſſenſus defectu, privatis nocere triginta annorum præſcriptionem; eamdemque præſcriptionem ex eodem aſſenſus defectu Fiſco non officere.

Gra-

Digitized by Google

Gravius ſecundo perpenſum fuit, in ipſa ſententia cooptante præſcriptionem triginta annorum adverſus facultatem revocandi virtute Conſtitut. *Conſtitutionem divæ memoriæ*, uniformi Scriptorum calculo, rerumque alias per S. R. C. judicatarum ſenſu, non aliter præſcriptionem illam eſſe admittendam, niſi in iis tantummodo ſpeciebus, quibus adſit factum poſſeſſionis cum præſtatione ſervitii feudalis a Regio Fiſco recogniti. Hæc equidem conditio pro Ill. Principe Cariati prorſus deficit, & haud profecto eſt in probatis. Siquidem extat adhuc deſcriptio, ſive inteſtatio feudalis functionum fiſcalium, de quibus agitur, in perſonam qu. Ill. Principiſſæ Scaleæ D. Iſabellæ Caracciolo *fol.* 160.: & hinc confecta pariter fuit anno 1739 æſtimatio, ſive, ut ajunt, liquidatio releviorum Regio Fiſco ſolutorum juxta progreſſum lineæ, & ſucceſſionis feudalis ejuſdem qu. Principiſſæ Scaleæ D. Iſabellæ *fol.* 10. Neque prodeſſe Ill. Principi Cariati viſum fuit, quantitates pro releviis decurſis taxatas, a qu. Ill. Principe Cariati ejus patre fuiſſe Regio Fiſco ſolutas; quum ſpecifice Fiſci exactio fuerit relata releviis debitis in linea ſucceſſionis feudalis ejuſdem Ill. Principiſſæ Scaleæ D. Iſabellæ. Quinimo inſtante atque petente eodem Ill. Principe Cariati *fol.* 9. anno 1754. cauſa cognita, ob defectum Regii aſſenſus in contractu emptionis anni 1700, fuit a Regio Fiſco eidem denegata inteſtatio feudalis *fol.* 16. Cui quidem deſcriptioni, ſive, ut vocant, inteſtationi titulo feudali minime æquari poteſt (quod fruſtra proponebatur) deſcriptio partitæ in libris Regalis Patrimonii: quippe quæ tribuere probationem tantum poterat quaſi poſſeſſionis titulo ac jure allodiali, in feudis protinus reprobatam.

Quod vero ab Ill. Principe Cariati de individua ejuſdem partitæ cum feudo & ſtatu Caſtrovillaris unitate objectabatur (unde nullitas primævæ diſtractionis uſque ab anno 1569. factæ, adhibito tantum Proregis aſſenſu, ex

§. 5.

§. 5. & 7. Pragm. IV. de feudis deduci putabatur) deſtrui penitus & everti, animadverſum fuit ex ipſa conceſſione ſeu inveſtitura, ex qua factum unitatis feudalis neque verborum contextu; neque ſenſu, aut jure erui videbatur. Imo ex facultate in ipſa inveſtitura nominatim tributa *vendendi*, *permutandi*, *donandi*, *legandi in totum*, *vel in partem*, *fol.* 107., contrarium probari potius prodebatur: obſiſtente pariter huic exceptioni præſcriptione, longe centenaria majore, factoque proprio ejuſdem Ill. Principis Cariati, ab Ill. Principe Scaleæ D. Antonii cauſam habentis.

Reſtitutio autem partitæ functionum fiſcalium exequenda, una cum fructibus a die petitæ revocationis pro nunc adverſus Ill. Principem Cariati; & reſtitutio contra ducatorum 7000, in emptionem ejuſdem partitæ erogatorum, facienda per Ill. Principem Scaleæ, una cum intereſſe ad rationem ducatorum quinque pro ſingulis centum, etiam pro nunc a die revocationis, veniunt profecto vi & poteſtate actionis, & judicii ipſius revocationis. Quo vero ad fructus, & intereſſe antea decurſos, eoque magis quoad quantitates ante diem venditionis decurſas, & non exactas, atque inſtrumento emtionis prædictæ eidem Ill. Principi Cariati ceſſas, cenſuit S.R.C. non adhuc liquere.

Demum cum ſuper altero judicio per Ill. Ducem Laurini propoſito lis non adhuc ſit conteſtata; ſatis idcirco pro nunc ſibi eſſe jurium, ſi quæ competunt, reſervationem, juxta pariter per eundem petita *fol.* 128., idem S.R.C. exiſtimavit.

Joannes Maria Graziano Act. Mag.

F I N I S.

INDEX ARGVMENTORVM.

ACTIO.

COnſilium fraudandi, & eventus criminali actioni dant locum. *Deciſ.* 22. *Febr.* 1775. *pag.* 179. *arg.* 1.

Actio quanti minoris, ſicut emptori competit, ita & emphyteutæ. *Deciſ.* 22. *Septemb.* 1775. *pag.* 296.

Mulieri donanti datur actio de dolo malo intra annum continuum, intra quadriennium metus cauſa, &, detracta infamia, actio perpetua in factum. *Deciſ.* 23. *Decemb.* 1774. *pag.* 49. *arg.* 2.

ÆSTIMATIO.

Periti æſtimationem ad æquitatem reducere, Judicis officium eſt. *Deciſ.* ... *Jul.* 1776. *pag.* 394.

ALIENATIO.

Vid. in v. Fideicommiſſum, Pupillus.

ASSENSUS.

Vid. in v. Feudum.

BENEFICIUM COMPETENTIÆ.

Socer pro dotibus filiæ conſtitutis in id, quod facere poteſt, damnatur, prout Jura indulgent parentibus, & iis, qui loco eorum habentur. *Deciſ.* 21. *Jan.* 1775. *pag.* 83.

BENEFICIUM ECCLESIASTICUM.

In vacatione Beneficii, ſive Cappellaniæ laicalis idem eſt non eſſe inſtitutum, ac non rite inſtitutum eſſe; neque Clerico a Fundatore vocato obſtat diuturnum ſilentium, ſive quod longo temporis ſpatio non provocaverit a ſententia Judicis extraneum inſtituente, quoties rationabili errore adjuvari poſſit. *Deciſ.* 21. *Jan.* 1775. *pag.* 93.

BONA.

Acceſſiones non mutant bonorum qualitatem; & quæ ex aliorum venditione comparantur, venditis ſubrogata cenſentur. *Deciſ.* 20. *Maji* 1775. *pag.* 252.

BONA ANTIQUA.

Bona, quæ a filio ad matrem pervenerunt, antiqua, & Conſuetudini ſubjecta exiſtimantur. *Deciſ.* 9 *Januarii* 1775. *pag* 54. *arg.* 2.

Vid. in v. Medietas conſuetudinaria.

CAPPELLANIA LAICALIS.

Vid. in v. Beneficium Eccleſiaſticum.

CENSUS.

Vid. in v. Emphyteuſis.

CENSUS CONSIGNATIVUS.

Ex annuis redditibus uſuræ præſtari poſſunt; quare & eos in ſortem converti non prohibetur. *Deciſ.* 18. *Feb.* 1775. *pag.* 173. *arg.* 1.

Licet ex æquitate Magiſtratus annualitates, ſive cenſus reducantur ad rationem reſpondentem interuſurio, quod a mercatoribus exigi ſolet; id tamen intelligendum eſt de annualitatibus decurrendis poſt debitoris

petitionem, non vero de decurſis. *Deciſ.* 1 *Apr.* 1775. *pag.* 238.

Cenſus conſignativus, conventione poſthabita, ad juſtam exactionem reducitur, quæ reſpondeat fructibus rei hypothecatæ. *Deciſ.* 10. *Jul.* 1775. *pag.* 281.

CESSIO.

Ex ſimplici nominis ceſſione non impeditur debitor ſolvere priori creditori, præterquam ſi ceſſio ei fuerit denunciata. *Deciſ.* 17. *Decemb.* 1774. *pag.* 24. *arg.* 2.

Ceſſio paragii, quæ pecunia non eſt comparata, interdicta non eſt. *Deciſ.* 23. *Decemb.* 1774. *pag.* 44. *arg* 1.

Cedendi jure non caret is, cui bona, urgentibus creditoribus, ſequeſtrata ſunt; dummodo bonis adminiſtrandis non ſit Curator datus. *dict. Deciſ. arg.* 2.

COLLATIO BONORUM.

Legatum patrui magni, cum onere fideicommiſſi, conferendum non eſt in diviſione paternæ hereditatis; præcipue cum pater ejus teſtamento aliorum bonorum collationem juſſerit, nullum autem verbum de legato fecerit. *Deciſ.* 26. *Feb.* 1776. *pag.* 345. *arg.* 2.

Filiabus heredibus inſtitutis, ac invicem ſubſtitutis, atque prælegato facto innuptis, ad æquandam earum conditionem cum ea, quæ nupta dotes recepit, in ſubſtitutione prælegatum non continetur. *Deciſ.* 16. *Mart.* 1776. *pag.* 355. *arg.* 3.

COMMISSUM.

In ſtipulationem non committit qui interpellatus non eſt, niſi dies interpellet; cum nulla ſit mora, ubi nulla petitio. *Deciſ.* 4. *Febr.* 1775. *pag.* 122.

COMMUNIO BONORUM.

Incidunt in communionem qui eamdem rem emunt; unde nulla eſt venditio, quam plus ſua parte ſocius facit. *Deciſ.* 8. *Feb.* 1775. *pag.* 141. *arg.* 1.

Fratres, qui in communionem bonorum paternorum inciderunt, univerſalem ſocietatem contraxiſſe non videntur; ad quam contrahendam expreſſa voluntas requiritur. *Deciſ.* 13. *Mart.* 1776. *pag.* 350.

COMPENSATIO.

Admittitur compenſatio de pecunia ad quantitatem; unde cum proponitur, debitorem generis, creditore conſentiente, pecuniam ſolviſſe, debitum generis imminui cenſendum eſt: hoc autem deminuto, incrementum pretii ejuſdem generis, pro concurrenti quantitate pecuniæ ſolutæ, imminuitur quoque. *Deciſ.* 27. *Mart.* 1775. *pag.* 207.

CONDITIO.

Voluntas teſtatoris conditionem regit; ac proinde legata Titio domo, alii habitatione relicta ejus vita durante, non ineſt legato conditio, *ſi Titius legatario habitationis ſupervixerit*; quoties mens teſtatoris conditionem excludere videtur. *Deciſ.* 10. *Jan.* 1775. *pag.* 74.

Non adimpleta adhuc conditione donationi appoſita, donatio ipſa non reſolvitur, niſi per interpellationem in mora conſtitutus fuerit donatarius. *Deciſ.* 30. *Jan.* 1775. *pag* 120.

Conditio, ſive modus, qui dotationi apponitur in alterius beneficium, ſi per hunc ſtet, quominus adimpleatur, ejus defectus dotis præſtationem non impedit. *Deciſ.* 10. *Febr.* 1775. *pag.* 150. *arg.* 5.

Conditio adjecta legato nuptias contrahendi conſenſu aviæ paternæ, utpote

Digitized by Google

pote matrimonii libertati adverſa, rejicitur. *Deciſ.* 26. *Febr.* 1776. *pag.* 345. *arg.* 1.

Vid. in v. Fideicommiſſum, Legatum.

CONDUCTIO.

Vid. in v. Locatio.

CONSENSUS.

Donato fundi uſufructu, ſi poſtea donans fundum ipſum vendat, ex diuturno donatarii ſilentio ejus conſenſus alienationi datus arguitur; præcipue ſi diſtractio locum habuerit pro exſolvendis debitis utriuſque. *Deciſ.* 6. *Febr.* 1775. *pag.* 139.

Vid. in v. Creditum, Nuptiæ, Ratihabitio.

CREDITUM, & CREDITOR.

Funeris tantum impenſæ, non item infirmitatis, cetera credita præcedunt. *Deciſ.* 9. *Jan.* 1775. *pag.* 59.

Conſenſus creditorum majoris ſummæ, & numeri legitime perficit cum Curatore ea omnia, quæ patrimonio, & omnibus creditoribus expediunt. *Deciſ.* 10. *Jan.* 1775. *pag.* 63.

Inventario omiſſo, non officit Creditoribus quælibet declaratio fideicommiſſi poſtmodum facta. *Deciſ.* 21. *Jan.* 1775. *pag.* 101. *arg.* 1.

Creditori hypothecario, cum clauſula conſtituti, & precarii, ac pacti executivi; præſtatur adſiſtentia, etiamſi debitoris bona excuſſa non ſint, ac licet tertius poſſeſſor ceſſionem oſtendat jurium antecedentis hypothecarii creditoris, ſi ceſſio hujuſmodi facta ſit, ut jura extinguerentur, non ut transferrentur. *Deciſ.* 15. *Febr.* 1775. *pag.* 167.

Feudo in judicio concurſus creditorum deducto, cum nolint creditores revocatoriam actionem experiri, ea competit emptori; modo quidquid ei a venditore reſtituetur, creditorum juribus relinquatur. *Deciſ.* 18. *Mart.* 1775. *pag.* 196. *arg.* 2.

DEBITUM.

Declaratio debiti facta in teſtamento, cum aliunde veritas non conſtet, vim habet legati; quare revocato teſtamento, irrita cenſetur: eo tamen caſu a rigore Juris recedit Magiſtratus, atque Prudentis viri arbitrio utitur. *Deciſ.* 2. *Decemb.* 1774. *pag.* 1.

Heres quamvis nomine proprio ſe obligaverit pro defuncti debito; attamen ſi in obligatione expreſſe inventarii beneficio non renunciaverit, nonniſi in bonis hereditariis teneri poteſt; verum facta inventarii diſcuſſione, executio demandanda eſt in bonis propriis. *Deciſ.* 28. *Jan.* 1775. *pag.* 104. *arg.* 2.

DECIMÆ.

Decimæ, quæ a dominio pendent, temporales cenſeri debent, quæ vero dominium excludunt, ſpirituales. *Deciſ.* 10. *Decemb.* 1774. *pag.* 16.

Decimæ dominicales, aliaque ab Eccleſia Parochiali, cujuſque ſint generis, Parocho obvenientia, in congruam portionem imputari debent; verum cum ex his, & decimis ſacramentalibus, exceptis tamen caſualibus emolumentis, vix habeat Parochus quod ejus neceſſitatibus occurrat, decimæ ipſæ ſacramentales minuendæ non ſunt. *Deciſ.* 6. *Febr.* 1775. *pag.* 127.

In præſtatione decimæ, vel quadrageſimæ frugum comprehenditur triticum turcicum ſive indianum. *Deciſ.* 4. *Mart.* 1775. *pag.* 182.

Tranſactio, cujus virtute decimarum præſtatio ad certam annuam quantitatem reducitur, utilis, & expediens cenſetur. *Deciſ.* 14. *Aug.* 1775. *pag.* 291.

Digitized by Google

DOMINIUM.

Alveus a flumine in univerſum derelictus adquiri poteſt; cum vero ope, & induſtria hominis fluminis curſus avertatur, atque in ejus alveo ædificetur, ædificium deſtruendum eſt, atque damnum vicinis illatum ſarciendum. *Decif.* 11. *Mart.* 1775 *p.*189.

Dominii quæſtionem non poteſt conductor offerre, niſi conductorum bonorum poſſeſſione prius relicta. *Decif.* 23. *Dec.* 1774 *pag.* 46.

DONATIO.

Donatarius univerſalis ſtat loco heredis; unde contra factum donantis venire non poteſt. *Decif.* 9. *Decemb.* 1774. *pag.* 5.

Mulier donans, licet geminata confeſſione donationem adprobaverit, non impeditur ordinario judicio contra donationem ipſam agere. *Decif.* 23. *Decemb.* 1774. *pag.* 49. *arg.* 1.

Mulieri donanti datur actio de dolo malo intra annum continuum, intra quadriennium metus cauſa, &, detracta infamia, actio perpetua in factum. *dict. Decif. arg.* 2.

Mulier, quæ ætate decrepita donat, alimenta ſibi reſervans abſque reſtrictione, in fraudem Conſuetudinis donare videtur. *Decif* 9. *Jan.* 1775. *pag.* 54. *arg.* 1.

Vicem donationis præbet tranſactio inter matrem, & filium, & ubi ſemel fuerunt jura abdicata, nequeunt amplius in priſtinam cauſam deduci. *Decif.* 21. *Jan.* 1775. *pag.* 96.

Non adimpleta adhuc conditione donationi appoſita, donatio ipſa non reſolvitur, niſi per interpellationem in mora conſtitutus fuerit donatarius. *Decif.* 30. *Jan.* 1775. *pag.* 120.

Donato fundi uſufructu, ſi poſtea donans fundum ipſum vendat, ex diuturno donatarii ſilentio ejus conſenſus alienationi datus arguitur; præcipue ſi diſtractio locum habuerit pro exſolvendis debitis utriuſque. *Decif.* 6. *Febr.* 1775. *pag.* 139.

Donatarius univerſalis creditoribus donantis tenetur ſatisfacere. *Decif.* 18. *Febr* 1775. *pag.* 173. *arg* 3.

Donaſſe intelligitur qui ſciens prudens plus debito ſolvit, nulla adhibita cautione, ut in futuram cauſam plus ſolutum intelligatur. *Decif.* 3. *Apr.* 1775. *pag.* 236. *arg.* 2.

Donatio ob cauſam, & oneroſa non reſolvitur ob liberorum ſuperveniemtiam, præcipue cum expreſſim, & ſpecifice renunciatum fuerit legi *Si unquam*. *Decif.* 26. *Jan.* 1776. *pag.* 336. *arg.* 1.

Priori donationi præfertur ſecunda, cum conſtet, liberam diſponendi facultatem non habuiſſe donantem, ubi primum donavit. *Decif.* ... *Mart.* 1776. *pag.* 367.

Beneficium reſciſſionis ex capite læſionis locum non habet in donationibus oneroſis. *Decif.* 3 *Jul.* 1776. *p.*388.

Vid. in v. Medietas conſuetudinaria.

DOS.

Contra dotium inofficioſitatem valet potiſſimum judicium paternum, ultimo ejus elogio contentum; præcipue ſi aliquid heredes fecerunt, quo defuncti judicium agnoviſſe manifeſtaverint. *Decif.* 28. *Jan.* 1775. *pag.* 104. *arg.* 1.

Dotalia ſubſidia debentur juxta Fundatoris voluntatem. Ad ea conſequenda ſufficit promiſſio tabulis nuptialibus facta, etſi petita non fuerint contracti matrimonii tempore. *Decif.* 6. *Febr.* 1775. *pag.* 135.

Prædiis, & nominibus debitorum in dotem datis, pacto addito, quod liceat marito nomina, & prædia dotalia alienare; atque ex pretio novas facere emptiones; additoque & alio pacto, quod in caſu reſtitutionis ſolvat maritus quantitates ex nominibus forſan exactas, non cenſentur dotes æſtimatæ ea æſtimatione, quæ

mari,

Digitized by Google

maritus dominium conſecutus, pretii tantum debitor efficitur. *Deciſ.* 8. *Febr.* 1775. *pag.* 141.

Pactum dotis non reſtituendæ quocumque caſu a Monaſterio egrediatur mulier oblata, contra leges, & bonos mores initum cenſetur; ſed caſu egreſſionis ſequuto, in dotis reſtitutione ratio habetur alimentorum, quæ Monaſterium præſtavit, quæque præſtare poterat uſque ad oblatæ mulieris mortem. *Deciſ.* 3. *April.* 1775. *pag.* 226.

Dotium diſtractio permittitur, ut mulier vivat; præcipue cum hæ ſint tenuis ſummæ. *Deciſ.* 20. *Maji* 1775. *pag.* 243.

Fructuum dotis maritus eſt dominus; quare nulla eſt tranſactio, quam, inſcio viro, de fructibus uxor fecit. *Deciſ.* 3. *Jun.* 1775. *pag.* 260.

In deminutione redituum, qui dotalibus ſubſidiis addicti ſunt, ſubſidia ipſa deminuuntur. *Deciſ.* 23. *Jun.* 1775. *pag.* 273.

Subſidio dotali deſcendentibus ex fœminis, iiſque deficientibus, pauperibus loci relicto, intelligenda eſt voluntas teſtatoris ita ut vocatæ dicantur fœminæ deſcendentes per maſculos ex fœminis, ne locus omnino præcludatur pauperibus loci. *Deciſ.* 6. *Febr.* 1776. *pag.* 341. *arg.* 1.

Adjecta lege reverſionis, pro carnali tantum matrimonio, non item ſpirituali, dotale ſubſidium inſtitutum intelligitur. *dict. Deciſ. arg.* 2.

Etſi læſio in dotium conſtitutione manifeſto non conſtet, datur tamen ſupplementum, cum probabiliter læſa mulier cenſeri poſſit. *Deciſ.* 27. *Mart.* 1776. *pag.* 374.

Vid. in v. Conditio, Fideicommiſſum.

EMPHYTEUSIS.

Enunciatio cenſus, ſive annui canonis, tribus inſtrumentis repetita, atque continuata ejuſdem canonis ſolutio recte operantur, ut in poſterum ſolutio debeatur; etiamſi judicio ordinario ad hanc rem compilato, titulus exhibitus non fuerit. *Deciſ.* 19. *Decemb.* 1774. *pag.* 38. *arg.* 1.

Emphyteutæ, æque ac emptori competit actio quanti minoris, cum conſtet, prædii extenſionem minorem eſſe ea, pro qua contractum eſt. *Deciſ.* 22. *Septemb.* 1775. *pag.* 246.

EMPTIO, ET VENDITIO.

Secundus emptor, etſi non immediatam, cauſam tamen proximam habet a primo venditore; unde tamquam ejus auctor exiſtimandus hic eſt. *Deciſ.* 19. *Decemb.* 1774. *pag.* 39. *arg.* 2.

Cum ſub Judice adhuc lis ſit, fuerit, vel ne communis res vendita, actio non datur ad impugnandam venditionem. *Deciſ.* 20. *Decemb.* 1775. *pag.* 315. *arg.* 1.

Venditio, nullis adhibitis ſolemnibus facta a fratre coherede, cum alter abſens, & minor eſſet, revocatur quoad partem minoris, etiamſi pretium æri alieno perſolvendo deſtinatum fuiſſet. *Deciſ.* -- *Jul.* 1776. *pag.* 391.

Vid. in v. Communio bonorum.

EXCEPTIO.

Exceptione reo non probante, contra eum obtinet Actor. *Deciſ.* 19. *Decemb.* 1774. *pag.* 38.

EXHEREDATIO.

Filia, quæ vigeſimum quintum annum expleverit, etſi viro indigno nubat, non poteſt a patre exheredari; unde merito paragium petit. *Deciſ.* 12. *Decemb.* 1774. *pag.* 20.

FEUDUM.

In conductione feudorum nulla datur civibus ejuſdem feudi prælatio. *Deciſ.* 2. *Decemb.* 1774. *pag.* 4.

In

Digitized by Google

In revocatoria actione feudi id agitur, ut emptor pretium cum uſuris, venditor feudum cum fructibus habeat; ex diſputatione autem fori, in uſurarum ſolutione, & reſtitutione fructuum decernenda illud maxime inſpicitur, quiſnam contrahentium primus revocaverit, vel cujuſnam culpa, vel dolus revocationi cauſam dederit. *Deciſ* 8. *Mart.* 1775. *pag.* 196. *arg.* 1.

Feudo in judicio concurſus creditorum deducto, cum nolint creditores revocatoriam actionem experiri, ea competit emptori; modo quidquid ei a venditore reſtituetur, creditorum juribus relinquatur. *dict. Deciſ. arg.* 2.

In controverſiis de poſſeſſionibus corporum, & jurium feudalium attenditur deſcriptio facta in feudorum æſtimatione, ſecundum quam oblatio, & venditio ſequuta eſt; licet oblationi appoſita ſit clauſula ab Advocato Regii Fiſci, *ſi quæ, vel ſi quæ ſunt*. *Deciſ.* 16. *Jun.* 1775. *pag.* 268.

Regio Aſſenſu impetrato ſuper inſtrumento venditionis feudi, alio deinde inſtrumento ſtipulato, quo adfirmatur, pecuniam, quæ primo inſtrumento numerata adparuit, revera numeratam non fuiſſe; unde de ejus ſolutione conventio initur; ſi poſteriori huic inſtrumento aſſenſus Regius non accedat, nulla eſt venditio. *Deciſ.* 12. *Jul.* 1775. *pag.* 282.

Cum non conſtet qualitas feudi quaternati *ſecundum quid*, non revocatur venditio, quæ abſque Aſſenſu facta eſt. *Deciſ.* 24. *Jul.* 1775. *pag.* 284.

Contributiones, monopolia, aliaque, quæ impetrato Regio Aſſenſu, poſſunt Univerſitates inter cives conſtituere, nequeunt officere Baroni, quatenus utili feudi domino. *Deciſ.* 3. *Septemb.* 1776. *pag* 398.

Triginta annorum poſſeſſio, quæ conjuncta non eſt præſtationi ſervitii feudalis a Regio Fiſco recogniti, non impedit revocationem venditionis rerum feudalium: ad quam excludendam opus eſt centenaria præſcriptione. *Deciſ.* 3. *Septemb.* 1776. *pag.* 403.

FIDEICOMMISSUM.

Omnibus, quibus fideicommiſſum relictum eſt, ad diſtractionem conſentientibus, nulla ſupereſt fideicommiſſi petitio. *Deciſ* 9. *Decemb.* 1774. *pag.* 9.

Voluntas conſervandi bona in familia, adhibito regali præcepto de non alienando, fideicommiſſi perpetuitatem inducit. *Deciſ.* 10. *Dec.* 1774. *p.* 10.

Facultas, quæ teſtamento datur, diſponendi inter vocatos, directa cenſetur in beneficium plurium, non autem unius ex vocatis. *Deciſ* 10. *Feb.* 1775. *pag.* 145.

Filiis invicem ſubſtitutis, rogatiſque eorum filiis hereditatem reſtituere, non videtur fideicommiſſum familiæ relictum; itaut ſufficiat, ad unum ex familia bona pervenire. *Deciſ.* 6. *Mart.* 1775. *pag.* 184. *arg.* 1.

In reſtitutione rerum fideicommiſſo ſubjectarum, earum incrementa minime detrahuntur, niſi gravatus ex ſuis ſumptibus enata probaverit. *dict. Deciſ. arg.* 3.

Cum, præcedente Magiſtratus auctoritate, ſuper fideicommiſſi bonis dos promittatur, principaliter obligatum fideicommiſſum cenſetur: qua de re annualitate non ſoluta ab eo, qui dotes promiſit, ad ipſius ſolutionem tenetur ſequens fideicommiſſi poſſeſſor. *Deciſ.* 11. *Mart.* 1775. *pag.* 191. *arg* 2.

Pacta contra fideicommiſſum, etſi ratihabita a muliere, quæ innupta adhuc eſt, & in Monaſterio degit, vel nulla cenſenda ſunt, vel ſaltem reſcindenda. *Deciſ.* 28. *Apr.* 1775. *pag.* 240.

Judiciaria auctoritas non denegatur tranſactioni, quæ bona fideicommiſſi afficit, cum de ipſo fideicommiſſo diſputari poſſit. *Deciſ.* 7. *Jul.* 1775. *p.* 276.

Bona fideicommiſſi, quod a collaterali inſtitutum eſt pro conſervatione, & decentia familiæ, in ſubſidium tenetur pro dotibus unius ex familia. *Deciſ.* 8. *Aug.* 1775. *pag.* 289.

Fidei-

Digitized by Google

Fideicommiſſo inſtituto pro deſcendentibus ex maribus, qui primogenituram repræſentarent, & in eorum defectu pro deſcendentibus ex fœminis, lege inter alias adjecta, quod ſi quis ex vocatis primi gradus nuptias indecoras contraheret, a majoratu excluderetur; cum caſus advenerit, quod unus ex vocatis primi gradus, priuſquam ſucceſſioni in ſui beneficium fieret locus, nuptias indecoras contraxerit, ejus filius majoratu non privatur, neque excluditur a fœminis, quæ ob aliorum maſculorum defectum, ad majoratum ſuccedere poſſent. *Deciſ.* 27. *Nov.* 1775 *pag.* 306.

Cum ex mente Inſtitutoris lineæ prærogativa in majoratu attendenda ſit, ambigendum non eſt, regularem primogenituram inſtitutam fuiſſe: in regulari autem primogenitura fœmineæ lineæ prædilectæ præferuntur maſculis lineæ poſterioris. *Deciſ.* 9. *Jan.* 1776. *pag.* 319.

Valet majoratus inſtitutus ſuper prædio, quod dotium fundum conſtituere debebat, quoties mulier aliorum bonorum adſignamenti contenta fuerit, nec filii conqueſti ſint. *Deciſ.* 26. *Jan.* 1776. *pag.* 336. *arg.* 2.

Fideicommiſſo inſtituto ea lege, ut deficientibus maſculis, fœminæ, quæ ſuperſint, & eorum deſcendentes ſuccedant; excluduntur deſcendentes ex fœmina, quæ ultimo maſculo præmortua eſt. *Deciſ.* 27. *Mart.* 1776. *p.* 372.

Qui bonorum ſuorum alienationem vetat, nullo peculiari agnationis intuitu, nec remotis fœminis a ſucceſſione, utrumque genus vocare intelligitur. *Deciſ.* 1. *Jul.* 1776. *pag.* 387.

Vid. in v. Liberi.

FILIUSFAMILIAS.

Filiusfamilias obligatus pro re patris, ipſiuſque juſſu, ſi conſtiterit de minis, & verberibus, de patria poteſtate, atque minore ætate paullo ante obligationem finita, non tenetur de proprio, neque ultra vires paternæ hereditatis. *Deciſ.* 15 *Feb.* 1775. *p.* 166.

Quemadmodum de adventitiis bonis libere diſponere filiofamilias licet, ita & donationi renunciare, quam ex matertera habuit, non prohibetur. *Deciſ.* 31. *Maji* 1775. *pag.* 254.

FRUCTUS.

Poſſeſſor malæ fidei ad fructuum reſtitutionem tenetur. *Deciſ.* 24 *Jan.* 1775. *pag.* 99. *arg.* 1.

Ex temporis decurſu remiſſio fructuum argui non poteſt, præcipue cum nulla appareat remiſſionis cauſa. *Deciſ.* 11. *Mart.* 1775. *pag.* 191. *arg.* 1.

Fructuum dotis maritus eſt dominus; quare nulla eſt tranſactio, quam, inſcio viro, de fructibus uxor fecit. *Deciſ.* 3. *Jun.* 1775. *pag.* 260. *arg.* 2.

HEREDITAS, & HERES.

Stat loco heredis donatarius univerſalis; unde contra factum donantis venire non poteſt. *Deciſ.* 9. *Decemb.* 1774. *pag.* 5.

Heres in certa quantitate inſtitutus pro legatario habetur; quapropter in ſubſidium tantum actionibus hereditariis ſubjacet. *Deciſ.* 22. *Jan.* 1775. *pag.* 101. *arg.* 2.

Heres quamvis nomine proprio ſe obligaverit pro defuncti debito; attamen ſi in obligatione expreſſe inventarii beneficio non renunciaverit, nonniſi in bonis hereditariis teneri poteſt; verum facta inventarii diſcuſſione, executio demandanda eſt in bonis propriis. *Deciſ.* 28. *Jan.* 1775. *pag.* 104. *arg.* 2.

ID, QUOD INTEREST.

De eo, quod intereſt, alta & obſcura quæſtio eſt, in novum judicium omnino differenda. *Deciſ.* 10. *Jan.* 1775. *p.* 76.

Digitized by Google

IMPENSÆ.

Funeris tantum impenſæ, non item infirmitatis, cætera credita præcedunt. *Deciſ.* 9 *Jan.* 1775. *pag* 59.

In redintegratione dominii rerum ab Univerſitatibus diſtractarum, qui antecedenter rem habuit, ſumptus in eamdem rem factos repetit, nulla conpenſatione habita cum fructibus perceptis; in repetitione vero ratio habetur quantitatis impenſæ, non item valoris aucti. *Deciſ.* 28. *Jan.* 1775. *pag.* 110.

JUDEX.

Judex male judicando, licet per imprudentiam, litem facit ſuam; & in quantum de ea æquum viſum fuerit religioni Judicantis, pœnam ſubſtinet. *Deciſ.* 17. *Decemb.* 1774. *pag.* 28.

JURISDICTIO.

Antiquiſſima poſſeſſio, quam Eccleſiæ quædam, Monaſteria, & laici habent juriſdictionem exercendi ſuper quibuſdam familiis in alienis feudis, ſervanda eſt. *Deciſ.* 11. *Feb.* 1775. *p.* 164.

LEGATUM, & LEGATARIUS.

Declaratio debiti facta in teſtamento, cum aliunde veritas non conſtet, vim habet legati; quare revocato teſtamento, irrita cenſetur: eo tamen caſu a rigore Juris recedit Magiſtratus, atque prudentis viri arbitrio utitur. *Deciſ.* 2. *Decemb.* 1774. *pag.* 1.

Pro legatario habetur heres in certa quantitate inſtitutus; quapropter in ſubſidium tantum actionibus hereditariis ſubjacet. *Deciſ.* 22. *Jan.* 1775. *pag.* 101. *arg.* 2.

Legata, quæ in beneficium venientium ab inteſtato relinquuntur, eo animo a teſtatore relicta cenſenda ſunt, ut jura penſitaret legatariis ſuper ejus hereditate ſpectantia. *Deciſ.* 28. *Mart.* 1775. *pag* 214. *arg.* 2.

Vitalitio legato filiis relicto ea lege, ut ſi a matre diſceſſerint, legatum idem minuatur; matre defuncta indeminutum deberi exiſtimatur. *Deciſ.* 27. *Mart.* 1776. *pag.* 370.

Vid. in v. Collatio bonorum, Conditio.

LEGITIMA.

Ex pacto ſecundum uſum Capuanæ, & Nidi non poſſunt parentes legitimam detrahere ex filiorum hereditate. *Deciſ.* 10 *Febr.* 1775. *pag* 149. *arg.* 3.

Cum vocatus ad paternum fideicommiſſum teſtamentum fecerit, & jus quodcumque ſibi competens in bonis patris verbis expreſſis in heredem tranſmiſerit, huic permittitur ex fideicommiſſi bonis legitimam detrahere, quæ illi debebatur. *Deciſ.* 6. *Mart.* 1775. *pag.* 184. *arg.* 2.

In liquidatione legitimæ, ſicut nec partem, ita nec numerum facit filius, qui vitam monaſticam profeſſa eſt. *Deciſ.* 6. *Mart.* 1776. *pag.* 355. *arg.* 1.

Cum debitor legitimæ nullam moram contraxerit, cumque a legitimariis reſtituendæ ei ſint quædam ex rebus hereditariis, quaſi facta compenſatione, ad fructus non tenetur. *dict. Deciſ. arg.* 2.

Vid. in v. Fideicommiſſum.

LIBERI.

Sub nomine liberorum naturales filii non intelliguntur, ſive in teſtamentis, ſive in contractibus, quoties teſtatoris, vel contrahentium voluntas contraria oſtendi poſſit ex facti circumſtantiis. *Deciſ.* 9. *Jan.* 1775. *p.* 59.

LOCATIO, & CONDUCTIO.

In conductione feudorum nulla datur civibus ejuſdem feudi prælatio. *Deciſ.* 2. *Decemb.* 1774. *pag.* 4.

Locatio triennalis excludit continua-

Digitized by Google

tionem ex noviſſimis legibus, quæ *amortizationem* reſpiciunt; nec dicitur longiſſimi temporis, etſi viginti annorum ſpatio continuata fuerit. *Decif.* 12. *Decemb.* 1774. *pag.* 22.

Non poteſt conductor dominii quæſtionem offerre, niſi conductorum bonorum poſſeſſione prius relicta. *Decif.* 23. *Decemb.* 1774. *pag.* 46.

Qui voluntate conductoris fundum colit, nullo contractu inito cum locatore, nequit conductione ſui auctoris adjuvari, ut beneficio gaudeat, quod longi temporis conductoribus leges indulgent. *Decif.* 16. *Maji* 1775. *p.* 250.

Cum locentur non ſolum prædia, & domus, ſed etiam cenſus emphyteutici, poteſtate conductori tributa bona recuperandi, ſi quæ ſint, ab aliis detenta; naturam potius adminiſtrationis, quam locationis contractus hic præſeferre videtur; adeoque obnoxius non eſt nuperrimis legibus, quæ *amortizationem* reſpiciunt. *Decif.* 7. *Jun.* 1775. *pag.* 264.

MANDATUM.

Qui mandatum inficiatur, atque in proprios uſus pecuniam convertit, licet furti accuſari non poſſit, judicio tamen mandati tenetur, & fraudis condignam pœnam meretur. Saltem dubitari nequit, in crimen ſtellionatus eum incidiſſe; cujus criminale judicium non aliter perimitur, quam pretio a reo oblato. *Decif.* 22. *Feb.* 1775. *pag.* 179. *arg.* 2.

MEDIETAS CONSUETUDINARIA.

Mulier, quæ in ætate decrepita donat, alimenta ſibi reſervans abſque reſtrictione, in fraudem Conſuetudinis donare videtur. *Decif.* 9. *Jan.* 1775. *pag.* 54. *arg.* 1.

Tranſactio de bonis, ad quorum medietatem proximiores conjuncti vocantur, in fraudem facta non cenſetur. *dict. Decif. arg.* 3.

Conſuetudo Neapolitana, quæ medietatem bonorum antiquorum proximioribus conjunctis ſervat, non aliter Surrenti admiſſa cenſetur, quam favore filiorum adverſus ſupremas parentum voluntates. *Decif.* 28. *Mart.* 1775. *pag.* 214. *arg.* 1.

Legata, quæ in beneficium venientium ab inteſtato relinquuntur, eo animo a teſtatore relicta cenſenda ſunt, ut jura penſaret legatariis ſuper ejus hereditate ſpectantia, inter quæ & medietas conſuetudinaria numerari poteſt. *dict. Decif. arg.* 2.

Donatio inter vivos concepta ab eo, qui nonageſimum nonum ætatis annum agit, quique & debilitate, & ægritudine languet, reſervatis menſtruis præſtationibus, quæ uſumfructum bonorum donatorum pene adæquant; tamquam donatio mortis cauſa interpretatur, & in fraudem eorum facta, qui ex Conſuetudine ad medietatem bonorum antiquorum vocantur. *Decif.* 17. *Jun.* 1775. *pag.* 271.

Renunciatio mulieris dotatæ ex paternis, materniſque bonis tantum, ampliſſime facta bonis omnibus etiam Conſuetudini obnoxiis, pro ſuis fratribus, illorumque heredibus, etiam extraneis, & legitimis; non eſt ita interpretanda, ut officiat filiis, quominus conſequantur medietatem bonorum antiquorum, cum dotatæ mulieris fratres abſque liberis deceſſerint. *Decif.* 26. *Apr.* 1776. *pag.* 376.

Vid. in v. Bona antiqua.

MULIER.

Vid. in v. Donatio, Medietas conſuetudinaria, Pactum.

NEGOTIORUM GESTOR.

Qui aliena negotia gerit, auctor eſſe nequit obligationis contractæ nomine mandatoris in rem propriam. *Decif.* 17. *Decemb.* 1774. *pag.* 24. *arg.* 1.

Digitized by Google

NUPTIÆ.

Licet ex Regiis litteris anni 1771. filia, quæ vigeſimum quintum annum impleverit, poſſit abſque conſenſu patris nuptias contrahere; contrarium tamen obtinet, quoties conſtet, neque avaritiam, neque inhumanitatem patris impedimento fuiſſe, quominus antecedenter nuberet; ac conſtet etiam nuptiarum indignitas, quas filia contrahere deſiderat. *Deciſ.* 5. *Maji* 1775. *pag.* 243.

PACTUM.

Pacta, & promiſſa, quæ permixtim apponuntur, atque ſub unica conventione, unoque jurejurando continentur, licet reſpiciant duo negotia ſui natura inter ſe diviſa, inducunt tamen obligationis correſpectivitatem; ac proinde qui ex hujuſmodi conventione agit, niſi probaverit, ſe adimpleviſſe, non poteſt alterum contrahentem ad implementum cogere. *Deciſ.* 20. *Mart.* 1775. *pag.* 200.

Pacta contra fideicommiſſum, etſi ratihabita a muliere, quæ innupta adhuc eſt, & in Monaſterio degit, vel nulla cenſenda ſunt, vel ſaltem reſcindenda. *Deciſ.* 28. *Apr.* 1775. *pag.* 240.

PACTUM CAPUANÆ, ET NIDI.

Cum, contractis nuptiis ſecundum uſum Capuanæ, & Nidi, pater excludatur a ſucceſſione filiorum in bonis maternis, conſequitur patri ipſi jus non eſſe diſputandi de renunciatione, quam eorumdem bonorum alii fecit filia; præcipue ſi renunciandi juſtam cauſam habuit. *Deciſ.* 10. *Feb.* 1775. *pag.* 149. *arg.* 1.

Pactum ſecundum uſum Capuanæ, & Nidi illud operatur, ut parentes nec legitimam poſſint detrahere ex filiorum hereditate, ſive ex bonis, quæ ab alterutro ipſorum pervenerunt. *dict. Deciſ. arg.* 3.

PARAGIUM.

Filia, quæ annum vigeſimum quintum expleverit, etſi viro indigno nubat, non poteſt a patre exheredari; unde merito paragium petit. *Deciſ.* 12. *Decemb.* 1774. *pag.* 44. *arg.* 1.

PATRIA POTESTAS.

Filia familias, quæ Monaſterium ingreſſa, ſolemnia vota emittit, ſui juris cenſetur, a patriæ poteſtatis nexu ſoluta. *Deciſ.* 10. *Feb.* 1775. *p.* 149. *arg.* 2. *Vid. in v.* Nuptiæ.

PATRONATUS.

Proximioribus ex familia idoneis ad patronatum vocatis, atque his non extantibus, filiis ex ſorore Fundatoris, ea lege, quod vel omnibus deficientibus, vel idoneo non exiſtente, præſentatio, & electio fiat a Capitulo loci; cenſetur paſſivum tantum jus familiæ, & ſororis filiis relictum fuiſſe, activum vero ipſi Capitulo. *Deciſ.* 21. *Jan.* 1775. *p.* 87.

Conventio inter patronos, diuturna obſervatione comprobata, vicem præſtat fundationis juris patronatus. *Deciſ.* 5. *Apr.* 1775. *pag.* 288. *arg.* 1.

Jure patronatus activo pro deſcendentibus ex linea primigenia inſtituto, ad jus paſſivum vocatis omnibus ex familia, non eſt ita lex fundationis interpretanda, ut penitus deficiente linea primigenia, ad jus paſſivum vocati intelligantur ceteri de familia; ſed omnes ſimul vocati cenſentur; adeout in concurſu præferendus ſit antiquior Sacerdos. *dict. Deciſ. arg.* 2.

Ad patronatum familiarem, deficientibus maſculis, fœminas, & earum filios vocari, non dubitatur; præcipue eum in defectu familiæ proximiores vocaverit Fundator. *Deciſ.* 24. *Jul.* 1775. *pag.* 286. *arg.* 1.

Vocatis maſculis, & deſcendentibus ex fœ-

Digitized by Google

fœminis collateralibus, etiam remotioribus, multo magis vocati cenſentur deſcendentes ex fœminis propriæ Fundatoris familiæ. *dict. Deciſ. arg.* 2.

Heredibus & ſucceſſoribus jure patronatus reſervato, nulla facta mentione filiorum, vel deſcendentium, hereditarium eſſe patronatum exiſtimatur. Cum vero duo ſint heredes inſtituti, ea lege, quod quodam adveniente caſu, unus eorum in legitima inſtitutus intelligatur; ad hunc quidem, poſtquam caſus evenit, patronatus non ſpectat. *Deciſ.* 22. *Sept.* 1775. *pag.* 299.

POSSESSIO.

Poſſeſſione partis retinetur poſſeſſio totius. *Deciſ.* 10. *Jan.* 1775. *pag.* 77.

Malæ fidei poſſeſſor exiſtimatur, qui neglexit ſcripturas recognoſcere, ex quibus veritas dignoſci poterat; nec bona fides ab impenſis in rem factis deſumitur. *Deciſ.* 24. *Jan.* 1775. *pag* 99. *arg.* 2.

Poſſeſſio antiquiſſima, quam Eccleſiæ quædam, Monaſteria, & laici habent juriſdictionem exercendi ſuper quibuſdam familiis in alienis feudis, ſervanda eſt. *Deciſ.* 11. *Febr.* 1775. *pag.* 164.

Poſſeſſio recte probatur per teſtium depoſitiones, & libros *unciarii*; ſecundum autem poſſeſſionem pronunciandum eſſe, certi juris eſt. *Deciſ.* 15. *Mart.* 1775. *p.* 194.

Vid. in v. Fructus.

PRÆLATIO.

Vid. in v. Locatio, Feudum, Retractus.

PUPILLUS.

Tranſactio de re pupillari, & minoris, non adhibitis ſolemnibus facta, nulla eſt; & cum nulla ſubſit juſta tranſigendi cauſa, obligatio quoque extinguitur ejus, qui tranſegit. *Deciſ.* 21. *Jan.* 1775. *pag.* 84.

Prædia pupilli, quæ ab ejus parentibus pignori data ſunt, jure a tutoribus alienantur; etiamſi nullæ ſerventur in alienatione ſolemnitates, quæ ceteroquin in venditione rei pupillaris neceſſariæ ſunt. *Deciſ.* 1. *Apr.* 1775. *p.* 223.

RATIHABITIO.

Qui ex alterius contractu agit, rem ratam habuiſſe dicitur. *Deciſ.* 23. *Decemb.* 1774. *pag.* 49. *arg.* 3.

RENUNCIATIO.

Ex Conſuetudine, perpetua obſervatione recepta, & in judiciis firmata, valent renunciationes, quas filiæ de paragio dotatæ, favore agnationis faciunt. Contra renunciationes eædem, ſublata cauſa, ob quam factæ ſunt, non obſtant, quominus ſuccedi queat iis, quibus renunciatum eſt. *Deciſ.* 22. *Jan.* 1775. *pag.* 114.

Vid. in v. Medietas conſuetudinaria, Pactum Capuanæ, & Nidi.

RETRACTUS JURE CONGRUI.

Jus retractus proprietario fundi finitimi, non item uſufructuario ſpectat. *Deciſ.* 6. *Febr.* 1775. *pag.* 130. *arg.* 1.

Indiviſa adhuc hereditate, inefficax cenſetur ceſſio juris retractus ab uno ex heredibus facta, ceteris inſciis, vel invitis; contra unus ex heredibus retractum petere non prohibetur. *dict. Deciſ. arg.* 2.

Ejuſdem prædii minori parte, quæ aliis prædiis finitima eſt, permutata, majori vendita, in fraudem vicinorum contractus celebratus videtur; ac proinde datur locus retractui. *Deciſ.* 17. *Febr.* 1775. *pag.* 170.

Legato fundo ea lege, quod pretium legatarius ſolvat, non excluditur vicinus a retractu. *Deciſ.* 27. *Mart.* 1775. *pag.* 204.

Digitized by Google

Retractus jure congrui ad dominum directum ſpectare videtur. Deciſ. 18. Nov. 1775. pag. 302. arg. 1.

Cum ex pretio venditionis aliquid ſolutum ſit vicino ut creditori, ſolutio ipſa non inducit renunciationem juri retractus. dict. Deciſ. arg. 2.

Venditiones ſub haſta non excludunt jus retractus. Deciſ. 18. Decemb. 1775. pag. 313. arg. 1.

Si quis ex vicinis jus retractus emptori cedit, emptori ceſſio non prodeſt, ſed aliis vicinis jus idem accreſcit. dict. Deciſ. arg. 2.

Ut vicinus non gaudeat decennio ad retrahendum, opus eſt expreſſa denunciatione, non ſufficit certioratio privata. Deciſ. 20. Decemb. 1775. pag. 315. arg. 2.

Donatarius univerſalis, qui ceſſionem præfefert omnium jurium, cum ſit loco heredis, merito juvatur ad retrahendum poſſeſſione fundi, in qua tempore venditionis erat donans; præcipue ſi filius ſit donantis. dict. Deciſ. arg. 3.

Denunciatio vicinis facta multo poſt venditionem non reſtringit decennium a Conſtitutione conceſſum ad retrahendum; præſertim ſi fraudulenta exiſtimari poſſit ex majoris pretii ſimulatione. Dec. 16. Jan. 1776. p. 338.

SOCIETAS.

Fratres, qui in communionem bonorum paternorum inciderunt, univerſalem ſocietatem contraxiſſe non videntur; ad quam contrahendam expreſſa voluntas requiritur. Deciſ. 13. Mart. 1776. pag. 350.

SOLUTIO.

Licet ſolutiones contra publicam ſcripturam nequeant per teſtes probari, niſi quinque fuerint numerationi præſentes; hoc tamen dicendum eſt de debito certo & liquido: eo vel magis quia Jus Romanum in hac parte correctum eſt in Regno. Deciſ. 3. Apr. 1775. pag. 236.

Qui ſciens prudens plus debito ſolvit, nulla adhibita cautione, ut in futuram cauſam plus ſolutum intelligatur, donaſſe intelligitur. dict. Deciſ. arg. 2.

Vid. in v. Ceſſio.

STATUS.

Sententia lata in cauſa ſtatus jus facit quoad omnes, quorum intereſt. Deciſ. 23. Decemb. 1774. pag. 44. arg. 3.

SUBSTITUTIO.

Inſtitutione heredis caducata, quoad cetera firmum remanet teſtamentum; quapropter cum conventio inita ſit inter heredem. & ſubſtitutum, infirmari non poteſt, in quantum reſpicit ſubſtituti favorem, a legitimis heredibus; etſi ii de ſcripti heredis inſtitutione diſputandi jus habeant. Deciſ. 5. Maji 1775. pag. 247.

Vid. in v. Collatio bonorum, Fideicommiſſum.

SUMPTUS.

Vid. in v. Impenſæ.

TESTAMENTUM.

Cum formulæ, quæ di chiuſura, & di apertura dicuntur, diſcretis, diſtinctiſque actibus non ſint expletæ; cumque ſeptimus teſtis diu poſt teſtamenti ſtipulationem adhibitus ſit; ex defectu ſolemnium teſtamentum non valere, pronunciandum eſt. Deciſ. 6. Febr. 1775. pag. 133.

Non datur locus commutationi voluntatis, niſi cum teſtamentum publicas cauſas reſpiciat, quæ vel facto, vel bonis moribus, vel alia publica ratione non ſunt ſpecifice exequendæ. Qui vero voluntatem convellere in judicio conatus eſt, haud quidem mere-

Digitized by Google

meretur, ut in ſui beneficium commutetur. *Decif.* 18. *Sept.* 1775. *p.* 253.
Vid. in v. Subſtitutio.

TRANSACTIO.

Tranſactio inter matrem, & filium vicem donationis præbet; & ubi ſemel fuerunt jura abdicata, & tranſacta, nequeunt amplius in priſtinam cauſam deduci. *Decif.* 21. *Jan.* 1775. *pag.* 96.

Cum fides tranſactioni non præſtetur, eaque facto unius ex contrahentibus reſolvatur, integra cauſa ſupereſt, atque conventione omnino ſublata, ad priſtinum ſtatum res revocantur. *Decif.* 27. *Jan.* 1775. *pag.* 117.

In tranſactionibus, quæ judiciaria indigent auctoritate, inſpicitur cauſa, modus, & perſona; auctoritas autem non denegatur tranſactioni, quæ bona fideicommiſſi afficit, cum de ipſo fideicommiſſo diſputari poſſit. *Decif.* 7. *Jul.* 1775. *pag.* 276.

Tranſactio, cujus virtute decimarum præſtatio ad certam annuam quantitatem reducitur, utilis, & expediens cenſetur. *Decif.* 14. *Aug.* 1775. *p.* 291.
Vid. in v. Medietas conſuetudinaria, Pupillus.

VENDITIO.

Vid. in v. Emptio, & Venditio.

USURÆ.

In debitis dependentibus ex contractibus ſtricti juris intereſſe ut plurimum non debetur, niſi ex conventione; ſecus in locatione & conductione, ac in ceteris bonæ fidei contractibus. *Decif.* 21. *Jan.* 1775. *pag.* 78.

Ex annuis reditibus uſuræ præſtari poſſunt; quare & eos in ſortem converti non prohibetur. *Decif.* 18. *Febr.* 1775. *pag.* 173. *arg.* 1.

Soluta ſorte, uſuræ, quæ ex obligatione pendent, recte petuntur; contra peti nequeunt, quæ ex officio Judicis præſtantur. *dict. Decif. arg.* 2.

Remiſſio uſurarum ex temporis decurſu argui poteſt. *Decif.* 11. *Mart.* 1775. *pag.* 191. *arg.* 1.

USUSFRUCTUS.

Salvo patri debito bonorum ſubſidio, uſusfructus bonorum maternorum denegatur ex Jure Conſuetudinario. *Decif.* 10. *Febr.* 1775. *pag.* 149. *arg.* 4.

UXOR.

Quod uxor habet, a viro perveniſſe exiſtimatur; niſi demonſtretur in promptu, aliunde habuiſſe. *Decif.* 2. *Jun.* 1775. *pag.* 260. *arg.* 1.

FINIS.

SHh656

Digitized by Google

	ERRATA	CORRIGE
Pag. 9. *v.* 23.	, expeditoque	. Jam expedito
v. 26.	declaravit	declaraverat
10. *v.* 7. & 8.	, & omnibus actis. Quare	. Quare viſis omnibus actis
30. *v.* 9.	ducati 800	ducati 8000
88. *v.* 14.	pertinentia, Antonini	pertinentia inſtitit Antoninus
132. *v.* 6.	re vendere	revendere
136. *v.* 32. & 33.	in ſtilatione	in ſtipulationem
139. *v.* 12.	in ſtipulatione	in ſtipulationem
141. *in arg.* *v.* 24.	dotes æſtimatione	dotes æſtimatæ ea æſtimatione
142. *v.* 10.	debitos	donatos
158. *v.* 13.	In adimplementum	inadimplementum
v. 23.	Prima eorum	Prima earum
179. *in arg.* *v.* 11.	mandati, &	mandati tenetur, &
185. *v.* 16.	ſe alerentur	ſe alerent
253. *v.* 32.	cum clare	eum clare
260. *v.* 2. & 3.	in ducatis 14	in ducatis 1400
264. *in arg.* *v.* 1.	cum locantur	cum locentur
272. *in arg.* *v.* 2.	adæquat	adæquant
275. *v.* 2.	æxtimari	æſtimari
294. *v.* 4.	perſolvendis	perſolvendas
301. *v.* 33.	& poſthabitis	nam poſthabitis
v. 34.	admiſit nominatos	admiſſi ſunt nominati
304. *v. ult.*	debitor	creditor
322. *v.* 19.	Hinc	Hic
324. *v.* 24.	excludebant	excluderent
325. *v.* 35. & 36.	dictam Principiſſam præferendam eſſe	dicta Principiſſa præferenda eſſet
328. *v.* 10.	non alterant	non alterat
343. *v.* 7.	*le quali*	*i quali*
354. *v.* 9.	evidentiorem	evidentius
v. 18.	univerſali	univerſalis
361. *v.* 1.	demandata relatio	demandata eſt relatio
363. *v.* 26.	non poterant ab ipſo	non poterant ipſi
387. *v.* 7.	probabit	probavit
in arg. *v.* 3. & 4.	peculiaris	peculiari
388. *v.* 13.	*Ariciello*	*Ariviello*
407. *v.* 27.	titulo feudali	tituli feudalis

Digitized by Google

NEAPOLI. EX REGIA TYPOGRAPHIA
ANNO MDCCLXXXVII.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google